DE PLUTARCHO

SCRIPTORE ET PHILOSOPHO

DE PLUTARCHO
SCRIPTORE ET PHILOSOPHO

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN
lit. hum. dr., in Universitate Lugduno-Batava
professor ordinarius

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
1916

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

ACADEMIAE REGIAE VIRGILIANAE

MANTUANAE

NUPER ADSCRIPTUS SOCIUS

HUNC LIBRUM GRATUS OFFERT DEDICATQUE

SCRIPTOR

LECTURO SALUTEM.

Varius esse potest huiusce libri usus variaque — nam haec spes me tenet — utilitas. Sed omnibus, qui meas qualescunque non fastidiunt lucubrationes, auctor sum ut primum legant *epilogum*. Deinde pro suo quisque consilio libro uti pergere poterit. Alii in ipso libri corpore quaerent argumenta eorum quae hic tantummodo ponuntur contenduntur que. Quae ut nullo inveniant negotio indices efficient quos satis copiosos libro addidi. Alii meam de aliquo Plutarchi libro totam cognoscere cupient disputationem: omnes secundum editionis tractavi ordinem et praeterea hic quoque index feret opem. Qui vero meo libro tamquam perpetuo volent uti Moralium commentario, his ne quaerendum quidem est. Sed tamen et hi ab *epilogo* faciant initium! Nam librum meum vernacule scriptum, qui hic in omnium hominum paulo cultiorum esse solet manibus, exterorum legent pauci, scio; sed cuiusmodi fere ille sit aliquatenus et illi noverint qui epilogum cognoverint. Utinam et hi meum probent consilium, mecumque censeant nullum antiquorum scriptorum Plutarcho esse digniorem quem et hodierni homines legant et tamquam amicum diligant, meque haud inepte eum nostris commendasse aequalibus!

CONSPECTUS CAPITUM.

CAPUT I.

Denuo me ad Plutarchi scripta Moralia cum pulvisculo excutienda accingo. Gratissimus mihi labor ille, sed et necessarius. Qui enim operam dederim ut magnus ille mentium medicus popularibus meis quam maxime innotesceret, et praesertim Graece nescientium causa volumina illa conscripserim, quibus ut potui vitam eius aetatemque qua vixit depinxi [1]), ad quam rem sat multa eius scripta mihi vernacule erant vertenda, quaecunque critici erant generis obiter tantum tetigi et in annotationibus plerumque quam paucissimis verbis me ab editione Teubneriana, quam Bernardakis curavit, recedere significavi, sive ipse novi aliquid mihi invenisse videbar sive antea ab alio inventum erat quod eius lectioni, me iudice, praestaret. Nunc doctorum virorum mihi est habenda ratio et quidquid mihi vel olim vel nunc Moralia perscrutanti in mentem venit, quo textus paulo emendatior fieri posse videretur, ordine proponendum, adiunctis illis quoque observationibus quas per aliquot annos Mnemosynae inserendas curavi. Quas aut — ne multa simul sint tractanda legentibus volumina — in brevius contractas spatium hic repetam, aut, si opus videbitur, argumentis novis stabilire conabor. Et quoniam a critica, quae in vocabulis emendandis, supplendis, delendis versatur, divelli „altior'' illa non potest, quae ad quaestiones de librorum auctore et virtutibus vitiisque per-

1) Libri vernacule scripti c. t.: De Avondzon des Heidendoms, het leven en werken van den Wijze van Chaeronea. Leiden, S. C. van Doesburgh 1910.

tinet, de singulis libris quam brevissime potero sententiam meam iudiciumque praemittam. Sic simul, aliquatenus certe, etiam philologi apud exteros libri illius vernacule scripti eas cognoscent partes quas vulgo notas esse e re mea sit et fortasse etiam scriptoris quem tantopere admiror in deliciisque habeo. Cumque in toto hoc negotio pervulgatum librorum tam Plutarcheorum quam spuriorum sim secuturus ordinem, initium mihi est faciendum a

Libello de liberis educandis

quem a Plutarcho conscriptum iam nemo est qui serio contendere possit. Volkmannus, vir doctissimus prudentissimusque et de Plutarcho egregie meritus, operam perdere censet si quis post Wyttenbachium hac de re etiam verba faciat. Ita est: exemplo omnibus, qui eiusmodi quaestiones tractant, Wyttenbachii illa de nostro libello disputatio esse potest, tam est omnibus numeris absoluta. De una tantummodo re, neque magni momenti neque tamen prorsus contemnenda, etiam moveri posse controversia videtur. Ab adolescentulo scriptum libellum Wyttenbachius censet, qui a Plutarcho magistro hoc argumentum tractandum acceperit. De priore huius sententiae parte lubenter clarissimo viro assentior; puerilis ista meditatio est, sed e Plutarchi schola profectam haudquaquam credo. Quid quod eam magistro satis probatam esse nobis esset statuendum, si cum Wyttenbachio ab ipso Plutarcho adiectum epilogum sumeremus. Est enim ille huiuscemodi:

τὸ μὲν οὖν πάσας τὰς προειρημένας συμπεριλαβεῖν εὐχῆς ἴσως ἢ παραινέσεως ἔργον ἐστί· τὸ δὲ τὰς πλείους ζηλῶσαι καὶ αὐτὸ μὲν εὐμοιρίας δεόμενόν ἐστι καὶ πολλῆς ἐπιμελείας, ἄνυστον δ' οὖν ἀνθρωπίνῃ φύσει καθέστηκεν.

Ubi primum manus emendatrix requiritur. Non enim post *προειρημένας subaudiendum* cum Bernardake *ὑποθήκας*, sed ipsum illud vocabulum, aliudve in eandem sententiam, *supplendum* censeo. Praeterea post *ἴσως* excidisse *μᾶλλον* videtur; hoc enim voluit noster: „optari illud potest non praecipi." Nunc locum sic correctum aspiciamus. Plutarchine hic agnoscis orationem? Immo vero hic quoque puerulum declamantem audimus, qui dummodo periodum eleganter, ut ipsi videtur, exornet claudatque, ad exilem proferendam sententiam largam effundit vocabulorum copiam. Ut cetera sensu vacua mittamus: quam inepte, dum clausulae dat

operam, *ἔστιν* et *καθέστηκεν* inter se opponit. Et sunt multa alia eiusdemmodi. Sed totius loci consideremus argumentum:

„haec omnia ut simul comprehendas optare potes, praecipi tibi non potest; at maiorem eorum partem si conaris assequi, tum quoque magna tibi opus est felicitate magnaque industria, sed eo tamen pervenire potest humana natura."

Fac sic unquam Plutarchum scripsisse; si talia subscripsit discipuli meditationi, nonne eam admodum sibi placere testatur? Placere autem Plutarcho qui potuit de re gravissima, quaeque ipsi prae ceteris cordi esset, disputatio, in qua nihil legeretur eorum quae in mentem venire deberent homini qui vel primoribus labris aliquam philosophiae attigisset partem? Rhetorica sunt omnia, vana et inania. Sed non est meum de hac re legentes edocere. Omnia reperire apud Wyttenbachium possunt, qui quomodo haec fuisset tractanda quaestio ut idoneis illius aetatis satisfieret iudicibus praeclare demonstravit.

At enim nonne fieri potuit ut Plutarchus discipuli meditatiunculam obiter tantummodo inspectam tali epilogo ornaret? Nonne est credibile magistrum, multis variisque districtum negotiis, discipuli laudasse industriam, qui de argumento sibi proposito tot implesset paginas, sed prae nimia festinatione non vidisse quam multa eaque gravissima ibi desiderarentur, quam plenae essent ineptiarum? Eiusmodi aliquid in quavis schola et fieri posse et saepe factum esse minime nego, sed hic Plutarcho evenire illud *non potuit*. Quid enim? Quamvis festinaret, tamen non adeo caecutiebat quin ipsis verbis in quibus puer, iamiam sibi laudandus, fecisset finem oculi eius ferirentur. Quae simulatque aspexit quos eum edidisse risus censeamus vel quanta cum indignatione totum abiecisse libellum e manibus? Disticha enim sunt, sed qualia, di boni! Exemplum legentibus proposuit puer noster Eurydicen quandam, barbaram, in Illyria natam, quae provecta iam aetate puerorum suorum causa literas didicerit „quemadmodum" ait „ipsa testatur hoc epigrammate quod Musis dicavit":

Εὐρυδίκη Ἱεραπολιῆτις τόνδ' ἀνέθηκε
Μούσαις εὔιστον ψυχῇ ἑλοῦσα πόθον·
γράμματα γὰρ μνημεῖα λόγων μήτηρ γεγαυῖα
παίδων ἡβώντων ἐξεπόνησε μαθεῖν.

Unde pedem huc intulit *Illyrica* illa Hierapolitana? Et de qua nobis cogitandum Eurydice? „De altera Philippi, Alexandri magni patris, uxore'' Wyttenbachius ait, „quae fuit Illyrica, et cum a parentibus *Audatam* accepisset nomen, a Philippo Eurydice est appellata.'' Sed nulla unquam in Illyria urbs Hierapolis fuit, certe a nullo scriptore commemoratur. De suo, id est de nihilo, Eurydicen cum bella ista historiola finxit ῥητοριδεύς noster, ipse bellos hos panxit hexametros pentametrosque, non de lapide sepulcrali in suum libellum transtulit. Et quales sunt illi! Aspice primum: οὐχὶ κλαύσεται versus caesura carens et qui eum conflavit? Et qui sermo! τόνδ' ἀνέθηκε. Num λίθον? Sed quis talia vocabula omittit? Experto credite, nemo nisi qui versuum Graecorum Latinorumve faciendorum prima facit tirocinia. Cum verbo autem ἀνέθηκε necessario iungendum Μούσαις, quod sic in initio pentametri positum tamquam si cum *sequentibus* cohaereret vocabulis. Tum, iure quidem εὔιστον in textu Wyttenbachius retinuit, sed quid eo poetaster voluerit ut sciamus divinatione opus est. De re enim adhibuisse *videtur* quam scire non nolis, cuius te non pudeat, qua glorieris. Cepit ergo animo bona mater *desiderium* quod latere minime vellet. Cuiusnam rei, quaeris: literarum! Mirum, hercle, desiderium et quod nunquam in mente hominis natum est. Multo rectius et naturae convenientius sub finem declarat se literarum discendarum *laborem*, gravem, ut opinor, et iniucundum suscepisse. Sed praeterea nulla re secundum distichon priori praestat. A magistro suo in ludo literario audiit puerulus *memoriae instrumentum* et *memoriae effectricem* dici a poetis literas, et fortasse nobiles illos Aeschyli edidicit versus, ubi Prometheus declarat se et alia utilissima invenisse et dedisse hominibus

γραμμάτων τε συνθέσεις
μνήμης [1]) ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάνην

cumque utique istud γράμματα γάρ iusti hexametri initium fieri deberet, adiecit μνημεῖα λόγων, quae verba vix *possunt* significare id quod poeta voluit, et hic certe ineptissime adduntur:

1) Spernitur nunc — communis ea sors lectionum quas sana mens requirit — certissima haec Hermanni emendatio, et secundum codicem editur aut μνήμην θ', ut memoriae artem, atque adeo ipsam memoriam *invenisse* Prometheus dicatur, aut μνήμην, quod prorsus sensu cassum est.

utilitatem enim literarum laudare eius est qui *sua causa* eas didicit, non matris quae propter filios ingrato isto opere est perfuncta. Sed nondum plenus est versus; additur *μήτηρ γεγαυῖα*. Bonus poeta ea non posuisset illo loco nisi hoc vellet: „simulatque mater facta erat'' et ne sic quidem venustus evaderet versus. Vide enim quam ridicule sententia in tres partes sit divisa:

γράμματα γάρ | μνημεῖα λόγων | μήτηρ γεγαυῖα.

At multo ineptius noster et contra ipsam versuum naturam *in sequenti versu* a nomine quod est *μήτηρ* dependentem facit genitivum *παίδων ἡβώντων*. Quae verba et ipsa ineptissimum produnt versificatorem. Quid enim? Num *adulta aetate* filii illi literas discere coeperunt? Non opinor, sed hoc voluit: „cum ad discendi pervenissent aetatem''; id autem pentametro suo infercire non potuit quin vim faceret ipsi sermoni Graeco.

Esto: pueruli misella est meditatio libellus noster. At insperatum inexspectatumque nostra aetate honorem nactus est. Testis enim est adhibitus in gravissima controversia de Taciti *Dialogo de oratoribus*. Qui liber praestantissimus, a Tacito ea scriptus aetate cum ad plenam pervenisset maturitatem, ne posthac nimia legentes impleret admiratione, *fons* eius erat indagandus. Quasi vero is demum magnus sit poeta scriptorve qui e *nullo* fonte hauriat! Et illud „fontem indagare'' quo modo hac aetate fiat nemo ignorat qui non in his rebus plane sit hospes. E tenebris protrahitur Graecus aliquis auctor, cuius scripta plane interierunt, exceptis, si ita res fert, paucis vocabulis hic illic sparsis. Sic itur ad astra. Nihil enim facilius quam de libro aliquo deperdito quamvis doctos conscribere commentarios. Praesertim autem sic facultas nascitur *latinarum* literarum laudes detrectandi.

Hic labor, hoc studium parvi properemus et ampli

aiunt qui semel intellexerunt quae merx in hodierno doctrinae foro plurimo veneat. Nam qua re illud fiat nescio, sed hoc quotidie fieri video ut si quis in chorum „vere doctorum'' recipi velit in aliquem scriptorem poetamve Latinum faciat impetum. Et munita via est, certique stant parati duces. Habemus opus aliquod a praeclaro artifice Romano structum quod contemplari nemo possit quin vehementer mente et animo moveatur. Protrahendus aliquis e latebris recentior libellus qui aut multa, aut — nam eo quoque contentos nos esse oportet — pauca

cum eo habeat communia. Iam recentiorem illum, Graecum vel Graeculum plerumque, ea a Romano sumpsisse putare nefas est; aetate maiorem aliquem Graecum Romanus tam anxie est imitatus ut etiam quae non intelligeret in suum librum transferret. Virgiliumne tu admiraris? Scito eum, ineptissimum in modum saepe, Stoicorum placita e Graeco in Latinum transtulisse sermonem. Horatiumne diligis, urbanum prudentemque monitorem? Non Horatium legisti sed ... Bionem Borysthenitam, utcunque Latine versum. In transitu declaro palamque profiteor nihil esse facilius quam demonstrare Horatium nullam unquam Bionis illius suis oculis perlustrasse paginam. Sed hoc alienum a proposito. Ad Tacitum redeo praeclarumque eius Dialogum. Illum paucis ante annis ita edidit Americanus Gudemannus ut e paulo plus triginta paginis amplum nasceretur volumen, in quod et alia multa congererentur et ea quae quocunque tandem modo ab adolescentulo Tacito illud esse conflatum opusculum demonstrarent. De ceteris alio tempore disputandi dabitur facultas. Nunc quomodo libello nostro pseudo-Plutarcheo Gudemannus usus sit videamus. Docere vult — ipsa eius afferam verba —

„that the chapters on education are not *entirely original* with Tacitus."

Quasi vero quidquam ab ullo unquam sit prolatum homine in quod illud *entirely original* conveniret. Quid quod disputationem suam sic claudit Gudemannus:

„we cannot but admit that Tacitus, even in his youth, was no servile imitator, but that he assimulated his borrowed material in such a manner as to make it practically his own, admirably succeeding in producing a work, homogeneous in construction, artistically elaborated in its style, and bearing all the outward indications of an original composition."

Profecto egregius, immo fere caelestis hic nobis depingitur artifex, qui unde rudem materiam sumserit quid quaeramus? Rembrandtius ubi linteum suum oleumque emere sit solitus quis curat? Sed quid, quod ad Tacitum pertineat, e libello pseudo-Plutarcheo profert vir doctus? Uterque de educatione, eaque corrupta, agit. In promptu est illud argumentum, ut opinor, unicuique qui de suae aetatis scribit moribus; tritum et decantatum paene dixerim. Et communia quaedam hi scriptores

habent. Miraculi instar esset si nihil haberent commune; ipsum argumentum certas sententiolas certaque vocabula secum trahit. Non ita Gudemanno visum, sed sic ratiocinatur: „libellum pseudo-Plutarcheum Tacitus vix *potuit* inspicere, certe non inspexit. Sed antea idem argumentum fuse tractatum est a magno viro — Chrysippo, quemadmodum e Quintiliano apparet. Ergo Chrysippum exscripsit Tacitus." Et qui loci sunt, quibus tamquam firmissimo fundamento istud doctrinae innitatur aedificium? Unum afferam. Legimus apud Tacitum:

at nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus.

In eam *sententiam* disputare cuiusvis esse censeo; sed *vocem* tamen hic agnoscimus Romani hominis atque ipsius Taciti. Quid vero Graecus?

ἐπεὶ νῦν γε τὸ γινόμενον πολλοῖς ὑπεργέλαστόν ἐστιν . . . ὅ,τι δ' ἂν εὕρωσιν ἀνδράποδον οἰνόληπτον καὶ λίχνον, πρὸς πᾶσαν πραγματείαν ἄχρηστον, τούτῳ φέροντες ὑποβάλλουσι τοὺς υἱούς.

Profecto mirandum tantam esse posse vocabulorum discrepantiam in duobus locis tam pervulgatam rem tractantibus!

Et sunt cetera a Gudemanno prolata indicia eiusdemmodi.

Sed mittamus Tacitum; ad libellum nostrum redeamus. Hoc quoque egregie demonstravit Wyttenbachius quam sit ieiunum, exile, puerile istud opusculum ab eo demum intelligi qui paulo attentius legerit, nam obiter aspicienti facile fieri posse ut sat magni pretii videatur. Ergo non mirandum quod meditatio illa scholastica, quae *ἀνώνυμος* circumferebatur, de puerorum educatione, illius est adiecta operibus *δι' οὗ* (verba haec Himerii sophistae) *πάντας ἐπαίδευον* ii qui multis post eius mortem saeculis laude literarum florebant. Sic factum est ut multorum tereretur manibus et multis commacularetur vitiis, iisque quae in quovis obvia libro manuscripto. Age iam quaedam eorum eluere conemur [1]). Simul hic illic ipsius scriptoris notabimus proprietates ineptiasque.

---

1) Priusquam quidquam in *Moralibus* emendare coner, indicare volo errorem a me in *Vitis* commissum. Fefellit oculos meos brevis Naberi annotatio ad Artax. 24, quo factum est ut nescirem multo ante me reposuisse illum *φθάνειν ἀλλήλους* pro *φθονεῖν ἀλλήλοις*.

I C καὶ μάλ' ὀρθῶς ὁ λέγων ποιητής Φησι (sequuntur versus ex Hercule Euripideo).

Ridiculam hanc lectionem transponendis inter se vocabulis ὁ et λέγων esse emendandam dixi Mnem. 1908, 215 neque nunc me eius correctionis poenitet. Sic enim aptissima haec nascitur sententia: „dicit poeta et rectissime dicit''.

Versuum Euripideorum hoc est argumentum: „parentum infamia liberos implet pudore''. Tum sic pergitur: ὥσπερ ἀμέλει μεγαλαυχίας ἐμπίμπλανται καὶ Φρυάγματος οἱ γονέων διασήμων. Et affertur notissima narratiuncula de Themistoclis filio qui quidquid ipse vellet totum populum velle dixit. Ab adversario haec annotata dixeris qui nostrum refutare vellet. Sed ipsius scriptoris hoc est vitium qui se sibi obloqui non senserit. Etiam narratiunculam de Themistoclis filio alia excipit quae cum illa haudquaquam cohaeret: Archidamo multam dictam quod parvae staturae uxorem duxisset.

II A ὃ κατὰ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν ἐπιστημῶν λέγειν εἰώθαμεν, ταὐτὸ καὶ κατὰ τῆς ἀρετῆς Φατέον ἐστι.

Proprium nostri esse videtur λέγειν κατά τινος pro περί.

II B „Quemadmodum in agro colendo primum fertili humo opus est, deinde perito agricola, postremo seminibus sanis ...' Quo modo pergendum sit ut imago ad puerorum transferatur educationem quis non videt? Non vidit noster, qui haec subiungit: τὸν αὐτὸν τρόπον γῇ μὲν ἔοικεν ἡ Φύσις κτέ.

III C Oportet αὐτὰς τὰς μητέρας τὰ τέκνα τρέφειν καὶ τούτοις τοὺς μαστοὺς ὑπέχειν.

Ridiculus hic pronominis usus recurrit E: „recens natorum membra fingenda sunt ἵνα ταῦτ' ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ Φύηται.''

III D „Ipsa suam prolem nutriat mater: vel geminis nutriendis eam natura parem creavit. Atque ea res prolis amorem auget'' καὶ μὰ Δι' οὐκ ἀπεικότως.

Quid nunc sequitur? Quid putas? Disputatio de mutua caritate eorum qui una sunt educati!

III F καὶ μοι δοκεῖ Πλάτων ὁ δαιμόνιος ἐμμελῶν παραινεῖν κτέ.

Operarii, ut opinor, vitium. L. ἐμμελῶς.

IV E Ridicule sane Socrates hoc ornatur epitheto: ἐκεῖνος ὁ παλαιός.

Dicere autem solebat Socrates:

ὅτι εἴπερ ἄρα δυνατὸν ἦν, ἀναβάντα ἐπὶ τὸ μετεωρότατον τῆς πόλεως ἀνακραγεῖν μέρος (sequitur locus e Clitophonte).

Excidit *δεῖ* vel *δέοι* unde infinitivus pendebat.

V D *πλοῦτος δὲ τίμιον μὲν ἀλλὰ τύχης κτῆμα, ἐπειδὴ τῶν μὲν ἐχόντων πολλάκις ἀφείλετο, τοῖς δ' οὐκ ἐλπίσασι φέρουσα προσήνεγκε.*

In *ἐπειδή* quid praeterea lateat nescio, certe in ultima litera latet pronomen *ἥ*. Hoc loco recte *τίμιον* ponitur, sed absurde paulo antea (IV F) *τοὺς μηδενὸς τιμίους*.

ib. *πλοῦτος* appetitur etiam ab iis qui nihil pensi habent, a servis atque maleficis; *καὶ τὸ μέγιστον ὅτι καὶ τοῖς πονηροτάτοις μέτεστι*. Adde (*ν*) *αὐτοῦ*.

V E *εἴ τις ἐπὶ τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ φρονεῖ*. Rectissime Hirschigius supplevit *μέγα φρονεῖ*. Frequentissimum in nostro libello vitium vocabulorum a librario omissorum.

VI B *ὁρῶ δ' ἔγωγε τοὺς τοῖς συρφετώδεσιν ὄχλοις ἀρεστῶς καὶ κεχαρισμένως ἐπιτηδεύοντας λέγειν καὶ τὸν βίον ὡς τὰ πολλὰ ἀσώτους καὶ φιληδόνους ἀποβαίνοντας.*

Sensu cassa haec; sed apta nascitur sententia, si aut *καὶ*, quod post *λέγειν* legitur, deles aut ei addis *αὐτούς*: „qui dicendo appetunt gratiam intemperantis turbae hi *et ipsi* intemperantes fiunt".

VI E Ante aetatem virilem ex tempore orationem habere non oportet,

ἀλλ' ὅταν τις ῥιζώσῃ τὴν δύναμιν, τότε τοῦτον τῶν καιρῶν καλούντων ἐλευθεριάζειν τοῖς λόγοις προσήκει.

Sic editor cum Herwerdeno; in codicibus est aut solum *τοῦτον* aut solum *τῶν*. Mihi *τοῦτον* abiiciendum videtur.

VII C Gustare tantummodo puer *pulchras literas* debet, sed penitus haurire philosophiam:

ἔχω δὲ δι' εἰκόνος παραστῆσαι τὴν ἐμαυτοῦ(!) *γνώμην· ὥσπερ γὰρ περιπλεῦσαι μὲν πολλὰς πόλεις καλόν, ἐνοικῆσαι δὲ τῇ κρατίστῃ χρήσιμον· ἀστείως δὲ καὶ Βίων ἔλεγεν κτὲ.* (sequitur lepidissimum exemplum quod a procis Penelopae sumsit Bion, urbanissimus ille et lenissimus quotquot fuerunt philosophorum).

Hic post *χρήσιμον* lacunae signa ponit editor. Cur? quid, obsecro, deest vel addi possit? Si ullo laborat vitio locus, abundat *ὥσπερ γάρ*, sed hoc quoque in hac ferendum censeo disputatiuncula.

VII E Hic quoque lacunae signum tollendum censeo:

δεῖ θεοὺς μὲν σέβεσθαι, γονέας δὲ τιμᾶν, πρεσβυτέρους αἰδεῖσθαι, νόμοις πειθαρχεῖν, ἄρχουσιν ὑπείκειν

non enim video quid post *πειθαρχεῖν* inseri possit quin iusta perturbetur enumeratio.

VII F. Tam dolorem quam gaudium moderatum esse oportet

ἅπερ ἐγὼ πάντων τῶν ἐκ φιλοσοφίας περιγιγνομένων ἀγαθῶν πρεσβύτατα κρίνω.

Iam in Mnem. 1908, 215 *παραγιγνομένων* legendum esse dixi. Non enim agitur de *residuo* aliquo *lucro*, sed de praecipuis quae philosophia affert bonis.

VIII A Perfectos ego homines duco

τοὺς δυναμένους τὴν πολιτικὴν δύναμιν μῖξαι καὶ κεράσαι τῇ φιλοσοφίᾳ, καὶ δυεῖν ὄντοιν μεγίστοιν ἀγαθοῖν ἐπηβόλους ὑπάρχειν ὑπολαμβάνω, τοῦ τε κοινωφελοῦς βίου πολιτευομένους, τοῦ τ' ἀκύμονος καὶ γαληνοῦ, διατρίβοντας περὶ φιλοσοφίαν.

Quomodo haec essent in integrum restituenda dixi Mnem. 1909, 76. Primum pro *ὄντοιν* legendum est *τοῖν*, deinde, quae nunc vehementer et structuram et sententiam perturbant, abiicienda verbum *ὑπολαμβάνω* et virgula post *γαληνοῦ*. Nunc ordine procedunt omnia: „perfectos homines duco qui possunt civilem artem miscere philosophiae et (sic) duorum summorum bonorum fieri participes: vitae civibus utilis rempublicam capessendo, vitae quietae placidaeque philosophando."

ib. *τριῶν γὰρ ὄντων βίων ὧν ὁ μέν ἐστι πρακτικὸς ὁ δὲ θεωρητικὸς ὁ δ' ἀπολαυστικός, ὁ μὲν ἔκλυτος καὶ δοῦλος τῶν ἡδονῶν ζῳώδης καὶ μικροπρεπής ἐστιν.*

Mirum ni vita dissoluta et voluptatibus obnoxia turpis et feris animalibus digna sit! Sed quorsum id hic infertur? Verum post *ἡδονῶν* insere *ὤν*, ipsam scriptoris manum restitueris. Inverso enim ordine quid de singulis illis vitis censeat *et quare* censeat exponit: „ultima vita homine est indigna utpote quae dissoluta sit et voluptatibus dedita." Tum eodem modo de prioribus iudicium pronuntiat:

ὁ δὲ θεωρητικός, τοῦ πρακτικοῦ διαμαρτάνων, ἀνωφελής, ὁ δὲ πρακτικός, ἀμοιρήσας φιλοσοφίας, ἄμουσος καὶ πλημμελής.

VIII B *οὕτω Δίων ὁ Συρακόσιος, οὕτως Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος, ὧν ἑκάτερος Πλάτωνος ἐγένετο συνουσιαστής.*

Cuius sit coniectura ἄτερος, quam editor in textum recepit, nescio; falso eam Wyttenbachio adscribit. Huic enim non visum est incredibile nullo auctore puerum nostrum e Lysidis discipulo Platonis discipulum fecisse. Nec mihi.

VIII B Oportet etiam vetustorum librorum collectiones facere κατὰ τὸ γεωργῶδες. τὸν αὐτὸν γὰρ τρόπον ὄργανον τῆς παιδείας ἡ χρῆσις τῶν βιβλίων ἐστί.

Aeque absurde atque II B hic istud τὸν αὐτὸν τρόπον infertur. Hoc voluit noster: „agricola sua sibi instrumenta habet, doctrinae instrumenta sunt libri”. Tum haec addit:

καὶ ἀπὸ πηγῆς τὴν ἐπιστήμην τηρεῖν συμβέβηκεν.

De quibus emendandis Wyttenbachius desperat. Editoris coniectura ταύτης pro πηγῆς nihil proficimus. Immo quo magis locum aspicio eo certius balbutientis pueruli vocem agnosco. Hoc enim vult: qui vetustos collegit libros non solum, ut agricola agriculturae instrumenta, eruditionis instrumenta parata habet, sed etiam eruditionem ipsam eamque ex ipsis haustam fontibus.

VIII D ἰσχνὸς δὲ στρατιώτης πολεμικῶν ἀγώνων ἐθὰς ἀθλητῶν καὶ πολεμίων φάλαγγας διωθεῖ.

Editor καί transponit ante ἀθλητῶν, inutiliter, ut opinor. Una litura delenda est. Demonstrare enim noster studet bellicas exercitationes multo praestare gymnasticis: bellicis exercitationibus assuetus miles aciem hostium in palaestra excultorum perrumpet. Quam inepte ille ἰσχνός hic dicatur docebit Wyttenbachius Platonis loco allato.

VIII E Hic adversarium inducit sic suam interpellantem disputationem: o bone, de liberorum educatione te disputaturum pollicitus

ἔπειτα φαίνῃ τῆς μὲν τῶν πενήτων καὶ δημοτικῶν παραμελῶν ἀγωγῆς, μόνοις δὲ τοῖς πλουσίοις ὁ μ ο ν ο ε ῖ ς τὰς ὑποθήκας διδόναι.

Contra syntaxin editor hic ἐμμελεῖς coniicit, nam sic simul pro διδόναι requireretur διδούς.

Equidem ὁμολογεῖς legendum censeo: „ipse hoc vel invitus fateris tota tua disputatione quae tantummodo ad opulentos pertinet”. Hoc noster utcunque dicentem facit adversarium istum.

VIII F Oportet pueros ad virtutem ducere

παραινέσεσι καὶ λόγοις μὴ μὰ Δία πληγαῖς μηδ' αἰκισμοῖς.

Ioculare vitium. Quis sic admonitiones et verba inter se opponit? Quasi vero non *verbis* admoneamus!

Legendum esse ψόγοις iam dixi Mnem. 1909, 161.

IX B Ἤδη δέ τινας ἐγὼ εἶδον πατέρας οἷς τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη. τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν ἵνα τῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον;

Primum, ne quis putet apud nostrum παράδειγμα aliud quid significare quam apud ceteros mortales omnes (quid enim de eo suspicari nefas?) aspiciamus locum qui est X B. Ante omnia haec adolescentem meditari oportere dicit τὸ τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν, τὸ τὴν γλῶτταν κατέχειν, τὸ τῆς ὀργῆς ὑπεράνω γίγνεσθαι, τὸ τῶν χειρῶν κρατεῖν, atque sic pergit: τούτων ἕκαστον ἡλίκον ἐστὶ σκεπτέον· ἔσται δ' ἐπὶ παραδειγμάτων γνωριμώτερα. Postremo inverso ordine *exempla* dat hominum qui ea praecepta aut fideliter observarunt aut non observatis graves dederunt poenas: Gylippus in peculatu deprehensus in exsilium est missus; Socrates noluit in ius vocare petulantem adolescentem a quo calce erat petitus ne similis esset eius qui asino calcitranti et ipse calcem impingeret, atque aequo animo Aristophanis tulit iocos; Archytas et Plato, quia se iratos esse sentiebant, ipsi poenas sumere nolebant; Sotades et Theocritus a tyrannis, quibus maledixerant, gravissimis sunt poenis affecti. In transitu, ut appareat e quo genere hic scriptor sit, moneo eum ultima haec exempla hisce praemissis afferre: τὸ τοίνυν τῆς γλώττης κρατεῖν (περὶ τούτου γὰρ εἰπεῖν λοιπόν). At, o bone, etiam superest dicere περὶ τοῦ τὸν βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν. Nonne meministi? An non te pudet libellum tam negligenter scriptum tradere magistro? Esto: apud eum παραδείγματα sunt *exempla*, quae possint secum trahere vel deterrere legentes. At nullum affert exemplum hominis qui nimio amore verum amorem pessumdedit. Accedit quod vel sic ineptissime articulus τῷ additur. Opinor nunc satis manifestum esse mendo laborare locum et pro ἵνα τῷ legendum esse aut ἵνα μή aut ἤ („an exemplo rem illustrem?" Talibus interrogationibus delectatur rhetoris hic discipulus).

IX D αὐτοὶ ... οὔτ' αὐτόπται γίγνονται. Hoc est Graece scribere!

X A οὐ γὰρ τὸ νικᾶν μόνον ἀλλὰ καὶ τὸ ἡττᾶσθαι ἐπίστασθαι καλὸν ἐν οἷς τὸ νικᾶν βλαβερόν, ἔστι γὰρ ὡς ἀληθῶς καὶ νίκη

Καδμεία. Sic ne noster quidem potuit scribere. Quis enim dubitat quin sit (fuerit) quaedam victoria Cadmea? Leni transpositione sanum sensum restitui Mnem. 1909, 66: ἔστι γὰρ ἐν οἷς τὸ νικᾶν βλαβερὸν ὡς ἀληθῶς καὶ νίκη Καδμεία.

X C Nullus liber tam ineptus est quin suos sibi sciolos sit nactus qui suis annotationibus eum aliquanto ineptiorem facerent. Velut hic post decantatam illam sed tamen lepidissimam narratiunculam de Socrate, qui adversarium suum cum asino calcitrante comparavit, haec legimus absurdissima:

οὐ μὴν ἐκεῖνός γε π α ν τ ε λ ῶ ς (!) κατεπροίξατο, πάντων δ' αὐτὸν ὀνειδιζόντων κ α ὶ λ α κ τ ί σ τ η ν ἀ π ο κ α λ ο ύ ν τ ω ν ἀπήγξατο. Quae etiamsi minus inficeta essent, tamen huc haudquaquam quadrarent.

X E περὶ τούτου γάρ, ὥ σ π ε ρ ὑπεθέμην, εἰπεῖν λοιπόν. Immo ὧνπερ: hoc reliquum ex iis rebus de quibus dicere in animo habui.

X. F ἐπὶ τὴν τῶν ἀνθρωπίνων μυστηρίων πίστιν τὸν ἀπὸ τῶν θ ε ῶ ν μεταφέρωμεν φόβον.

Dixi in Mnemosyne 1908, 395 θείων esse legendum, neque nunc verbum addo.

XI B Theocritus haud impune tulit quod maledixerat Antigono regi:

τὸν γὰρ ἀρχιμάγειρον Εὐτροπίωνα γεγενημένον ἐν τάξει πέμψας παραγενέσθαι πρὸς αὐτὸν ἠξίου (Antigonus) καὶ λόγον δοῦναι καὶ λαβεῖν.

Hiatibus vitandis puerulus noster dat operam, sed quam inepte! Etenim illud πρὸς αὐτόν iungendum est cum πέμψας.

XII B Inter gravia adultorum peccata commemorantur etiam γυναικῶν οἰκοφθορίαι γαμετῶν. Vide mihi quomodo ipsum sermonem patrium ludibrio habeat noster. Non facile alibi sic οἰκοφθορίαι positum videbis. Quemadmodum enim e proxime praecedenti παρθένων ἔρωτες apparet nihil aliud vult quam hoc: „nuptae corumpuntur, ad adulterium aguntur".

XII E Praeceptum Pythagoricum μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον sic explicat: ὅτι δεῖ τὸν βίον ἐπιτηδεύειν καὶ μ ὴ δ ε ῖ ν δ ε σ μ ῷ π ρ ο σ ά π τ ε ι ν. Locus conclamatus, cui nihil profuit editoris coniectura ὡς μὴ δεῖν αὐτόν. Non enim ea verba traditis magis perspicua.

XIII A Pessimum mortalium genus sunt adulatores; miseros

enim et patres reddunt et filios *τῶν μὲν τὸ γῆρας ἐπίλυπον τῶν δὲ τὴν νεότητα ποιοῦντες, τῶν δὲ συμβουλευμάτων δέλεαρ ἀφύλακτον προτείνοντες τὴν ἡδονήν.* Secundum *τῶν δέ* oscitanti debetur librario. Rescribe *ἀντί* (Mnem. 1909, 161).

XIII B Adulatores et aliis criminibus notantur et hoc ut dicantur *καὶ ψυχῆς ὑποβολιμαῖα καὶ νόθα μέρη βίου.* Isto *ψυχῆς* quid faciam nescio. In *καὶ ψυχῆς* latere suspicor genitivum alicuius adiectivi. Nihil proficimus Wyttenbachii lectione *τύχης* vel editoris *ψευδῆ καί.*

XIII C Notetur adiectivum *ἀνθρώπινος* sensu humani, lenis, clementis positum.

CAPUT II.

QUOMODO ADOLESCENS POETAS AUDIRE DEBEAT.

Immo vero *q. a. poetas* l e g e r e *d.* Recte enim Wyttenbachius docet utrumque significare verbum *ἀκούειν*, nec minus recte me literis admonuit Naberus sermoni Graeco deesse verbum quod plane respondeat latino verbo *legendi*; *ἀναγιγνώσκειν* enim esse „clara voce recitare". Quamquam interdum tamen (raro fortasse) is quoque dicitur *ἀναγιγνώσκειν* qui tantummodo mente oculisque scripta contemplatur silens; sic Philippus aulicum Aethiopem in rheda sedentem rogat: *ἆρα γιγνώσκεις ἃ ἀναγιγνώσκεις*; Utut est, hic certe *ἀκούειν* est *legere* et nihil aliud.

Quomodo sunt legendi poeta? Nostrae aetatis aliquis respondeat: „ita ut eos *intelligas*, quid sibi velint perspicias, unde materiem suam sumpserint aliaque ex eo genere". Non ita Plutarcho visum. Nam quicunque eius Moralia ita disposuit ut nunc habemus, interdum eum vocabulis tantummodo adhaesisse et vanam speciem esse secutum nusquam magis quam hic apparet. Iunxit enim inter se libros: de puerorum educatione, de adolescente poetas „audiente", de recta ratione audiendi. De hoc postea videbimus; sed priores illi revera toto coelo, ut aiunt, inter se distant. Illic vidimus adolescentulum periodos suas et sentiolas anxie limantem, ut satis mirari non possis unquam eius meditatiunculam Chaeronensi esse adscriptam doctori; at hic, si usquam alibi,

ipsum habemus Plutarchum, qui cetera omnia negligit et nihili facit, hoc unum quaerit quo modo res, de qua agitur, ad *mores* hominum *emendandos* adhiberi possit. Sic natus est libellus, quem non solum doctus aliquis philologus indignabundus abiiciat e manibus, sed etiam is qui decantatum illud „artem artis, scientiam scientiae causa esse colendam'' tamquam summae sapientiae decretum in ore habere solet. Nam licet noster acuminis habeat satis ut artificis esse perspiciat *bene imitari* non *imitari bonum*, sponte illud missum facit ut e quovis poetae loco utile aliquod trahat praeceptum. Cui enim, ut hoc unum afferam, in mentem venire possit, notum illum in tertio Iliadis libro locum de Paridis et Helenae colloquio documento esse neminem nisi ignavum uxorem suam interdiu amplexari? Cui nisi qui hoc semper et ubique sibi habet propositum ut meliores reddat legentes audientesque? Quamquam ne severiores quidem et doctiores inter veteres philosophi semper ab hoc consilio abhorruisse videntur. Sic, id quod et alibi apud Plutarchum legimus, non avaritia sed prudentia ductum, Agamemnonem militiae dedisse vacationem homini pecunioso, a quo equum bellatorem accepisset, pluris enim in proelio esse equum strenuum quam mollem et delicatum virum, hic *Aristotele* auctore refertur (32 F), et fortasse etiam illud quod continuo sequitur de Achille non obtemperante matri ἐφ' ἡδονὰς παρακαλούσῃ. Sed Aristoteles, ut opinor, raro tantummodo eiusmodi rationem est secutus, at noster „mentium medicus'' totum Homerum suo inservire proposito cogit. Et respuit quidem Stoicas illas allegorias, quae proprie sic dicuntur, quibus „fabula ad physicam rationem redigitur'' (Wytt.), sed quas ipse adhibet interpretationes non minus sunt violentae. Quid quod (p. 33 C seq.) palam monet ut ne interpolare quidem textum vereamur, dummodo locus aliquis ita moribus nocere desinat. Et in hoc quidem praecepto gravissimos habet auctores, Stoicum alterum, alterum Cynicum, sed etiamsi nullos habuisset, vita magistra idem eum docuisset. Quid enim, Plutarcho iudice, prae virtute doctrina atque ipsa veritas?

Esto, unus hic libellus minus sexaginta paginarum totum nobis Plutarchum ponit ante oculos. Hoc non tam facile statuas utrum *audituris* an *lecturis* sit compositus. Sed illud putaverim. Quamquam enim pleraque Plutarchi scripta utrique rei apta

videri possunt, hoc tamen quaedam habet audientibus quam legentibus placitura magis. Neque hoc me movet quod nullo flosculo oratorio liber clauditur, quod nullam habet „perorationem" (ut loquuntur Franco-Galli): saepe hoc non sine aliqua admiratione observas ipsos illos libros qui prae ceteris Plutarcheam produnt mentem indolemque semper sic subito abrumpi; sic secum loqui auctor videtur: „haec iam sufficiunt, haec si homines curae meae commissi secuti erunt, bene habebit". Fortasse nonnumquam eundem librum ut et ab aliis legeretur et ab ipso in municipali contione pronuntiaretur composuit; satis bonum oratorem fuisse Plutarchum opinor ut ubi opus esset ex tempore clausulam aliquam rhetoricam posset addere. Sed hic certe *auditores* cogitavit. Auribus enim aptus est flosculus ille de Ulyssis comitibus Sirenas non audientibus, quia cera oppletas habebant aures et ipsum Ulyssem sine periculo eas audiente quia malo erat alligatus, quo corrector sic utitur ut ... „declamet" paene dixerim, nisi nefas videretur declamantem inducere Plutarchum (p. 15 D):

„utrum ergo iubeamus iuvenes aures dura illa et inexorabili Ithacensium cera opplere et sic sublato maximo Epicureorum velo omnem fugere et vitare poesin, an eos tamquam malo rectae alligatos rationi ad optima quaeque dirigamus?"

Et haec quidem cum leni quadam audis voluptate. Quis vero non ex animi sententia plaudat oratori, *sub finem* disputationis (35 F sqq.) gravissime simulque facundissime demonstranti tam profundum inter veram sapientiam et vulgares hominum opiniones hiare gurgitem ut qui subito ab his ad illam ducatur stuporis plenus et formidinis refugiat, necesse ergo esse ad hoc spectaculum parari animos, neque melius parari posse quam si iam in poetis legendis philosophica quodammodo uti ratione assueverint? Sed hic ipse Plutarchus nobis *audiendus* est: fieri non poterit quin sincera nos impleant admiratione verba eius, illa praesertim quibus hominum falsas de divitiis, de gloria, de labore, de virtute, de vita et morte exagitat sententias (36 E).

Sed iam ipsum percurramus libellum, videamusque lateatne hic illic vitium quod leni possimus sanare emendatione. Simul indicabimus locos quos emendandos aliorum relinquimus acumini.

14 F Aures ab oppugnantibus sunt defendendae voluptatibus.

Neque enim clausae urbem satis muniunt ceterae portae, si una recipiantur hostes

οὔτε νέον αἱ περὶ τὰς ἄλλας ἡδονὰς ἐγκράτειαι σῴζουσιν, ἄν γε δι' ἀκοῆς λάθῃ προέμενος αὐτόν.

Ut et sententiae et imaginis ratio constet, τῇ est legendum pro γε.

15 F Lepide prudens noster mentium medicus reprehendit Lycurgum qui vites exstirpaverit, cum potius aqua eodem fuisset adducenda qua vinum misceretur. „Sic nos" ait „ne totam exstirpemus poesin" sed

ὅπου μὲν ὑφ' ἡδονῆς ἀκράτου πρὸς δόξαν αὐθάδως θρασυνόμενον ἐξυβρίζει καὶ ὑλομανεῖ τὸ μυθῶδες αὐτῆς

illud compescamus. Nihili est istud πρὸς δόξαν, quod et omittit interpres Didotianus. Legendum suspicor παρὰ δόξαν: praeter opinionem et saepe invito poeta nimis luxuriat carmen.

ib. Quemadmodum mandragoras prope vites consitus vinum lenius reddit

οὕτω τοὺς λόγους ἡ ποίησις ἐκ φιλοσοφίας ἀ ν α λ α μ β ά ν ο υ σ α μ ι γ ν υ μ έ ν ο υ ς πρὸς τὸ μυθῶδες

ad discendum suaviores facit. „*Desumens* doctrinam *eamque* fabulis *permiscens*" Didotianus ait, et certe hoc requiritur, sed Graece sic dicendum erat: ἀναλαμβάνουσα καὶ μιγνῦσα, atque ita Plutarchum scripsisse opinor.

16 F *Claudit* enumerationem rerum *consulto* a poetis fictarum, transitque ad ea quae *inviti* mentiuntur:

τοιαῦτα γάρ ἐστιν ἃ πλάττουσιν ἑκόντες οἱ ποιηταί· πλείονα δ' ἃ μὴ πλάττοντες κτέ.

In hac formula claudendi et transeundi pro τοιαῦτα γάρ ἐστι legendum est: τοιαῦτ' ἄρ' ἐστι.

17 B πάλιν αἱ περὶ τὰς νεκυίας τερατουργίαι . . . οὐ πάνυ πολλοὺς διαλανθάνουσιν ὅτι τὸ μυθῶδες α ὐ τ ο ῖ ς πολὺ . . . ἐγκέκραται.

Quibus, obsecro? Ipsis illis narrationibus fabulosis (τερατουργίαις). Lege ergo αὐταῖς.

17 F ἔτι δὲ μᾶλλον ἐ π ι σ τ ή σ ο μ ε ν αὐτὸν (sc. iuvenem lectorem) ipsius poesis natura describenda.

Locis, quibus Wyttenbachius huius verbi vim usumque illustrat, dissertissimus hic ex ipso hoc libello erat addendus (32 B): ἐφιστάντα τοῖς οὕτω λεγομένοις.

18 E Inter tragoediae praecepta prava sed apta loquentibus et hoc affert.

τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο
τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἔνθα κερδανεῖς.

Arena sine calce; sed scribe *κερδανεῖ*, iniusti habebis philosophiam aptissime enuntiatam: „sume iusti speciem sed revera imitare eum qui nihil, unde lucrum expectat, facere vereatur."

19 F Ineptae istae Stoicorum allegoriae

μοιχευομένην φασὶν Ἀφροδίτην ὑπ' Ἄρεος μηνύειν ὅτι τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἀστέρι συνελθὼν ὁ τοῦ Ἄρεος μοιχικὰς ἀποτελεῖ γενέσεις.

Nunc locus quam maxime perspicuus: „Veneris Martisque adulterium *significat* e. q. s." Sat notus hic verbi *μηνύειν* usus (conferri potest 165 B τὴν δεισιδαιμονίαν μηνύει καὶ τοὔνομα δόξαν ἐμπαθῆ οὖσαν), sed sciolus in errorem inductus iis quae statim ad reliquam fabulam illustrandam adduntur: „sed Sol illud collustravit", addidit Ἥλιον post *μηνύειν* et sic omnia corrupit (v. Mnem. 1908, 395).

20 Citharistam apud Homerum Ulysses sic alloquitur:

ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον

καλῶς ὑφηγούμενος τὸ παρὰ τῶν φρονίμων χρῆναι λαμβάνειν τοὺς μουσικοὺς τὰς ὑποθέσεις.

Quantocius hinc *τό* facessat.

20 C. Philosophi in docendo utuntur exemplis ex ipsa historia sumptis

οἱ δὲ ποιηταὶ τ α ῦ τ α ποιοῦσι πλάττοντες αὐτοὶ πράγματα καὶ μυθολογοῦντες.

Ecquid *ταὐτά*? Fingendo poetae *eodem* perveniunt.

ib. Poetae non magnum moribus afferunt periculum quoniam ipsi sibi contradicunt:

ὅπου μὲν οὖν α ὐ τ ο ῖ ς τὸ τιθέναι σύνεγγυς ἐκφανεῖς ποιεῖ τὰς ἀντιλογίας δεῖ τῷ βέλτιονι συνηγορεῖν ... ὅσα δ' εἴρηται μὲν ἀτόπως εὐθὺς δ' οὐ λέλυται

ea refutare oportet iis quae alio loco in contrariam sententiam dicta sunt.

Ecquid perspicuum est hic *αὐτό* requiri? Ubi contradictiones *ea ipsa re* quod poeta illos versus inter se proximos fecit palam fiunt.

Illud „refutare iis quae alio loco in contrariam sententiam

dicta sunt" sic enuntiatur: *τοῖς ἀλλαχόθι πρὸς τοὐναντίον εἰρημένοις ἀνταναιρεῖν.* E praecedenti *ἐναντίον* male hic praepositio adhaesit. Lege *ἀναιρεῖν* delere, tollere.

22F Saepe turpem versum meliorem potes reddere aliquo vocabulo in aliam sententiam detrahendo *ὡς οἱ γραμματικοὶ διδάσκουσιν, ἄλλο πρὸς ἄλλην δύναμιν λαμβάνοντες.*

Immo *ἄλλοτε*: *idem* vocabulum modo sic modo aliter accipiunt.

23D Cum Homerus dicit „Iovis consilium fuit multos homines interire" *τὴν εἱμαρμένην* eo nomine significat: *οὐ γὰρ τὸν θεὸν ὁ ποιητὴς οἴεται κακὰ μηχανᾶσθαι τοῖς ἀνθρώποις ἀλλὰ τὴν τῶν πραγμάτων ἀνάγκην ὀρθῶς ὑποδείκνυσιν, ὅτι καὶ πόλεσιν καὶ στρατοπέδοις καὶ ἡγεμόσιν, ἂν μὲν σωφρονῶσιν, εὖ πράττειν πέπρωται κτέ.*

Nisi *ὀρθῶς* esset additum, haec probarem: non Iovem sed necessitatem significat, quae hoc habet quod (*ὅτι*) e. q. s., ut *ἀνάγκην* et *ὅτι* quam artissimo inter se coniungantur vinculo. Nunc post *ἀνάγκην* virgula et coniunctio *καί* ponendae videntur.

24B *οὕτω δὴ τὰ πολλὰ τῶν ἀτόπως περὶ τοῦ Διὸς λέγεσθαι δοκούντων ἐπανορθωτέον ... ὡς περὶ τῆς τύχης ἢ τῆς εἱμαρμένης λεγομένων, ἐν αἷς τὸ ἀσυλλόγιστον ἡμῖν τῆς αἰτίας σημαίνεται καὶ ὅλως οὐ καθ' ἡμᾶς.*

Unde editor illud *σημαίνεται*, quod neque apud Wyttenbachium neque in Didotiana legitur, habeat non apparet. Lubenter tamen supplementum illud recipio, dummodo simul pro *αἷς* legatur *οἷς* (in quibus locis, versibus). Iungenda autem verba sic: *σημαίνεται τὸ ἀσυλλόγιστον καὶ ὅλως οὐ καθ' ἡμᾶς*: significatur in illis versibus id quod ratione assequi non possumus et quod humanae prudentiae modum excedit.

24D *ἐπεὶ γὰρ οὐ μόνον ἔμφρονας παρέχεται καὶ δικαίους καὶ ἀγαθοὺς ἐν πράξεσι καὶ λόγοις* (*ἡ ἀρετή*), *ἀλλὰ καὶ δόξας ἐπιεικῶς καὶ δυνάμεις περιποιεῖται, παρὰ τοῦτο ποιοῦνται καὶ τὴν εὐδοξίαν ἀρετὴν καὶ τὴν δύναμιν,* fructum eodem quo arborem nomine designantes.

Rectissime editor a Reiskio alterum *τὴν* recepit et post *δύναμιν* posuit virgulam. Sed de *ποιοῦνται* dubito, videturque solito in Plutarchi textu vitio e vicinis medii formis natum, cum verum sit *ποιοῦσι.*

24 E Fructus autem virtutis non ipsa virtus in iis versibus nomine *ἀρετῆς* designatur, ubi eam fortuna praebere dicitur. Quos audiens iuvenis ne putet *ἐπὶ τῇ τύχῃ κεῖσθαι τὴν αὐτοῦ Φρόνησιν αὔξειν ἢ κολούειν.*

Hic *Φρόνησις* ipsam virtutem significat, quae revera sapientia quaedam est. Sed non de illius, ut opinor, tantummodo hic virtute sermo, qui eum versum legit auditve, sed de universa omnium. Natum est ineptum istud *αὐτοῦ* ex *ἀ͞ν͞ο͞υ* (i. e. *ἀνθρώπου*). v. Mnem. 1909, 201.

25 E Scire iuvenem oportet Homericos heroas non esse sapientes Stoicos, aut magnum capiet damnum omnia eorum facta admirans *μὴ δυσχεραίνων δὲ μηδὲν μηδ' ἀκούων μηδ' ἀποδεχόμενος τοῦ ψέγοντος αὐτοὺς τοιαῦτα πράττοντας καὶ λέγοντας.*

Facessat hinc *μηδέ* quod ante *ἀκούων* legitur: damnum capiet iuvenis qui nihil eorum *quae legit* improbat neque ei fidem habere vult qui prava heroum dicta factave reprehendit.

26 A Exemplis quibusdam ex Homero allatis prave dictorum factorumque sic pergit: *μηδὲν οὖν ἐπαινεῖν ἐθιζέσθω τοιοῦτον ὁ νέος, μηδὲ προΦάσεις λέγων μηδὲ παραγωγάς τινας εὐπρεπεῖς ἐπὶ πράγμασι Φαύλοις μηχανώμενος πιθανὸς ἔστω καὶ πανοῦργος.*

Nimis languidum istud *λέγων*, exspectes participium quod eandem fere vim habeat atque *μηχανώμενος*. Sed exstat et altera lectio *λόγων*, non commemorata ab editore, quam minime spernendam Wyttenbachius censet. Cui lubenter assentior, dummodo locum mutet. Legendum enim post *εὐπρεπεῖς* istud *λόγων* censeo. Tum belle inter se respondent *λόγων* et *πράγμασι*: ne quaerat iuvenis, cum male *facta* narrantur, speciosas *verborum* in aliam sententiam traductiones. Vox *προΦάσεις* sola stare potest, sed *παραγωγάς* suum sibi *λόγων* tantum non flagitat.

26 B Non oportet in Homericis heroibus omnia probare et admirari tamquam si dii immortales essent *ἀλλὰ θαρραλέως ἐθιζόμενον ἐπιΦωνεῖν μηδὲν ἧττον τοῦ „ὀρθῶς" καὶ „πρεπόντως" τὸ „οὐκ ὀρθῶς" καὶ „οὐ προσηκόντως".*

Non concoquo istud *ἐθιζόμενον* sed aut delendum aut *ἀλλ' ἐθίζεσθαι θαρραλέως ἐπιΦωνεῖν κτέ.* censeo. Nihil praesidii lectioni traditae est in 28 C *ἂν μὴ πρὸς ἕκαστον αὐτῶν εἰθισμένοι λέγωμεν.* Recte enim ibi participium *perfecti* habet.

26 E Phoenix se in eo fuisse ut suum ipse patrem occideret narrat. ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχος ἐξεῖλε ταῦτα τὰ ἔπη φοβηθείς· ἔχει δὲ πρὸς τὸν καιρὸν ὀρθῶς.

Verbum φοβηθείς non intelligo; excidisse puto aliquod eius obiectum, cui deinde recte καιρόν opponatur.

27 C Si avaritia ductus Ulysses gaudet donis quae Penelopae proci dant, contemptu hominum dignus est, sin ita putat eos necopinato a se oppressum iri λόγον ἔχει τὸ ἡδόμενον αὐτῷ καὶ θαρροῦν.

Immo αὐτοῦ. Participia illa substantivorum vim habent, ut saepe apud Plutarchum.

28 F Solet Sophocles ἀτόποις πράγμασι λόγους ἐπιγελῶντας ... πορίζειν.

Vereor ut Wyttenbachius istud ἐπιγελῶντας bene a Reiskii defenderit dubitationibus afferendo ex 28 A μηδὲν οὖν τούτων κομψὸν ἡγεῖσθαι καὶ πανοῦργον ὁ νέος ἐθιζέσθω. Nam aptissime inter se iunguntur „lepidam aliquam rem putare" et „alicui rei arridere", sed λόγοι πράγμασιν ἐπιγελῶντες qui sint haud facile dicas. Reiskius coniecit ἐπιεικεῖς, quo nihil melius τῷ ἀτόποις opponitur.

30 F Dictum quoddam Ulyssis apud Homerum recte intellectum ἐμπαθῆ ποιήσει πρὸς ἀρετὴν τὸν νέον· καὶ τῷ

χαῖρε δ' Ἀθηναίη πεπνυμένῳ ἀνδρὶ δικαίῳ

τοιοῦτον ἐπιλογισμὸν δίδωσι (deum non forma vel divitiis sed tantummodo iustitia et sapientia delectari).

Immo δώσει. Sic simul apparet quod eius verbi sit subiectum.

21 E Ridicula Chrysippi interpretatio qua εὐρύοπα sit τὸν δεινὸν ἐν τῷ διαλέγεσθαι καὶ διαβεβηκότα τῇ δυνάμει τοῦ λόγου sic est accipienda ut philosophus illud εὐρύ dictum putet de eo qui εὖ διαβὰς μένει ποσὶν ἀμφοτέροισι!

En sapientiam quam summo iure prudens noster mentium medicus spernit ridetque.

33 C Cleanthes et Antisthenes apte παραδιορθώσεις adhibuerunt, ὁ μὲν εὖ μάλα τοὺς Ἀθηναίους ἰδὼν θορυβήσαντας ἐν τῷ θεάτρῳ

τί δ' αἰσχρὸν εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ;

παραβάλλων εὐθὺς

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

Legentium nemo tam turpiter indoctus est ut docendus etiam sit hos *senarios* esse ex aliqua tragoedia; quid quod solum θορυβήσαντας iam plane supervacaneum reddit istud ἐν τῷ θεάτρῳ. Sed gravius hoc vitium quod versus citatus nullo vinculo praecedentibus adnectitur, quo fit ut *ipsi spectatores* videantur magno clamore rogasse τί δ' αἰσχρὸν κτέ. Vitium autem peperit vitium. Scripsit enim Plutarchus ἐπὶ τῷ quod cum nescio quo casu in ἐν τῷ esset corruptum, sciolus θεάτρῳ supplevit scilicet. Mnem. 1909, 201.

34 C Dictum vere sapiens etiam ad alia quae non nominantur transferri potest, ergo iuvenes assuefacere debemus τὴν κοινότητα συνορᾶν καὶ μεταφέρειν ὀξέως τὸ οἰκεῖον.

Immo πρὸς τὸ οἰκεῖον. Cito perspiciat iuvenis si quod dictum late pateat, ideoque illud *in proprium usum* convertat eoque morbum sanet quo laborat ipse.

34 F Contumelia est, non laus τὸ Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, itemque „τὸ χρήμασιν ἄριστε" καὶ „παισὶν ἢ ὑποζυγίοις ἄριστε" καὶ νὴ Δία τὸ λέγειν ἐφεξῆς „ἄριστε".

Ain vero, contumeliane aliquem afficis si ei ἄριστε, ἄριστε, ἄριστε acclamas? In Mnem. 1909, 236 legendum esse demonstravi „τῷ λέγειν ἐφεξῆς ἄριστε" et tum quidem vehementer illa emendatione scilicet delectabar, neque nunc quin unice verum sit illud τῷ λ. ἐ. ἀ. dubito, sed non est emendatio. Sic enim iam Wyttenbachius edidit ex omnibus, ut opinor, quos notos habebat, codicibus: de varia enim lectione nihil tradit. Sed se verba illa, iam recte Xylandro aliisque versa, non intelligere aut fatetur aut simulat. Sunt tamen admodum perspicua: λέγειν ἐφεξῆς est „continua oratione uti", neque multum differt quod alibi (788 D) dicitur ἀπνευστὶ λέγειν. Iam quod additur νὴ Δία egregie rem illustrat: tum enim ponitur si praeter exspectationem alicui enumerationi denique et illud adiicitur quod primo aspectu longe alius videtur esse naturae. Sic nunc facundiae quaedam species rebus adnumeratur vilibus quales sunt pecunia, epulae, servi, iumenta. Memini me meam emendationem ostentare duobus amicis Graece perdoctis, sed alter se quid mihi vellem non intelligere clamabat, alter temeritatem meam urbane ridebat. Postea Wyttenbachii annotationibus diligenter excussis expertus sum bene a Francogallis moneri: „optime ridere si vis, rideas fac

ultimus". Sed simul tum magis quam antea sum expertus quam tenaciter plerique tueantur quidquid videatur traditum, etiamsi nusquam traditum sit.

35 E *καθάπερ γὰρ οἱ τὰ ἱμάτια μαστιγοῦντες οὐχ ἅπτονται τοῦ σώματος, οὕτως οἱ δυστυχίας τινὰς ἢ δυσγενείας ὀνειδίζοντες εἰς τὰ ἐκτὸς ἐντείνονται.*

Ultima Didotianus sic vertit: „exteriora verberant". Atque eo hic opus est, sed num Graece id sic dicitur, an, nescio quo casu, *ἐντείνονται* ex *ἐντείνουσι πληγάς* natum est?

36 B Si quid apud poetam legitur quod moribus utile videri possit, protrahendum est aliquod philosophi dictum quod eandem habeat vim et philosopho illi suus inventi reddendus honor. Multis eius rationis allatis exemplis sic Plutarchus pergit: *ἐπιρρητέον δὲ καὶ τῷ τοῦ Αἰσχύλου*

θάρσει· πόνου γὰρ ἀκρὸν οὐκ ἔχει χρόνον

ὅτι τοῦτ' ἐστὶ τὸ παρ' Ἐπικούρου θρυλούμενον ἀεὶ καὶ θαυμαζόμενον, ὡς „οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν".

Satis insolite adhibita hic praepositio *παρά*, recte tamen. Haec enim est sententia: „quod, ab Epicuro profectum, semper nobis decantatur". Sed *τοῦ Αἰσχύλου* eximendum est. Quo argumento hoc dicam quaeris. Lege ergo quae continuo sequuntur:

ὧν τὸ μὲν εἴρηκεν ὁ Αἰσχύλος ἐναργῶς τὸ δὲ τῷ εἰρημένῳ παρακείμενόν ἐστι

concedes semel tantummodo, idque secunda sede, poetae nomen esse ponendum. Et est hic libellus, si quis alius Plutarchi, venuste et accurate scriptus. Vox *παρακείμενον* autem „simile, cognatum atque *consequens*" significat. Semel tantummodo apud Plutarchum eo sensu legitur.

36 C Citatur et hic locus Euripidis tamquam plenus sapientiae philosophicae:

τιμᾶν τὰν τέτασθε, πλούτῳ δ' ἀρετὰν κατεργάσασθαι δοκεῖτ', ἐν ἐσθλοῖς δὲ κάθησθ' ἄνολβοι

sic fere eduntur verba saepe tentata, quae neque ipse mihi in integrum posse restituere videor. Aliquid tamen lucis in hac caligine cerno. In initio mihi latere videtur

τί μάταν τέτασθε

hoc sensu: „quid frustra contenditis". Cf. Quom. quis 79 F:

τὸ προσέχειν καὶ τετάσθαι τὴν αἴσθησιν. Iam habemus versum satis dulcem:

τί μάταν τέτασθε πλούτῳ δ'

sequiturque alter huic similis aptamque praebens sententiam

ἀρετὰν κατεργάσεσθαι.

Clauditur autem stropha verbis

κάθησθ' ἄνολβοι

eodem metro quod notum praesertim ex Anacreonteo

μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις

(cf. Eur. Bacch. 525 sq. *ἴθι, Διθύραμβ' ἐμὰν ἄρσενα τάνδε βᾶθι νηδύν,* Ar. V. 299 *μὰ Δι' εἰ κρέμαισθέ γ' ὑμεῖς*). Quae inter *κατεργάσεσθαι* et *κάθησθε* etiam requiruntur *verba* non praesto, sed de eorum sententia (vos putatis, inter bonos) dubitari non potest. Denique apponere lubet lepidissimam Grotii versionem:

utcunque honorum lumine fulgidi,
speratis auri subdere copia
vos posse virtutem. Bonorum
iudicium miseros vocabit.

Melius tamen colorem pristinum servare videtur vernacula mea:

woudt gij 't met uw rijkdom winnen, arme zielen, van de deugd?
ach gij weet niet dat de vrome ..... medelijden met u heeft!

36 F Sic fere decurrit disputatio: domi puer de divitiis, honore, virtute, vita et morte insanas accepit opiniones a nutrice, a matre, quin etiam ab ipso patre; ad philosophum adductus prorsus contraria audiet; non ergo subito eo est adducendus ne plane perturbetur, quemadmodum neque eum qui diu sedit in densis tenebris statim in claram solis lucem protrahimus. Sic ne caecum nostrum puerum reddat philosophiae fulgor, prius eam adspicere debet *οἷον ἐν νόθῳ φωτὶ κεκραμένης μύθοις ἀληθείας αὐγὴν ἔχοντι.* Quo iure hic poesis cum *adulterina* luce comparetur non video. Neque credo hoc voluisse Plutarchum. Quamvis enim magni faciat philosophiam, poesis ei non sordet; haec quoque, eo iudice, lucem afferre menti poterit, sed eam *lenem, mitigatamque.* Hoc habebis, si pro *νόθῳ* legeris *νωθρῷ*. Prorsus eodem modo in initio huius libelli ea voce usus est (15 A), ubi inter se opponit *τὸ νωθρόν* et *τὸ σφοδρὸν καὶ δεδορκός.*

DE RECTA RATIONE AUDIENDI.

Gr. *περὶ τοῦ ἀκούειν*. Hic certe *ἀκούειν* stricto sensu *audire* est. Cum *auditoribus* nobis res est, sedentibus in aliqua *contione*, cum *oratore* recitante quae auribus accipiantur. Atque hanc quidem orationem Plutarchus postea chartae mandavit unius hominis causa, Nicandri, sed coram haud parva, ut opinor, hominum multitudine eam habuit. Hoc unum quaeritur quorum hominum illa fuerit. Discipulorumne? Hoc dixeris quia tam saepe agitur de adolescentibus qui monentur quidem et ad virtutem ducuntur etiam, sed praecipue tamen iis ornantur instruunturque rebus, quae communi *philosophiae* comprehenduntur nomine. De *adolescentibus* audimus, acutis tardisque, de eorum studiis meditationibusque, de argumentis quae iis dantur tractanda, de quaestionibus quas ipsi proponunt, de rebus nominibusque iis ediscendis. Sed multa alia cognoscimus quae nobis in mentem vocent conventus hominum non minus magnos et ne minus quidem turbulentos quam illi sunt in quibus prodeunt scenici et saltatores. Multiplex adest auditorum genus quorum suos quisque habet affectus, virtutes, vitia. Inter illos etiam alii sedent oratores, fama eloquentiae nobiles, qui nihil magis metuunt quam ne sua obscuretur gloria a novo competitore, qui corporis motu nutuque capitis levissimo vel adhortantur dicentem incitantque vel plane deiiciunt mutumque reddunt. Unum tamen omnes inter se commune habent, et hoc prae ceteris consilio conveniunt, ut *mores* sui emendentur, ut ad veram sibi virtutem muniatur via. Quid quod ipse quoque orator id spectat. Certe spectavit Plutarchus noster, amabilis ille senex ab omni arrogantia alienus. Corrigi cupiunt, atque, ut pulchra illa utar metaphora, quae saepe de *contionibus sacris* adhibetur, *aedificari*. An non illud nobis consilium ante oculos ponunt pulcherrima illa verba quibus clauditur praeclarus ille locus de philosopho et sophista (p. 43F): „sophista" sic fere ait „cum semel de suo desendit suggestu, nihil iam praestat ceteris mortalibus, at philosophi et seria et ioci, nutus quoque et risus contractaque frons, sed prae ceteris sermo eius solius cum solo magnos ferunt fructus iis qui ea sustinere et attente observare consueverunt"?

Duobus modis, ut opinor, ea quae dicta sunt inter se conciliare possumus. Aut Plutarchus hic, ut multis aliis locis, suos sibi *discipulos in schola* docet, sed quia argumentum tractat solito latius patens quodque communi vitae aliquid affert utilitatis, ad audiendum et alii multi confluxerunt, aut — et hoc mihi veri similius videtur — prodit ad variam multiplicemque hominum contionem, sed orator, semper et ubique de discipulis suis cogitans, multis utitur loquendi formulis, quibus suus *in schola philosophi* locus est.

Non enim, si quid video, *praeceptoris* sed mentium medici, morum emendatoris, pastoris denique de carissimo suo grege tam senum quam adolescentium solliciti sunt praeclara haec:

43 E „Si cuius animus malis perturbatur affectibus, non fugiendus ei est orator cum illos ipsos perstringit, immo vero tum vel maxime eum oportet praebere aurem, idque eo consilio ut, cum peroraverit ille, ipse ad eum accedat et de quibusdam interroget" [1]).

Ex ipsa vero eiusmodi pastoris vita sumpta haec, quae nobis et ipsum et gregem eius ponunt ante oculos:

47 A „Etiamsi iniusta reprehensio esse videatur, sustinendum est patienterque ferendum; cum autem ad finem erit perducta oratio, ad oratorem solum solus accedet auditor, purgabit se rogabitque ut vehementiam orationis, qua adversus se fuerit usus, conservet ad notandum vitium quo revera laborat." Non, ut opinor, hoc sibi ante omnia proponit orator noster ut *doceat* sed ut *moneat*, non *doctiores* sed *meliores* amicos suos a se vult dimittere. In quorum numero si forte assidentem videbit aliquem, quem certo cuidam mentis morbo indulgere suspicatur, in illum morbum haud leniter invehetur, et ne ipsum quidem aegrum suo appellare nomine aliove modo monstrare verebitur. Qui si suam salutem cordi habebit, non aegre feret, sed contione dimissa ultro appellabit oratorem et „gratias tibi, bone pastor" inquiet „ago quod me tanta cum libertate notaveris, sed, heus tu, si bene me novi, non isto quo putas morbo sed hoc laboro" (et morbum suum dicet) „in hunc primo quoque tempore ora-

---

1) Pro *καὶ .... προσιόντας αὐτοὺς καὶ προσανακρίνοντας* legendum esse: *ὡς καὶ . . ., π. αὐ. καὶ προσανακρινοῦντας*, demonstravi Mnem. 1909, 448.

tionem habeas velim quam vehementissimam, in primo me sedentem videbis ordine".

Et assidebit cum multis aliis ipso vultu habituque corporis demonstrantibus venisse se ut ab oratore accipiant id quod cuivis praestet doctrinae: emendationem morum aliasque res huic cognatas, adhortationem ad virtutem, malorum solatium, animum ad vitam atque ad mortem quoque erectum alacremque. Nonne praeclari inventi instar titulus ille fuit, quo praestantissimum suum libellum exornavit Lévèquius, *un médecin des ames*? [1])

Age iam ipsius *διατριβῆς* quasdam sententias accuratius consideremus, quibus pristinus reddi et possit et debeat nitor. Sic simul apparebit quam egregia illa sit: nihil inde citari potest quod non legentem oratoris impleat admiratione atque amore. Graecum autem illud nomen ideo hic posui ut simul annotarem duplici illud sensu a Plutarcho adhiberi: *a* „collegii" — brevitatis causa utor vocabulo illo Academico — de docta aliqua quaestione *b* „praedicationis" illis cognatae quae a divini verbi ministris haberi solent. Civium meorum causa totum libellum vernacule verti vol. I, 247 sqq.

37 E „Iam virilem, Nicandre, sumpsisti togam, non iam habes qui tibi *imperent*, ergo nunc *monentem* audi"

ἀναρχία μὲν γάρ, ἣν ἔνιοι τῶν νέων ἐλευθερίαν ἀπαιδευσίᾳ νομίζουσι, χαλεπωτέρους ἐκείνων τῶν ἐν παισὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν δεσπότας ἐφίστησι τὰς ἐπιθυμίας ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λυθείσας.

Ain vero? *Cupidatesne* cum hominibus comparantur qui vinculis solvuntur! Quodnam hic est „tertium comparationis"? Sed perlege et nullo negotio invenies emendationem: *νόμιζε τὴν εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων ἀγωγὴν οὐκ ἀρχῆς εἶναι τοῖς εὖ φρονοῦσιν ἀποβολήν, ἀλλὰ μεταβολὴν ἄρχοντος, ἀντὶ μισθωτοῦ τινος ἢ ἀργυρωνήτου θεῖον ἡγεμόνα τοῦ βίου λαμβάνουσι τὸν λόγον.* In vinculis esse et vinculis liberari, ducem habere vel non habere *hominum* est, et, quod clarius etiam veram prioris loci monstrat lectionem, in altero participia felici quodam casu eandem habent formam quae illic

---

1) Eorum causa, quibus non est facilis aditus ad antiqua Francogallici diarii volumina, libellum illum separatim edendum curavi hoc titulo: Caroli Lévèque libellum aureum de Plutarcho mentis medico denuo edendum curavit J. J. Hartman L. B. apud Sythoffium 1903.

requiritur. Lege enim *λυθεῖσιν*, aptissime procedentem et ad finem perductam habebis imaginem: hominibus scelestis e carcere dimissis triumviri nocturni custodes apponunt qui eos usquequaque observent et saepe exhibeant molestias; sic eos qui e patria sunt potestate dimissi sequuntur vexantque cupidates.

37 F *οὐκ ἂν ἀηδῶς δ' οἶμαί σε προακοῦσαι περὶ τῆς ἀκουστικῆς αἰσθήσεως.*

Structurae sententiae quam sententiae ipsi convenientius editor particulam *δέ* exemit. Hoc enim de auditus sensu corollarii instar *additur* rei de qua in praecedentibus *ἀνακολούθως* agitur: opinor te tamquam benevolum auditorem *ad philosophiam* accedere; *sed* prius te ut aequo accipias animo rogo quae de auditus sensu sum dicturus.

38 A *τῇ δ' ἀρετῇ μία λαβὴ τὰ ὦτα τῶν νέων ἐστίν, ἂν ᾖ καθαρὰ καὶ ἄθρυπτα κολακείᾳ καὶ λόγοις ἄθικτα φαύλοις ἀπ' ἀρχῆς φυλάττηται.*

Rectissime Reiskius importunum istud *ᾖ*, quo elegantissima pessumdatur structura verborum, delevit.

38 B Puerorum magis quam athletarum aures tegendas esse docuit Xenocrates *οὐκ ἀνηκοΐαν οὐδὲ κωφότητα προμνώμενος.*

Facessat hinc res amatoria cum procis atque *προμνηστρίαις*, et *προμηχανώμενος* legatur. Mnem. 1908, 288.

ib. *Βίας ὁ παλαιὸς Ἀμάσιδι, κελευσθεὶς τὸ χρηστότατον ὁμοῦ καὶ φαυλότατον ἐκπέμψαι κρέας τοῦ ἱερείου, τὴν γλῶτταν ἐξελὼν ἀπέπεμψε.*

Frequentissimo in textu Plutarchi errore bis hic legitur praepositio, quae semel erat legenda. Simplex enim *πέμψαι* requiritur.

38 E *ταῖς μὲν οὖν ὄρνισι τὰς ὑπηνεμίους λοχείας καὶ ὠδῖνας ἀτελῶν τινων καὶ ἀψύχων ὑπολειμμάτων ἀρχὰς λέγουσιν εἶναι.*

Idem hic error recurrit, sed alium secum traxit et sic ex *λεμμάτων* nunc *natum* quidem aliquid est sed quod vitale non sit *ὑπολειμμάτων* Mnem. 1909, 321.

39 A Stulti adolescentes cum monentur repugnant aut *φεύγοντες ἀπίασι πρὸς ἑτέρους λόγους [καὶ] φλαύρους.*

Sententiam simul cum loci elegantia corrumpit particula quam inclusi.

39 B Spintharus Epaminondam laudans dicere solebat *μήτε πλείονα γιγνώσκοντι μήτ' ἐλάττονα φθεγγομένῳ ῥᾳδίως ἂν ἐντυχεῖν ἑτέρῳ.*

Addidi particulam *ἄν* propter *ῥᾳδίως* quod non praeteriti sed futuri requirit notionem.

40 C Inter vitia oratoris nominatur etiam *πτόησις μετὰ χαρᾶς ἀπειροκάλου πρὸς ἔπαινον.*

Vocabula ipsa corrupta sunt, quod vel invitus fatetur Didotianus insana haec nobis exhibens „eruptio cum inepto gaudio ad laudem". Quid requiratur video: „ineptum et importunum laudis studium", qua id obtineamus emendatione non video.

40 D *ῥᾷστον γάρ ἐστι τῶν ὄντων τὸ μέμφεσθαι τὸν πλησίον, ἀχρήστως τε καὶ κενῶς γιγνόμενον,* nisi quae vituperas ipsa vitare studebis.

Lege *δέ* (*sed* nullam ea res afferet utilitatem nisi e. q. s.).

40 E Utile est orationi, quam audivimus, nostram opponere, si possimus corrigere quae parum placuerunt, *ὅταν γενόμενοι καθ' αὑτοὺς .... ἐπιχειρῶμεν εἰς ταὐτὸ καὶ προάγωμεν αὑτοὺς τὰ μὲν ὥσπερ ἀναπληροῦν, τὰ δ' ἐπανορθοῦσθαι, τὰ δ' ἑτέρως φράζειν, τὰ δ' ὅλως, ἐξ ὑπαρχῆς εἰσφέρειν πειρώμενοι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν.*

Hic primum moneo *ἐπιχειρεῖν εἰς* fere esse: disserere, disputare, orationem *de* aliquo habere argumento. Saepius illud apud Plutarchum recurrit et est omnino liberior quidam apud eum praepositionis *εἰς* usus ubi de disputationibus et dissertationibus agitur cf. 40 A *εἰρηκότας εἰς τὸ αὐτό* 16 F *τοῦτο χαριέντως Ὅμηρος εἰς τὴν νεκυίαν εἶπεν.* Sed *πειρώμενοι* est delendum; ab *προάγωμεν ἑαυτούς* quatuor illi infinitivi pendent.

40 F *ὅταν οὖν ἐν τῷ διαλέγεσθαι πρὸς τὴν τοιαύτην ὑπόθεσιν μὴ πολὺ φαινώμεθα τῶν εἰρηκότων διαφέροντες.*

Immo vero *πρὸς τὴν αὐτήν.* Hoc enim illud est *ἐκ παραβολῆς* ut *de eodem* argumento, de quo alium audivisti dicentem, orationem habeas.

42 A *κηφήνων βοτανὴν σοφιστιώντων.* Ex aliqua comoedia sumptus hic hendecasyllabus videtur. Mnem. 1909, 445.

43 B *εὖ μάλα δὲ χρὴ πρὸς τὴν τοῦ λέγοντος ἐμπειρίαν ἢ φυσικὴν δύναμιν ἡρμοσμένον ἐν οἷς αὐτὸς ἑαυτοῦ κράτιστός ἐστι, ποιεῖσθαι τὰς ἐρωτήσεις.*

Immo vero *ἡρμοσμένας* quemadmodum et e sequentibus apparet: „non oportet ei, qui philosophiae morali potissimum dedit operam, quaestiones proponere physicas e. q. s.". Sed quaestiones illas *πρὸς τί ἡρμοσμένας εἶναι* oportet? *πρὸς τὴν τοῦ λέγοντος*

ἐμπειρίαν ἢ δύναμιν. Rectissime sic duae inter se opponuntur facultates: ea quam quis exercitatione sibi comparavit et ea quam a natura accepit. Sed non additum oportuit Φυσικήν: nudum substantivum δύναμιν multo rectius elegantiusque idem significat.

44 A Notatur lentus auditor

μήτ' ὀΦρῦν κατὰ σχῆμα κινῶν

insana haec in integrum restituit Lobeckius egregia emendatione μ. ὀΦρύος κατάστημα κ. Sequitur:

μήτε Φωνὴν εὐγνώμονος μάρτυρα Φιληκοΐας προϊέμενος.

In his quoque latet versus.

44 B Prave quidam Pythagorae dictum quoddam acceperunt: ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐκ ΦιλοσοΦίας ἔΦησεν αὐτῷ περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν· οὗτοι δὲ τὸ μηδὲν ἐπαινεῖν μηδὲ τιμᾶν, ἐν τῷ καταΦρονεῖν τιθέμενοι καὶ τὸ σεμνὸν καὶ ὑπεροψίᾳ διώκοντες.

Editor τὸ σεμνὸν καί, qua coniectura nihil proficimus, corrupta enim sic quoque manet sententia, cuius verbum finitum e praecedentibus peti nequit. Ecquid: ἐν τῷ καταΦρονεῖν τιθέμενοι τὸ σεμνὸν καὶ ὑπεροψίᾳ, διώκουσι, illi nihil admirandi laudandive facultatem consectantur, in contemptione et superbia dignitatem sitam rati? An praeterea etiam καὶ ὑπεροψίᾳ delendum? Satis languide id additur.

44 C Importunus auditor est qui in laudando modum tenere nescit

κατὰ ῥῆμα καὶ συλλαβὴν ἐΦιστάμενος καὶ κεκραγώς.

Verum, de more, Emperius vidit: ἐξιστάμενος. Nimius iste laudator identidem *exsultat* clamatque.

45 B Etiam optimi poetae oratoresque sua sibi habent vitia, sat multa tamen profecto restant quae ex animi sententia admirari et laudare possis. Sic et auditori semper facultas est aliquo certe modo benevolentiam suam erga eum qui verba facit significandi:

ἐνίοις γὰρ ἐξαρκεῖ, κἂν μὴ διὰ Φωνῆς ἐπιμαρτυρῶμεν, ὄμματος πρᾳότητα καὶ γαλήνην προσώπου καὶ διάθεσιν εὐμενῆ καὶ ἄλυπον ἐμπαρασχεῖν.

Nonne ἐνιότε legendum?

45 C Nam quemadmodum semper et ubique quod pulchrum est e multis elementis constat recte et eleganter dispositis,

turpe tamen statim fit quidvis cui desit unum vel inepte addatur *ὥσπερ ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀκροάσεως οὐ μόνον βαρύτης ἐπισκυνίου* sed multa alia malum efficiunt auditorem.

Tum demum recte hic locus decurret, si *οὕτως* legimus pro *ὥσπερ*.

46 D Duri est hominis et impudentis admonitiones vituperationesque audire

μὴ συνεσταλμένον μηδ' ἱδρῶτος καὶ ἰλίγγου μεστόν, αἰσχύνῃ φλεγόμενον τὴν ψυχήν, ἀλλ' ἄτρεπτον κτἑ.

Recte H. *μηδ'* ante *αἰσχύνῃ* inseruit.

47 B Cum philosophia difficilia quaedam et insueta habeat *ἐν τοῖς πρώτοις ὀνόμασι καὶ πράγμασι, οὐ δεῖ φοβηθέντα τὰς ἀρχὰς ψοφοδεῶς καὶ ἀτόλμως ἐγκαταλιπεῖν.*

Eximatur hinc *καὶ πράγμασι*: de iis enim paulo post agetur ita ut *τὰ πράγματα* opponantur *τοῖς ὀνόμασι,* argumenta philosophiae terminis technicis quibus illa utitur.

48 B Pravi illi discipuli *ὥσπερ οἱ δειλοὶ καὶ γ λ ί σ χ ρ ο ι σκύλακες τὰ δέρματα δάκνοντες οἴκοι καὶ τὰ τίλματα τίλλοντες τῶν θηρίων αὐτῶν οὐχ ἅπτονται.*

Immo vero *λίχνοι* cum Wyttenbachio.

48 C Malus discipulus *οἷον ἔρευθος ἕλκει καὶ γάνωμα τὴν δόξαν ἀπὸ τῶν λόγων, τὸν δ' ἐντὸς εὐρῶτα τῆς ψυχῆς καὶ ζόφον οὐκ ἐκτεθέρμαγκεν.*

Opponuntur inter se nitor externus et sordes reconditae. Hae autem non, ut opinor, sunt *calefaciendae,* sed *removendae.* Recte ergo Emperius pro *ἐκτεθέρμαγκιν* coniecit *ἐκτεθεράπευκεν.* Tutius ambulabit qui Emperios duces sequitur quam qui iis diffidit.

48 D Denique operam demus ut simul discamus ab aliis et ipsi inveniamus; sic obtinebimus *μὴ σοφιστικὴν ἕξιν μηδ' ἱστορικὴν ἀλλ' ἐνδιάθετον καὶ φιλόσοφον.*

Nullus hic locus historicae arti, quae profecto non pars est sophisticae sed optimo iure ei *opponi* potest. Sed lege *ἐξωτερικήν,* pulcherrimum habebis chiasmum:

σοφιστικὴν καὶ ἐξωτερικήν

ἐνδιάθετον καὶ φιλόσοφον

optime inter se opponuntur sophista et philosophus, sed non minus diserte id quod *externum* et id quod ipsi *impositum* est pectori.

CAPUT III.

QUOMODO ADULATOR AB AMICO INTERNOSCATUR.

Si usquam, hic certe operam dedit ut libellus suus locupletem haberet patronum: dedicatus est Antiocho Philopappo, viro haud dubie praediviti. Qui regnum quidem nunc habet nullum, provinciam enim iam Vespasianus Commagenen fecerat (Suet. 8), sed non legimus ei ab imperatore paternas esse ademptas opes, quod si factum esset non reticuisset Suetonius, qui tam accurate describere soleat quaecunque ille egregius quidem sed paulo avarior imperator fecit ad arcam suam implendam. Et ingentes illas fuisse iure suspicamur: apud eundem enim illum Suetonium legimus a Caligula (c. 16) Antiochum Commagenes regem non restitutum solum in regnum, sed ei etiam totum suum redditum patrimonium, quod non minus decem milionum Belgicorum fuerit florenorum. Huius nepos noster Antiochus, Plutarchi amicus et patronus, fuisse videtur, et in promptu est suspicari eum ideo mirum istud Philopappi sumpsisse cognomen ut gratum testaretur animum adversus virum qui illas a Caligula acceptas opes bene administravisset sibique, auctas fortasse etiam, reliquisset. Nepos ergo ille avi amantissimus nunc privatus vivit ubi libet, sed prae ceteris ei Athenae placuisse videntur, ubi etiamnunc superest monumentum sepulcrale, quamquam pristino spoliatum splendore, honores commemorans ab eo imperante

Traiano gestos. Testimonio ergo illud quodammodo est ab ostentatione quadam gloriae eum omnino non fuisse alienum; sed haec ei maxima fuisse videtur gloria, potentem haberi patronum artium disciplinarumque. Neque hercle ut illam obtineret impensis pepercit. Legimus enim (Probl. Conv. I, 10 initio) Serapionem, Plutarchi amicum, opiparas parasse epulas propter victoriam Athenis reportatam in agone scenico; et iure paravit, insignis enim illa fuerat: omnes phylae Atticae (12 tunc erant) de more inter se certabant, suos quaeque habebat poetas cantoresque eosque exornabat. Quae res permagna stare solebat pecunia. Sed tunc Philopappus totam rem susceperat eaque functus erat splendide magnificeque. „Atque" Plutarchi haec verba sunt quibus tamquam vivum ante oculos nobis hominem ponit „accumbebat nobiscum Philopappus ipse, nostrasque de rebus priscis audiebat narrationes atque etiam ipse suas addidit, non *philanthropia* solum ductus sed et discendi amore". Novimus antiquam illam philanthropiam, quae in conviviis et in sermonibus inter pocula habitis cernebatur. Philanthropus is erat qui talium conviviorum ferebat sumptus; quodsi praeterea etiam mentium afferebat nutrimenta, tum insignem inter philanthropos obtinebat locum. Num quisquam excogitari potest magis idoneus libelli patronus, iamiam in vitae lucem emittendi, quam „exsul rex" ille; num ullus ei honor esse potuit optatior quam in prima eius pagina suas legere laudes? Noli tamen propter honorem illum opulento regi habitum in turpis adulationis vocare crimen Plutarchum: quamvis et libro et eius scriptori gratus regis profuerit animus, ipsi regi liber ille multo prodesse poterat magis, dummodo legere et praecepta, quae ibi dabantur, fideliter observare vellet. Admonere enim liber eum poterat illius periculi, cui maxime obnoxii sunt viri quales fuit Philopappus: ne spolientur ab amicis simulatis. Hoc, si bene Plutarchum meum novi, primarium eius fuit consilium, quo librum suum Philopappo dedicavit; indignabundus quotidie regem illum, laudis tam appetentem, benignum illum bonarum artium patronum, a callidis oppugnari videbat adulatoribus, verborum artificibus, sophistis denique, qui se amicos esse simulabant eius, cuius regali frui cupiebant munificentia.

Sed licet dedicatus uni fuerit viro liber, scriptus est eo ser-

mone quo qui in multiplici sunt hominum recitandi contione. Minime incredibile mihi videtur maiorem certe eius partem a nostro mentium medico adhibitam ad Chaeronensem suum gregem docendum, quique praeterea verae virtutis sapientiaeque cupidi eodem essent conventuri. Non nego paulo esse longiorem, sed habet suas sibi virtutes quibus publicae fit recitationi aptissimus. Quam maxime „popularis" est et abundat facetissimis ornamentis. Annon lepidissimus ille est flosculus oratorius quo παρρησία comparatur cum ... hasta Peliae, quam vibrare solus Achilles poterat: „sic" ait „vera dicendi libertate tantummodo vir fortis gravisque potest uti"? Et nonne hic locus eius praesertim ferit animum qui *auribus* eum accipit: „deos pleraque sua beneficia clam praebere opinor, quia ipsa eorum natura fert ut bene faciendo delectentur"?

Et narratiunculis abundat liber utilissimis, neque nimis decantatis. Duas tantummodo tribus hic indico verbis: de Arcesilao ita pauperi amico subveniente ut gratias agere non posset ille; de Lacyda, Arcesilai discipulo, amico clam in iudicio certam afferente salutem. Sed unam addo, qua cum Plutarcho ad ipsum redeo libri patronum: „equitare, hoc unum est" ait Carneades, „quod bene discunt divitum filii; in schola iis blanditur magister, in palaestra se ab iis vinci patitur adversarius; sed equus simulare nescit et deiicit imperitum equitem."

Atque omnium exemplorum narrationumque hoc Carneadis dictum in clarissima est positum luce. Nonne nunc videmus non tam sui commodi causa Plutarchum Philopappo hunc obtulisse librum quam ut illi ipsi quam maxime prodesset? An non illi regi nostro maximum afferunt periculum adulatores qui *ingenium* eius, quamvis tenue illud sit, extollunt? Audite modo quae Carneadis illi sententiae praemittuntur: „sunt homines qui Stoicos ferre non possint clamantes sapientem solum esse divitem, pulchrum, nobilem, regem; sed adulatores ipsis Stoicis sunt importuni magis: homini opulento dant nomen oratoris et poetae, si cupit etiam pictoris vel tibicinis; velocem eum vocant et robustum; luctantes cum eo sponte decidunt, in cursus certamine de industria retardant impetum. Sic in certamine cum Alexandro egit Criso Himeraeus, sed aegre tulit rex."

Nunc, ut opinor, ipse rex, de suo detrusus solio, nobis stat

ante oculos; iam regno caret, mox, nisi providebit, etiam divitias suas amittet; famelici enim eum undique cingunt sophistae auro eius inhiantes.

Iam videamus possimusne hic illic laboranti libello ferre opem, vel inde protrahere aliquid quod postea in usum nostrum convertamus.

48 F Nostri amor ille, quo laboramus omnes, *τῷ κόλακι πολλὴν μεταξὺ τῆς Φιλίας εὐρυχωρίαν δίδωσι.*

Illud *μεταξὺ τῆς Φιλίας* sic vertit Wyttenbachius: „in media amicitia in quam se induere possit''. Multis verbis utitur vir praestantissimus ad rem illustrandam; mallem unum locum indicasset ubi simili modo *μεταξύ* positum est, quod sua natura *duos* requirit genitivos particula *καὶ* iunctos; nisi vis excipere Arist. Ach. 433 et paucos alios locos ubi altera pars facile e contextu efficitur. Quod hic quoque fieri opinor. Falsum enim duco Wyttenbachianum illud „in media amicitia'', et sic locum accipio: ab hac parte est adulator, ab illa amicitia (i. e. homo cuius amicitiam ille appetit); inter utrumque iacet sui amor ille omnibus hominibus communis; satis magnum illud spatium est ut ibi vires suas colligere seque ad impetum faciendum parare adulator possit.

49 E Amicus, tamquam nummus, sit probatus antequam tibi opus eo est: *οὐ γὰρ δεῖ βλαβέντας αἰσθέσθαι ἀλλ' ὅπως μὴ βλαβῶμεν ἐμπειρίαν λαβεῖν καὶ κατανόησιν τοῦ κόλακος.*

Et hiatus vitabitur et sententiae consuletur si istud *αἰσθέσθαι* deleverimus: adulatoris experimentum nobis est faciendum non damno accepto sed ne damnum accipiamus. Mnem. 1909, 229.

Alioqui *ταὐτὸ πεισόμεθα τοῖς αἰσθανομένοις τῷ προγεγεῦσθαι τῶν θανασίμων Φαρμάκων εἰς τὴν κρίσιν ἀπολλύντες ἑαυτοὺς καὶ διαΦθείροντες.*

Ipsa praepositio *προ* legentem poterat monere absurda haec: si *antea* gustando est factum periculum, nemo letale ebibet poculum. Quid sit legendum docebit *passivum προγεγεῦσθαι*, nempe *τῷ μὴ προγεγεῦσθαι*, i. e. quia non ante est gustatum. Qui venenum pro medicamento sibi dari suspicatur, id prius gustandum cani dabit, vel, si dominus est inhumanus, vili mancipio. Id *si factum non est* ipse dominus in se periculum faciet, sed tum letale illud esse sentiet.

50 C Primum scriptor nobis depingit adulandi artifices, qui verae amicitiae specie fallere homines callent; tum iis opponit *τοὺς αὐτοληκύθους τούτους λεγομένους καὶ τραπεζέας καὶ μετὰ τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ ἀκουομένους.*

Ultima vox nata est ex *ἀκούοντας* eique adscripta annotatio *λεγομένους*, quae alio aberravit. Ipse Plutarchus sic scripsit: non mirabimur saepe amicitiae praeripere palmam adulationem *ἂν τὸν ἀληθινὸν κόλακα καὶ μετὰ δεινότητος καὶ τέχνης ἁπτόμενον τοῦ πράγματος διώκωμεν, ἀλλὰ μή, καθάπερ οἱ πολλοί, τοὺς αὐτοληκύθους τούτους καὶ τραπεζέας καὶ μετὰ τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ ἀκούοντας* μόνους *[ὥς τις εἶπε] κόλακας νομίζωμεν.* Addendum enim est *μόνους*. Plutarchi discipulus artifices illos deprehendere poterit; vulgus *tantummodo* illos adulatores putabit qui lepide dicuntur *mensarii* et *cenae appositae comites*. Mnem. 1909, 229.

50 F Hoc vel praecipuum habet malum adulatio quod *ἀναπίμπλησι καὶ τὴν ἀληθινὴν Φιλίαν ἀπιστίας συνεμπίπτουσαν αὐτῇ πολλάκις.*

Ain vero: sincera amicitia *simul* cum adulatione *irrepit*? Nihil enim aliud esse *συνεμπίπτειν* potest. Sed lege *συνεκπίπτουσαν*, egregiam habebis sententiam: homo ab adulatore deceptus facile eo adducitur ut et verum amicum foras eiiciat. Vide quod mox sequitur (51 A): *μή πως ἢ τῷ κακῷ τὸ χρήσιμον συνεκβάλωμεν* et quae illud illustrat imaginem: ideo difficile est a tritico secernere grana agrestia quae eandem habent formam, quia si vannum adhibemus aut *οὐ διεκπίπτει τῶν στενοτέρων πόρων ἢ συνεκπίπτει διὰ τῶν ἀραίων.* Mnem. 1907, 385.

51 B „Idem velle atque idem nolle, ea demum vera est amicitia" confidentius dicitur quam verius. Certe non sic Plutarcho visum; huic multo rectius illud videtur esse *τὸ μάλιστα Φιλίας ἀρχὴν παρέχον.* Ita est: studiorum consortium primam *praebet* notitiam, unde dis iuvantibus amicitia nasci potest. Sed corrupit sententiam librarius, qui sequentibus: „ea res *πρῶτον εἰς ταὐτὸ συνάγει καὶ συνίστησι*" deceptus hic quoque *συνέχον* dedit. Mnem. 1909, 299.

51 E Citatis versibus quibus notum istud „senex sene, iuvenis iuvene, aeger aegro lubentissime utitur" illustratur sic pergit: *εἰδὼς οὖν ὁ κόλαξ ὅτι τὸ χαίρειν τοῖς ὁμοίοις καὶ τὸ χρῆσθαι καὶ ἀγαπᾶν ἔμΦυτόν ἐστι* hac via accedere solet.

Vides quam ingrate, immo quam vitiose hic subiecta cumulentur: τὸ χαίρειν καὶ τὸ χρῆσθαι καὶ ἀγαπᾶν. Cur duo eorum articulum habent, tertium non habet? Et cui insitum est triplex illud? Frustra dativum quaeris. Parietis rimam fidelia obtegit interpres Didotianus sic vertens: „ergo adulator sciens a natura insitum esse ut consimilibus gaude*amus*, ut*amur*, eaque amplec*tamur*". Nos labentem fulcire malumus, quod non magnae molis est. Pro τό legamus τῷ, ut hoc dicat Plutarchus: „rerum similium studio insitum est τὸ χρῆσθαι καὶ ἀγαπᾶν i. e. ipsa natura fert ut iis qui iisdem rebus quibus nos delectantur utamur eosque amplectamur". Sic simul illum quem quaerimus dativum habemus et cur ultimus infinitivus articulo careat intelligemus.

52 B Simius eo quod hominem imitatur capitur ὁ δὲ κόλαξ αὐτὸς ἑτέρους ἐπάγεται καὶ παλεύει, μιμούμενος οὐχ ὁμοίως ἅπαντας κτἑ.

Virgula, quae nunc post παλεύει legitur, post μιμούμενος ponendo iustam obtinebis oppositionem: simius imitando capitur: adulator imitando allicit capitque alios. Mnem. 1909, 229.

52 D Postquam narravit quomodo alios ceperint mores Siculi praesente Platone, alios cum abiisset ille, sic pergit: μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὰ τῶν μεγάλων ἔργα κολάκων καὶ τὰ τῶν δημαγωγῶν ὧν ὁ μέγιστος Ἀλκιβιάδης qui Athenis liberrime vivebat, Spartae gravitatem affectabat.

Viros, qui magnam in republica habent potestatem, *magnos adulatores* vocare lepidissimum est salsissimumque, dicti acumen eosdem *demagogos* appellando tollere vix est sani hominis. Si tamen nil nisi καὶ δημαγωγῶν adderetur, utcunque possemus ferre, at istud καὶ τὰ τῶν δημαγωγῶν nimis redolet sciolum. Delevit H., sed „mihi sana videntur" annotat editor. Tuam vicem doleo, vir praestantissime!

53 A τοιοῦτος γὰρ οἷος, εἰ ψέγοις τινὰ τῶν φίλων πρὸς αὐτόν, εἰπεῖν „βραδέως πεφώρακας τὸν ἄνθρωπον· ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐδὲ πρότερον ἤρεσκεν". ἂν δ' αὖ πάλιν ἐπαινῇς μεταβαλόμενος, νὴ Δία φήσει συνήδεσθαι καὶ χάριν ἔχειν ὑπὲρ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πιστεύειν".

Aut ego caecutio, aut omnes illi infinitivi ab οἷος pendere debent, qua de re Theophrastum cito testem locupletissimum. Ergo delendum est φήσει et post ἤρεσκεν *virgula* ponenda. Sed nondum locus persanatus est: adulatoris est si quem amicorum

tuorum reprehendis, dicere: haud miror, mihi enim semper iste homo displicuit; quodsi mutato animo eundem laudas, *ecce subito* (hanc vim istud *νὴ Δία* habet; indignabundus et admirans id Plutarchus addit) tibi gratulatur, pro illo amico (cui nuper maledixit) gratias tibi agit, denique .... quid? Fidem habet? Cui, obsecro? Amico illi? At hoc non est huius loci. An tibi? Hoc etiam absurdius. Requiritur aliquid quod eiusdem sit naturae atque *συνήδεσθαι* et *χάριν ἔχειν* sed ita ab illis differat ut gradatio nascatur quaedam. Hoc habebimus si *πίστιν διδόναι* vel, ut etiam ante semicolon hiatus vitetur, *διδόναι πίστιν* legemus. Nunc venustissimus evasit locus: de amico aliquo praesente adulatore quereris: „haud miror'' ille ait „semper mihi fuit iste suspectus''. Postea laudas eundem: ecce „gratulor tibi'' clamat „qui cum illo redieris in gratiam, gratias tibi pro eo ago, fidemque meam obligo nunquam fore ut te poeniteat''.

53 B Hoc genere adulationis pertractato sic ad aliud transit: *εἷς μὲν οὖν τῶν ἐλέγχων τρόπος τοιοῦτός ἐστιν· ἑτέραν δὲ δεῖ ταῖς ὁμοιώσεσι τοιαύτην παραφυλάττειν διαφοράν* (inter amicum et adulatorem).

Immo *ἐν ταῖς ὁμοιώσεσι*. An tantus tenuit hiatus Plutarchum metus ut vitiose scribere mallet et non intelligi? Conferantur verba quibus totum hoc caput clauditur:

ἐν μὲν οὖν ταῖς ἐξομοιώσεσι τοιαῦταί τινες εἰσιν αἱ τοῦ κόλακος διαφοραὶ πρὸς τὸν φίλον.

54 F Tamquam exempla pravitatis afferuntur *οἱ Διονυσίου κόλακες ἀμβλυωποῦντες ἐμπίπτοντες ἀλλήλοις καὶ τὰς παροψίδας ἐν τῷ δειπνεῖν καταβάλλοντες.*

Hic quoque perdidi operam .... et me perdidisse gaudeo. Nam nunc certo scio recte me (Mnem. 1909, 229) coniecisse *ἀμβλυωποῦντος* quod et apud Wyttenbachium (in textu et in annotationibus) et in Didotiana legitur.

54 B Postquam *versutum* depinxit adulatorem, qui in *omnibus* rebus imitatur eum cuius frui cupit benignitate, haec etiam addit Plutarchus:

οὕτως ἄπειρος ἦν κόλακος ὁ νομίζων τὰ ἰαμβεῖα ταυτὶ τῷ καρκίνῳ μᾶλλον ἢ τῷ κόλακι προσήκειν

γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῇ βλέπων
ὀφθαλμός, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον

παρασίτου γὰρ ὁ τοιοῦτος εἰκονισμός ἐστι
τῶν περὶ τάγηνον καὶ μετ' ἄριστον Φίλων
ὥς Εὔπολίς Φησιν.

Corrupta verba, sed vel sic Plutarchi apparet ratiocinatio: „errant qui versus illos de cancro ad *adulatorem* designandum adhibent; confundunt enim inter se *adulatorem* et *parasitum*, quorum hic solas epulas captat, ille multo magis est varius et multiplex". Quis autem *error* in verbis Graecis, quae citavi, refellitur? Nullus ut opinor, nam ét qui hos versus attulit dicitur *adulatorem* totum esse ventrem negasse et negat Plutarchus, qui non in adulatorem sed in parasitum et eos, „qui" (secundum Eupolim) „sunt amici prandii et sartaginis" illam quadrare cum cancro contendit comparationem. Sed erravit qui dixit iambos illos *τῷ κόλακι μᾶλλον ἢ τῷ καρκίνῳ προσήκειν*, atque sic legendum. Nam sic eum refutat Plutarchus: „non in *adulatorem* (adulandi artificem) sed in edacem *parasitum*, hominem, utpote stultum stolidumque, multo minus metuendum versus isti conveniunt". Quae cum ego, re diu pensitata, primus mihi exputasse viderer.... sic et a Wyttenbachio et in Didotiana legi vidi. Nunc ergo tota mea disputatio antiquam lectionem haud inepte, ut opinor, defendit.

54 D Sic versutus ille Regem captat: *εὐφυής εἰμι ποιητὴς καὶ στίχον οὐ φαυλότατον γράφω*, at tu praeclarus es vates.

L. *οὐ τὸν φ. γ.* ut hoc habeas: „versus mei satis sunt boni, tuos vero caelestes appello".

55 B Medicus modo dulcibus iucundisque utitur medicamentis modo asperis et amaris *οὔτ' ἐνταῦθα τὸ ἀηδὲς οὔτ' ἐκεῖ τὸ ἡδὺ ποιούμενος τέλος, ἀλλ' ἐφ' ἓν δι' ἀμφοτέρων [ἐπὶ τὸ συμφέρον] ἄγων τὸν θεραπευόμενον.*

Ecquid dubitari potest quin inclusa e margine in textum irrepserint? Quid quod ne accuratam quidem loci continent explicationem. Utrumque medicamentorum genus aegrotantem *ducit ad sanitatem*, sed *τὸ συμφέρον* secum *affert*. Cf. quod statim sequitur *ἄγει πρὸς τὸ καλόν.*

ib. Sic et amicus *ἔστι μὲν ὅτε σὺν ἐπαίνῳ καὶ χάριτι μεγαλύνων καὶ εὐφραίνων ἄγει πρὸς τὸ καλόν*, at alio tempore eodem ducit vituperando.

Adverbium *ἀεί*, quod post *μεγαλύνων* legebatur, H. delevit.

Rectissime, ut opinor: manifestum hic tenemus exemplum annotationis, *eiusque pravae*, quae in *alienam* textus sedem aberravit. Adscriptum enim istud ἀεί fuit ad ἔστιν ὅτε.

55 D ὥσπερ ἁρμονικὸς ὁ φίλος [τῇ πρὸς τὸ καλὸν καὶ συμφέρον μεταβολῇ] τὰ μὲν ἐνδιδοὺς ἃ δ' ἐπιτείνων πολλάκις μὲν ἡδὺς ἀεὶ δ' ὠφέλιμός ἐστιν.

Et imaginem et disputandi rationem perturbant inclusa; annotatio est eiusdem qui modo ἐπὶ τὸ συμφέρον adscripsit. Praeterea videndum annon τὰ μὲν . . . τὰ δέ sit legendum.

ib. δεῖ τὸ εὐφραῖνον καὶ χαριζόμενον ἡγεῖσθαι φιλικόν, ἂν καὶ λυπεῖν ποτε δύνηται καὶ ἀντιτείνειν, τὴν δὲ συνεχῆ ταῖς ἡδοναῖς καὶ τὸ πρὸς χάριν ἔχουσαν ἄκρατον ἀεὶ καὶ ἄδηκτον ὁμιλίαν ὑπονοεῖν.

Male haec cohaerent; sincera existat syntaxis si οὖσαν post ἡδοναῖς inseras, sed sic pessumdetur sententiae structura quam Plutarchus voluit et metuo ut dativus ille recte habeat. Bene procedent omnia si συνεχεῖς τὰς ἡδονάς legeris, ut omnes illi accusativi συνεχεῖς τὰς ἡδονάς, τὸ ἄκρατον et ἄδηκτον ab ἔχουσαν pendeant.

55 E τοῖς μὲν οὖν ταύροις τὸν οἶστρον ἐνδύεσθαι παρὰ τὸ οὖς λέγουσι καὶ τοῖς κυσὶ τὸν κρότωνα· τῶν δὲ φιλοτίμων ὁ κόλαξ τὰ ὦτα κατέχων . . . δυσαπότριπτός ἐστιν.

Quid hic legendum sit nescio, popularem enim istam zoologiam non magis quam veram didici unquam. Sed pro certo mihi constat pro οὖς aliud quid requiri. Semper enim et ubique Plutarchus eiusmodi comparationes adhibet ut sibi transitum pariat ad *diversi* aliquid. Sed hic eadem sunt omnia aut tantum non omnia: asilus *iuxta aurem* tauri se insinuat, at adulator *aures* occupat. Non solet sic scribere Plutarchus. Conferatur quod mox sequitur (56 A): ὅσοι μὲν οὖν ἢ πρᾶξιν ἢ λόγον . . . εὐχερῶς ἐπαινοῦσι — εἰς τὸ παρόν εἰσιν οὗτοι . . . βλαβεροὶ μόνον· ὅσοι δὲ πρὸς τὸ ἦθος ἐξικνοῦνται κτέ.

56 B Ii ergo adulatores qui in hominis mentem ipsam penetrant similes sunt servorum qui „segetem defrudant" σπέρμα γὰρ τῶν πράξεων οὖσαν τὴν διάθεσιν καὶ τὸ ἦθος διαστρέφουσι.

Egregia haec: „corrumpunt mentem quae quodammodo actionum seges est". Sed corrupit sententiam sciolus qui post ἦθος alteram comparationem inseruit ἀρχὴν καὶ πηγὴν τοῦ βίου, qua et ipsa verborum structura pessumdatur.

56 E Parum abfuit quin Romanorum *rempublicam* — aliquo enim modo efficiendum ut ilam in locum inepti illius ἤθη quod traditum est introducamus, nam de *populis* et *civitatibus* perditis hic sermo esse debet; cf. quod praecedit ἐπέτριψε Σικελιώτας et Αἴγυπτον ἀπώλεσε — perderet ἔπαινος τὰς Ἀντωνίου τρυφὰς καὶ ἀκολασίας καὶ πανηγυρισμοὺς ἱλαρὰ παίγματα (egregie sic H. pro πράγματα) καὶ φιλάνθρωπα χρωμένης ἀφθόνως αὐτῷ δυνάμεως καὶ τύχης ὑποκριζόμενος.

Recte me αὑτῇ emendasse (Mnem. 1909, 229) sciet qui Wyttenbachium viderit traditam lectionem explicantem, simulque cognoverit iam Mezeriacum idem suasisse; sed in longa Wyttenbachii annotatione illius latet emendatio: „ioci sunt'' (dixerat adulator) „ista potentiae libere utentis *se ipsa*'' i. e. suis facultatibus.

57 A Nihil remittit in laudando adulator cum εὐπαρύφου τινὸς ἢ ἀγροίκου λάβηται φορίνην παχεῖαν φέροντος.

Lepide hic iunguntur purpuratus et rusticus pelle indutus; hi enim inter homines stolidissimi esse solent. Qui in mentem venire potuerit Wyttenbachio hic φορίνην de cute hominis adhiberi, ut rusticus ille dicatur esse παχυδέρματος ut elephas, non intelligo. De *vestimento* hic agi verbum φέρειν liquido demonstrat.

57 E ἂν δ' ἤ τις οἰόμενος πολὺν ἔχειν νοῦν καὶ βουλόμενος αὐστηρὸς εἶναι καὶ αὐθέκαστος ὑπὸ δή τινος ὀρθότητος ἀεὶ προβάλληται τὸ

Τυδείδη, μήτ' ἄρ με μάλ' αἴνεε μήτε τι νείκει.

cautius accedit adulator.

Quorsum istud ἤ vertam nescio: totam sententiae structuram turbat. Quodsi deleamus iure roget aliquis unde natum sit. Ecquid ἂν δὲ δή τις legamus, huc retracto δή, quo in sequentibus lubenter caremus?

58 A Aulici qui se Mithridati urendos secandosque praebebant re non verbis ei adulabantur: μαρτυρεῖσθαι γὰρ ἐμπειρίαν ἐδόκει πιστευόμενος ὑπ' αὐτῶν.

Sententiam hinc utcunque extundo aptam: „quod sibi fides ab iis haberetur peritiae ei videbatur testimonium!'' Sed structurae nusquam alibi visae adstupes. Annotasset, ut opinor Wyttenbachius, alios locos, ubi μαρτυροῦμαί τι est: „testimonium mihi alicuius rei datur'', si in promptu habuisset.

ib. Adulatorem, identidem de variis rebus consulentem atque sic tecte tuam laudantem sapientiam, redarguere oportet *ἐπίτηδες ἀτόπους ἐ κ τ ά τ τ ο ν τ α συμβουλίας.*

Recte Hirschigius *πλάττοντα* coniecit. Nec minus recte Reiskius in sequentibus: „*πρὸς μηδὲν γὰρ ἀντιλέγων ἀλλὰ πᾶσι συνεπινεύων καὶ δεχόμενος πάντα* deprehendetur adulator" pro *δεχόμενος* dedit *ἀποδεχόμενος*, *probans*, quod recte coniungitur cum eo quod est *annuens*, et oppositum habet *ἀντιλέγων.*

59 B Reprehenditur Bionis dictum hoc:

εἰ τὸν ἀγρὸν ἔμελλεν ἐγκωμιάζων εὔφορον ποιεῖν καὶ εὔκαρπον, εἶτ᾽ οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκει τοῦτο μὴ ποιῶν μᾶλλον ἢ σκάπτων καὶ πράγματα ἔχων; οὐ τοίνυν οὐδ᾽ ἄνθρωπος ἄτοπος ἂν ἐπαινῶν εἴη, εἰ τοῖς ἐπαινουμένοις ὠφέλιμός ἐστι καὶ πάμφορος.

Aliquam partem veritatis vidit editor *ὁ ἐπαινῶν* coniiciens, sed inepte nunc quoque *agricola* et *homo* inter se opponuntur. Potestne ulla esse dubitatio quin recte Dobraeus *ἀνθρώπους* emendaverit, ut *homines* opponantur *agro*? Sed nondum persanatus locus et alia adhibenda medela quam quae ab editore proponitur. Omnia in *primam personam* sunt transferenda et praeterea supplenda lacuna. Integrum Bionis dictum fuit:

εἰ τὸν ἀγρὸν ἔ μ ε λ λ ο ν ἐγκωμιάζων εὔφορον ποιεῖν καὶ εὔκαρπον, εἶτ᾽ οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐ δ ό κ ο υ ν τοῦτο μὴ ποιῶν μᾶλλον ἢ σκάπτων καὶ πράγματα ἔχων; οὐ τοίνυν οὐδ᾽ ἀ ν θ ρ ώ π ο υ ς ἄτοπος ἂν ἐπαινῶν ε ἴ η ν εἰ τ ο ῖ ς ἐ π α ι ν ο ῦ σ ι ν ὁ ἐ π α ι ν ο ύ μ ε ν ο ς ὠφέλιμός ἐστι καὶ πάμφορος.

Salsa hercle verba et faceta, iustoque severior adversus Bionem fuit Plutarchus, nam Bio quoque contemnit eos qui adulatoribus praebent aurem et adulatores ipsos odit. Sed *leniter*, ut solet, et *urbane* utrosque perstringit dum alteros (adulatores) laudare videtur qui facultate lucri faciendi oblata tam prudenter utantur. Nonne vel ex uno hoc loco apparet, id quod antea dixi, nullam unquam Bionis paginam ab Horatio lectam qui nobis *sal nigrum* eius venditet? Sed non placet eiusmodi *εἰρωνεία* Chaeronensi mentium medico; non ridet ille cum homines admonet periculi quotidie imminentis et quod tam pulchra specie absconditur et celatur. Et fortasse ne perspexit quidem Borysthenitae mentem putavitque eum *ex animi sententia* adulatoris commendare artem ut neque turpem et utilissimam ad arcam implendam.

ib. Quidam adulatores ceteris omnibus callidiores, omni missa scurrilitate, *εἰς ὀφρῦν αἴρουσιν ἤδη τὸ πρᾶγμα.*

Mire dictum hoc, sed sensus utcunque perlucet quoniam sequitur *καὶ κολακεύουσιν ἐσκυθρωπακότες.* Sed sanum esse *αἴρουσιν* non possum credere; requiritur fere: ad supercilium rem revocant, i. e. a supercilio petunt opem.

60 A Adulator regis sui magna vitia negligit sed parvis adhaeret; sic Ptolemaeo docti famam affectanti *περὶ γλώσσης καὶ στιχιδίου μαχόμενοι καὶ ἱστορίας μέχρι μέσων νυκτῶν ἀπέτεινον.*

Quo sensu hic *ἱστορίας* dictum? Potestne illa unquam rebus vilibus adnumerari? Suspicor hic latere participium quod recte cum *μαχόμενοι* iungatur. Fortasse ipsum *ἱστοροῦντες* illud est quod quaerimus: per totam noctem cum rege *disputabant* de aliquo versiculo vocabulove docteque in talia inquirebant.

Sed eiusdem regis crudelitates non reprehendebant *τυμπανίζοντος καὶ τελοῦντος.* Acute Gatakerus *στρεβλοῦντος*, nec dubium quin eiusmodi aliquid Plutarchus scripserit.

60 B *ἔτι δὲ τούτων ἕτεροι πανουργότεροι καὶ πρὸς ἡδονὴν χρῶνται τῷ παρρησιάζεσθαι.*

Ut bene decurrat sententia, *καί* deleatur.

60 D Libere loquentis speciem affectans adulator quidam Tiberii nimios labores nimiasque pro patria curas reprehendebat scilicet. Tum Cassius Severus:

αὕτη τοίνυν ἡ παρρησία τὸν ἄνθρωπον ἀποκτενεῖ.

Sauppius *οὐκ ἀποκτενεῖ.* Talia non sunt, ut opinor, in calce paginae commemoranda sed quantocius in ipsum textum recipienda. Ipsum enim Plutarchum legere cupimus.

60 E Ex eo genere etiam est *ὁ τὸν εὐήθη καὶ βλᾶκα καὶ ἀβέλτερον ὡς δεινόν τινα καὶ πανοῦργον καὶ φυλάττεσθαι καὶ δεδιέναι προσποιούμενος.*

Paenultimum istud *καὶ* utique delendum: aut enim sententiae pessumdat structuram aut plane inutilem nobis praebet duplicis *καί* emphasin.

60 F Tales adulatores cum vident homines cum fratribus litigantes, despicientes parentes suos *ἢ πρὸς γυναῖκας ὑπεροπτικῶς ἔχοντας* eos non vituperant.

Recte Wyttenbachius *ὑπόπτως* coniecit (non, ut tradit editor, *ὑπερόπτως*). Non *superbus* sed *suspicax* maritus hic requiritur.

62 A Si quem poenitet quod pecuniam se mutuam daturum vel largiturum promiserit neque tamen aperte fidem fallere audet τῇ χείρονι ῥοπῇ προστιθεὶς ἑαυτὸν ὁ κόλαξ ἐπέρρωσε τὴν εἰς τὸ βαλλάντιον γνώμην.

Vocabula quae sunt ῥοπή et γνώμη mutare inter se locum iussi Mnem. 1909, 229. Non fuerat opus, idem enim iam Wyttenbachius suaserat.

62 B Quodsi non nosmet ipsos nostra fallunt mala, non fugiet nos adulator: ἔ σ τ ι γὰρ σ υ ν η γ ο ρ ῶ ν ἀεὶ τούτοις τοῖς πάθεσι. Inaudita structura, cuius non facile aliud apud Plutarchum invenies exemplum. Hic eum πάρεστι scripsisse opinor.

Additur: καὶ περὶ τὰς τούτων ἐκβάσεις παρρησιαζόμενος.

Non, quemadmodum refert editor, ἐντάσεις hic Wyttenbachius coniecit sed ἐνστάσεις, et recte coniecit dummodo simul πρὸς pro περὶ legas: adest adulator vitiis nostris opem ferens eorumque cohibitiones *impudenter dissuadens* (nam hoc fere est παρρησιάζεσθαι πρός τι).

62 Amicorum nemo γίγνεται συνεργός, εἰ μὴ γεγένηται σύμβουλος πρότερον, ἀλλ' ὅταν δοκιμάσῃ καὶ συγκαταστήσῃ τὴν πρᾶξιν εἰς τὸ πρέπον ἢ τὸ συμφέρον.

Hic καὶ συγκαταστήσῃ est *apodosis*, sed quia nullus *medio* locus, corrigatur συγκαταστήσει. Amicus cum consilium tuum probaverit, etiam te adiuvabit in re ad felicem honestumve perducenda exitum. Quid vero adulator? Etiamsi eum rogaveris sententiam, sine ulla dubitatione te incitabit ad id quod te velle facere suspicatur.

63 D Verus amicus in ope ferenda nulla utitur ostentatione sed ὥσπερ ἰατρὸς λαθὼν ἐθεράπευσε, καὶ φίλος ὠφέλησεν ἐντυχὼν ἢ διαλυσάμενος.

Istud διαλυσάμενος Didotianus vertit „creditoribus dissolvens". Quo iure nescio, sed illud non esse huius loci certo scio. Quid autem recte cum ἐντυχών coniungitur? Ut opinor καταλυσάμενος. Amicus opem fert amico cui forte obviam venit vel ad quem in itinere devertit. Mnem. 1909, 309.

64 A Adulatoris simile est ζωγράφημα περίεργον ἀναιδέσι φ α ρ μ ά κ ο ι ς καὶ κεκλασμέναις στολίσι καὶ ῥυτίσι καὶ γωνίαις ἐναργείας φαντασίαν ἐπαγόμενον.

De multis aliis hic dubito, sed non dubito quin Wyttenbachii

coniectura *μορφαῖς* pro *φαρμάκοις* utique commemoranda fuerit. Etenim solet adulator tam multa narrare de molestiis quas tua causa in aliqua re sit perpessus *ὥστ' εἰπεῖν „οὐκ ἄξια ταῦτ' ἐκείνων"*. Nonne perspicua haec: „tanti non erat res mea", sive „nollem mea causa tantum suscepisses negotii" vel quaecunque sunt ex hoc genere? Non videtur sic locum accipere editor; omittit enim signa quibus significatur non scriptoris sed alicuius, quem loquentem inducit ille, ea verba esse, sed quo modo accipiat frustra quaero.

64 E Simius ad nullam rem utilis est, *ὕβριν οὖν φέρει καὶ βωμολοχίαν καὶ παιδιᾶς ἀνέχεται.*

Sanusne genitivus ille? Nullum aliud apud Plutarchum inveni exemplum. In indice Wyttenbachiano citatur praeterea I, 417 B, ubi nihil ex eo genere legitur.

ib. Adulator stat paratus ad opem ferendam *ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν.*

Ludicrum hoc exemplum exquisitae locutionis quam haud intellectam ad suam exornandam orationem adhibuit Plutarchus. Raro in eum quadrat graculi Aesopei exemplum. Conferri fere potest De Tuenda sanitate c. 6 (p. 124 E): „Socrates cavere iubet a cibo qui non esurientes ad edendum, a potu qui non sitientes ad bibendum pellicit, non hercle ut prorsus iis abstineamus sed ut tantummodo ubi opus est iis utamur, utilitatem praeponentes suavitati *ὥσπερ οἱ τὰ θεωρικὰ ποιοῦντες ἐν ταῖς πόλεσι στρατιωτικά*". Quam suaviter risisset Demosthenes si *legem* a se latam in *praeceptum* reipublicae gerendae converti vidisset!

65 B *ἐλαφρὸς καὶ ἐ π ί κ τ η τ ο ς καὶ ἀπατηλός.*

Ad adulatorem describendum vocabulis hic utitur scriptor quibus aurum adulterinum significatur. Egregie *ἐπίτηκτος* reposuit primus Wyttenbachius, non Iacobsius, ut refert editor.

65 C *κρυφίου δὲ λόγου κνήσαντος ἕλκος, κἂν μὴ παντελῶς εὐθὺς ἐξεργάσηται,* (adulator) *τὸ τοῦ Μηδίου φυλάττει μεμνημένος.*

Certe non meliorem locum reddidit editor simplex verbum pro composito *ἐξεργάσηται* reponens. Nam hoc tamen utcunque intelligo: „etiamsi non plane id quod voluit *perfecerit* statim". Quamquam aegre hic obiectum aliquod desidero.

ib. *ἦν δ' ὁ Μήδιος τοῦ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον χορεῦ τῶν κολάκων*

οἷον ἔξαρχος καὶ σοφιστὴς κορυφαῖος ἐπὶ τοὺς ἀρίστους συντεταγμένος.

Ducis esse *συντάττειν*, exercitus *συντάττεσθαι* et *συντετάχθαι* putabam. Lege ergo *συντεταγμένων*. Plane aberravit a loci sententia Didotianus sic vertens: „fuit is Medius chori adulatorum qui Alexandrum cingebat veluti princeps et sophistarum summus *praestantissimis impositus*". Immo vero instructus erat ille adulatorum exercitus *in optimos* i. e. ut optimum quemque impugnarent potissimum. Praestat autem — neque id propter hiatum solum: ab *ἐκέλευεν* incipit sententia sequens — *συντεταγμένων*, non *συντεταγμένου*. Missam enim scriptor *chori* facit imaginem et transit ad *exercitum* (*συντάττειν ἐπί*).

65 E Enumeratis adulatoribus quibus se Alexander tradidit, haec addit:

οὕτω μεγάλην ἔχει τὸ πρὸς χάριν δύναμιν, καὶ μεγίστην ὡς ἔοικεν ἐν τοῖς μεγίστοις εἶναι δοκοῦσι· τὸ γὰρ οἴεσθαι τὰ κάλλιστα μετὰ τοῦ βούλεσθαι πίστιν ἅμα τῷ κόλακι καὶ θάρσος δίδωσι.

Ipsa nocte obscuriora mihi haec sunt; unum hoc video in errorem nos induci ab interprete Didotiano qui *ἐν τοῖς μεγίστοις εἶναι δοκοῦσι* sic vertit: „*apud eos* qui maximi putantur". Sic praepositione *παρά* opus foret, nam nunc hoc habemus: „*in rebus* quae maximae (maximi momenti) putantur".

65 E Quo quisque locus magis est editus eo difficiliorem habet aditum hostibus:

τὸ δ' ἐν ψυχῇ νοῦν οὐκ ἐχούσῃ δι' εὐτυχίαν ὕψος . . . μάλιστα βάσιμόν ἐστι.

Post *εὐτυχίαν* etiam traditum est *ἢ δι' εὐφυΐαν*, sed hoc una litura Wyttenbachius delevit et sic sanum sensum restituit. Possis etiam *οὐ δι' εὐφυΐαν*: „locus editus, quo stultus aliquis pervenit felici aliquo casu non felici indole (*τὸ δι' εὐτυχίαν οὐ δι' εὐφυΐαν ὕψος*)".

65 F Primum omnium ex animo nostro *τὴν φιλαυτίαν* evellamus:

αὕτη γὰρ ἡμᾶς προκολακεύουσα μαλακωτέρους ποιεῖ τοῖς θυραίοις κόλαξιν ὡς ἑ τ ο ί μ ο υ ς ὄ ν τ α ς.

Nimis tria illa vocabula languent frigentque quam ut hic ullo modo ferri possint, neque quidquam proficimus lectione, quam cod. F in margine habet *ὡς τινας ὄντας*, vel ea quam

Wyttenbachius suadere videtur *ὥς τι ὄντας*. Tale enim aliquid non est huius loci. Una litura delenda censeo; nata videntur ex annotatione *καὶ ἑτοιμοτέρους* ad *μαλακωτέρους* adscripta.

ib. Alexander duabus potissimum in rebus erat *ἀγεννέστερος καὶ παθητικώτερος αὑτοῦ*.

Restitue solemnem formulam *αὐτὸς αὑτοῦ*, Plutarcho non ignotam; omisso *αὐτός* absurdi nascitur aliquid.

66 A Cum vitia nostra erroresque reputaverimus, nosmet ipsos deprehendemus *οὐκ ἐπαινοῦντος Φίλου καὶ κατευλογοῦντος δεομένους, ἀλλ' ἐλέγχοντος καὶ παρρησιαζομένου καὶ ψέγοντος ἡμᾶς ἰδίᾳ κακῶς πράττοντας*.

Rem acu Wyttenbachius tetigit pro *ἰδίᾳ* coniciens *νὴ Δία* et optime quam in enumerationibus haberet vim exclamatio illa ultimo adiecta membro (de qua re ipsi egimus ad p. 34 F) exposuit. Sed totam loci venustatem non perspexit vir praestantissimus. Etenim *κακῶς πράττοντας* vertit *male affectos, vitiis laborantes*. Est enim, et sic illud *νὴ Δία* duplex quodammodo accipit pondus, „nos quorum mala est conditio, sors misera, sive (ut magis etiam perspicue rem declarem) *qui pauperes simus*". Et quae sit illa paupertas egregie docemur iis quae continuo sequuntur: *ὀλίγοι μὲν γὰρ ἐκ πολλῶν εἰσιν οἱ παρρησιάζεσθαι μᾶλλον ἢ χαρίζεσθαι τοῖς Φίλοις τολμῶντες*. Licet opulentus sibi aliquis videatur, quem multi sibi expetunt, revera pauper est, nam multos quidem habet adulatores, paucissimos amicos.

66 D Absurdissimum est in amicum tuum, ne blandiri ei videaris, acerbe invehi

ὥσπερ ἀπελεύθερον ἐν κωμῳδίᾳ τὴν κατηγορίαν ἰσηγορίας ἀπόλαυσιν ἡγούμενον.

„Huiusmodi liberti maledicam personam in veterum comoediis non videre nos meminimus" Wyttenbachius ait, neque post Wyttenbachium inventum opinor fragmentum quod talem eam exhiberet. Tamen fuisse eam frequentissimam in nova Comoedia res ipsa clamat. Quae enim in fabula privatam privatorum vitam depingente aptior ad risus movendos figura quam libertini qui, laetus se iam eadem qua ingenuos dicendi uti libertate, ita se nova illa *voluptate satiet* ut in obvios invehatur *maledictis*. Nam non puto hominis illiterati esse *accusatoris* grave onus in se suscipere.

Utique ergo pro κατηγορίαν cum Mezeriaco κακηγορίαν legendum.

66 F ὁ Ἀγαμέμνων τὸν Ἀχιλλέα παρρησιάζεσθαι δοκοῦντα μετρίως οὐχ ὑπέμεινε

quia ipsius Achillis causa agitur.

In *praesenti* tempore hic sunt ponenda omnia. Vide modo contrarium quod sequitur exemplum:

τοῦ δὲ Ὀδυσσέως καθαπτομένου πικρῶς ... εἴκει καὶ καρτερεῖ

quia scit eum communi causae prospicere. [Ubi admodum insolite *tamquam synonyma* inter se iunguntur vocabula quorum natura potius ut inter se *opponantur* ferre videtur: *cedere* et *perseverare*. Sed forte eiusmodi hic locus est ut recte fiat illud: cedit Ulyssi Agamemnon eiusque maledicta aequo fert animo.]. Legendum ergo ὑπομένει.

67 B Si quis vero in amico reprehendendo quas ipse ab eo iniurias accepit reticet negligitque

ἄλλας δέ τινας αὐτοῦ πλημμελείας ἐλέγχων καὶ δάκνων ἐφ' ἑτέροις καὶ μὴ φειδόμενος, ἄμαχος ὁ τόνος τῆς παρρησίας οὗτός ἐστι καὶ τῇ γλυκύτητι τοῦ νουθετοῦντος ἐπιτείνων τὸ πικρὸν καὶ αὐστηρὸν τῆς νουθεσίας.

Duplici vitio haec laborant. Primum nemo mortalium unquam quid sit δάκνειν ἐπί τινι intelliget. Sed ante ἐλέγχων pone verba ἐφ' ἑτέροις, primum legitimam habebis structuram: „alia quaedam eius *in alios* peccata", deinde pulcherimam gradationem: „arguens, mordaciter reprehendens, nihil remittens". Tum ratio est reddenda *cur* eiusmodi loquendi libertas sit inexpugnabilis. Habebis hoc si καί, quod inter ἐστι et τῇ γλυκύτητι legitur, deleveris. En pulcherrimus evasit locus: „inexpugnabilis ea est simplicitas, *utpote quae* censoris suavitate (qui suas iniurias negligat) reprehensionis acerbitatem augeat intendatque".

67 F Urbanitate in reprehendendo opus est, θρασύτης δὲ καὶ βδελυρία καὶ ὕβρις προσοῦσα π ά ν υ διαφθείρει καὶ ἀπόλλυσι.

Quasi vero aliquis *modice* possit *perdere* et *pessumdare*! Praeterea nunc obiecto carent verba illa, neque e praecedentibus elicere ullum potes. Satisne ergo certum est Reiskium recte πάντα reposuisse?

68 B Timagenes Caesaris excidit amicitia semper et ubique, ubi minime opus esset, αἰτίαν φιλίας ὥσπερ σόφισμα λοιδορίας προφερόμενος.

Nihili est tam *αἰτίαν φιλίας* quam *σόφισμα λοιδορίας*. Sed genitivos illos locum inter se mutare iube, egregii aliquid obtinebis: quavis ille maledicendi utebatur occasione tamquam si sic amicitiam novo quodam condiret artificio. Mnem. 1909, 309.

68 D Nihil est absurdius quam in hilari convivio graves movere de rebus gravibus quaestiones:

εὐδίᾳ γὰρ ἐπάγει νέφος ὁ κινῶν ἐν παιδιᾷ καὶ φιλοφροσύνῃ λόγον ὀφρῦν ἀνασπῶντα καὶ συνιστάντα τὸ πρόσωπον, ὥσπερ ἀντιταττόμενον τῷ Λυαίῳ θεῷ καὶ „λύοντι τὸ τῶν δυσφόρων σκύνιον μεριμνᾶν" κατὰ Πίνδαρον.

Qui sic in convivio agit, *ipse* ut opinor, se Baccho opponit. Lege ergo *ἀντιταττόμενος* et, ut omnia bene cohaereant, *τῷ* pro ultimo *καί*. Mnem. 1909, 340.

ib. Sic disputationem suam de hoc argumento claudit scriptor:

καὶ ὅλως οὐκ ἔστι γενναῖον οὐδὲ θαρραλέον ἀλλ' ἄνανδρον ἐν τῷ νήφειν ἀ π α ρ ρ η σ ι ά σ τ ο υ τὸ παρρησιάζεσθαι παρὰ τράπεζαν.

Genitivi illius ratio haudquaquam constat et omnino claudicat sententia. Sed lege *ἀπαρρησίαστον ὄντα*, egregie procedent omnia: „inter pocula libertate loquendi uti, cum sobrius non audes aperire mentem, turpe est et ignaviae documentum". Mnem. 1909, 340.

68 F *δεῖ μάλιστα παρρησιαζομένων φίλων τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τὸ ἄγαν ὑφιέντων τοῦ φρονήματος.*

Cur non sit huius loci *ὑφιέναι τοῦ φρονήματος* et quando recte illud dicatur exemplis quam maxime idoneis docet Wyttenbachius, cuius emendationem *ἀφαιρούντων* utique recipiendam censeo.

69 F Vehementi oratione est utendum cum opus est *ἀπροσεξίαν ἀνασχεῖν ἀνόητον.*

Nonne *κατασχεῖν* legendum est? Eiusmodi supinam negligentiam vi *continere* oportet et reprehensionis vinculo constringere. Sequentis vocabuli prima syllaba, ut saepe in Plutarchi textu, vitium peperit.

70 D Sincerus amicus et hoc argumento adversus peccantem utetur amicum: „propter inimicos pone vitia tua, quod si feceris, illi neque *στόμα διᾶραι* contra te poterunt, neque quidquam *προσειπεῖν*".

Absurde hic *salutandi* infertur vocabulum, quod in editoris quoque residebit coniectura προσεπειπεῖν, qua nihil proficimus. Unice verum est Reiskii προφέρειν.

70 F Socrates quendam vehementer ἐπὶ ταῖς τραπέζαις vituperabat.

Quid illud est? An: in foro, ubi sunt *mensae argentariorum*? Aptum illud huic loco sit, nam sequitur monuisse eum Platonem ut ἰδίᾳ potius id faceret. Sed exemplum in promptu non est.

71 D Aristomenes Ptolemaei magister parum urbane discipulum excitavit legatis praesentibus obdormiscentem. Tum adulatores regis:

εἰ τοσαῦτα κοπιῶν καὶ ἀγρυπνῶν κατηνέχθης ἰδίᾳ σε νουθετεῖν ὀφείλομεν, οὐκ ἐναντίον ἀνθρώπων τοσούτων προσφέρειν τὰς χεῖρας.

Ad id solum quod *illo fiebat tempore* dictum illud adulatorum pertinet, quod vel maxime ex κατηνέχθης (obdormivisti) apparet. Lege ergo ὤφειλεν. Mnem. 1909, 272.

ib. Ἀριστοφάνης δὲ καὶ τὸν Κλέωνα τοῦτ' ἐγκαλεῖν φησιν ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγει
καὶ παροξύνει τοὺς Ἀθηναίους.

Plane absurdus foret Cleon, si vitio dedisset Aristophani, non quod rempublicam Atheniensium in hospitum adduxisset contemptionem, sed quod Athenienses irritasset. Sed hoc dicit Aristophanes: „Vitio mihi dat Cleon quod praesentibus hospitibus maledixerim reipublicae, et sic Athenienses in me irritat". Rectissime ergo Wyttenbachius παροξύνειν, quam emendationem ne commemorat quidem editor.

71 E Quod Corinthios de se dicentes facit Thucydides ὡς ἄξιοί εἰσιν ἑτέροις ἐπενεγκεῖν ψόγον, οὐ κακῶς εἰρημένον, ἔδει παρεῖναι τοῖς παρρησιαζομένοις.

Non, ut opinor, ea re carent omnes qui libertate loquendi utuntur; sed quicunque alium vituperat hoc habere debet. Lege ergo δεῖ.

71 E Exemplo allato mordacis in Megarenses dicti: οἱ λόγοι ὑμῶν πόλεως δέονται, sic noster pergit: „παρρησία δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἤθους ἴσως δεῖται, sed maxime eius qui alium castigat".

Quis hic *dubitationi* locus sit non video; certissimum enim illud est *bonis moribus* esse oportere eum qui libere quae sentiat

velit proloqui. Sed neque nudo *ἦθος* *boni* mores indicantur. Suspicor ergo istud *ἴσως* in vocabuli quale est *χρηστοῦ* irrepsisse sedem.

72 B Inutilem suam ipse reddit admonitionem qui omni labe purus videri tentat. *ὅθεν οὐχ ἁπλῶς ὁ Φοίνιξ ἐνέβαλε τὰ περὶ αὑτὸν ἀτυχήματα.*

Aptissimam praebent interpretes sententiam sic vertentes: „haud abs re" et „haud temere" et „non sine causa", sed simul sic aptissimum praebent argumentum coniecturae meae *ἄλλως* pro *ἁπλῶς* quam proposui Mnem. 1909, 340.

73 A Qui in omnibus rebus, etiam levissimis, adversus amicum non lenem se benevolumque amicum sed tristem severumque praebuit magistrum *ἀμβλὺς ἐν τοῖς μεγίστοις νουθετῶν ἔσται καὶ ἄπρακτος, ὥσπερ ἰατρὸς δριμὺ φάρμακον ἢ πικρὸν ἀναγκαῖον δὲ καὶ πολυτελὲς εἰς πολλὰ καὶ μικρὰ καὶ οὐκ ἀναγκαῖα διελὼν τῇ παρρησίᾳ κατακεχρημένος.*

Ad *διελών* Wyttenbachius annotat abesse illud posse et abesse in multis mss. Sed sic ipsa perturbatur disiiciturque syntaxis. Alia vero mihi non abesse *posse* sed *debere* videntur: *τῇ παρρησίᾳ κατακεχρημένος*: „in gravissimis rebus omni carebit successu talis monitor, ut medicus qui medicamentum in multas partes divisit (ita ut omnem vim amitteret)". Est illud medicamentum vel acerbum vel amarum, sed est necessarium et magno constat (ita ut parce eo sit utendum doleamusque si frustra pereat). Poteratne ulla excogitari metaphora elegantior aptiorque ad depingendam parrhesiam, simulque perspicua magis? Quid ergo eam corrumpamus inutilem addendo interpretationem?

73 B Continuo sic pergit: *αὐτὸς μὲν οὖν σφόδρα φυλάξεται τὸ συνεχὲς καὶ φιλαίτιον.* Si vero alium viderit levissima quaeque severe castigantem, hac utetur occasione ad graviora notanda.

Quod ad sententiam pertinet rectissime (ut fere semper) Reiskius *τὸ συνεχὲς τοῦ φιλαιτίου* proposuit. Lenius tamen sit *τὸ συνεχὲς φιλαίτιον.* An id non est Graecum et *συνεχῶς* legendum?

Atque sic ineptum illum censorem alloquitur: „quid hic de amici ludis iocisque, in quibus aut nihil aut non multum mali est, loquimur?"

ἀποπεμψάσθω τὴν ἑταίραν ἢ παυσάσθω κυβεύων, καὶ τἄλλα θαυμαστὸς ἡμῖν ἄνθρωπός ἐ σ τ ι ν.

Editoris est, ut equidem opinor, non in calce paginae annotare H. quendam hic *ἔσται* coniecisse, sed emendationem eius, ut egregiam certamque, cum grati animi testificatione in textum recipere.

73 E *οὔτ' ἀρνουμένους δεῖ πικρῶς ἐξελέγχειν οὔτε κωλύειν ἀπολογουμένους, ἀλλὰ καὶ προφάσεις εὐσχήμονας ἀμωσγέπως συνεκπορίζειν καὶ τῆς χείρονος αἰτίας ἀφισταμένους αὐτοὺς ἐνδιδόναι μετριωτέραν.*

Praeclarum hoc humanissimumque praeceptum prorsus pessumdat editor in textum recipienda Hauptii coniectura *ἀφισταμένοις*, qua nihil excogitari potest falsius. Quam sincerum esset *ἀφισταμένους* docuit Wyttenbachius annotando: „referendum ad reprehendentes non ad reprehensos" et deinde illud *ἀφίστασθαι* vertendo: „desistere a". Paulo tamen accuratius fortasse fuerit: „missam facere". Nam humanus ille censor missam faciet causam peccati turpiorem et ex honestiore illud causa natum finget. Sic Hector fecit cum Paridem fingeret non ignavia sed ira motum e proelio recessisse.

74 A Lenioribus vocabulis in castigando est utendum, non suo sunt nomine vitia appellanda:

τοιοῦτον γὰρ ἡ θεραπευτικὴ παρρησία ζητεῖ τρόπον, ἡ δὲ πρακτικὴ τὸν ἐναντίον.

Nunquam vidi duas res ineptius inter se oppositas quam *τὸ θεραπευτικόν* et *τὸ πρακτικόν*. Quasi vero non nunc quoque *θεραπεία* dicatur ea disciplina qua tota medici *πρᾶξις* nitatur. Prorsus idem ergo est *θεραπευτικόν* esse et *πρακτικόν*. Sed quae *παρρησία* recte illi opponitur quae *θεραπεύει*, id est quae hoc sibi habet propositum ut curet, levet, tollat morbum? Ut opinor ea quae Demeae Terentiani instar: *clamat* saepe „Micio

cur perdis adolescentem nobis, cur amat
cur potat, cur tu his rebus sumptum suggeris?"

Demea enim conviciis onerare filium vult, de sanando eo ne cogitat quidem. Missum ergo faciamus editoris *ἐπακτική*, quod quid sibi velit non video, et lenissima emendatione *κρακτική* legamus. Mnem. 1910, 50.

Ib. Inde ad aliud boni et sinceri monitoris transit artificium.

„Saepe deficientes" ait „incitare debemus turpi causa cur deficiant fingenda; dummodo sint veri honoris amantes sic certe excitabuntur e somno suo". Sic agere nos oportet *ὅταν .... ἢ μέλλοντας ἁμαρτάνειν ἐκκροῦσαι δεήσῃ ἢ πρὸς ὁρμήν τινα βίαιον ἱσταμένους ἐξ ἐναντίας Φερομένην ἢ πρὸς τὰ καλὰ μαλακῶς καὶ ἀπροθύμως ἔχοντας ἐντεῖναι καὶ παρορμῆσαι θελήσωμεν.*

Nonne haec recte inter se opponuntur? Alii a peccato sunt repellendi, alii, qui haesitant pavitantve, incitandi. Quid ergo sibi vult editor *ἢ* (ante *πρὸς ὁρμήν*) delendo? An ne hiatus existat, sensu cassa Plutarcho obtrudamus? De *ἱσταμένους* dubitari potest. Requiritur enim aliquid quod homines significet adversus molestias metu ignaviaque subsistentes neque progredi audentes; et *ἵστασθαι πρός τι* contrarium potius significat. Vide exempla disertissima apud Wyttenbachium. Ecquid *ὑΦισταμένους*?

Sic apud Sophoclem Ulysses Achillem incitans eum *σὺ Φησιν ὀργίζεσθαι διὰ τὸ δεῖπνον ἀλλ'*

> *„ἤδη" Φησί „τὰ Τροίας εἰσορῶν ἐδώλια*
> *δέδοικας".*

Nollem hic Wyttenbachius cogitasset de reponendis vocabulis quibus *nomen fabulae* indicaretur. Nam utique nobis opus est *causa* aliqua quae recte apteque *turpi metus causae* opponatur, quae versui citato inest. Qualem autem illam esse oportet? Ut opinor, levem aliquam et ludicram. Perquam ergo mihi verisimile videtur id quod reicit Wyttenbachius: „nisi ergo" ait „ut in Satyrico dramate, hoc ridiculi causa finxit poeta, pro celebrata illa irae causa propter raptam Briseidem frustrationem coenae aut similem iocularem causam substituens; nisi, inquam, hoc fecerit poeta, de quo statuere non possumus, haud inepta sit suspicio, haec verba a Plutarcho ita *ἐν τῷ Δείπνῳ* nomini ΣοΦοκλεῖ subiecta, vel a quodam librario profecta fuisse".

Non *inepta* certe; talia in Wyttenbachii suspiciones non cadunt vocabula! Sed minime utilis. Quidni enim hoc fingamus? Et, ut iam dixi, deleta *causae alicuius* significatione totus locus sensu cassus fit.

74 C „Oportet aut, si quis salvus esse vult", Diogenes ait „amicos habeat bonos aut inimicos vehementes: illi enim docent, hi arguunt". In deliciis Plutarcho hoc dictum fuisse videtur, quod modo Diogeni assignat modo Antistheni, modo sic refert

ut unus amicus et unus inimicus commendetur, modo ut plures. Insigne hoc exemplum — quandoquidem de re hic agitur quam prae ceteris ei cordi fuisse apparet — quam parvi semper et ubique Plutarchus fecerit doctam *ἀκρίβειαν*. Sed hoc *ἐν παρέργῳ*. Philosophi Cynici dicto haec adiicit ipse:

βέλτιον δὲ τὰς ἁμαρτίας φυλάττεσθαι τοῖς συμβουλεύουσι πειθόμενον ἢ μετανοεῖν ἁμαρτάνοντα διὰ τοὺς κακῶς λέγοντας.

„Seram" dicere poenitentiam cuiusvis est, tam docti quam indocti. Neque Plutarcho aliter visum unquam crediderim. Sed nunc a communi omnium opinione recedit qui poenitentia aliquem affici faciat *dum peccat*; recedit? Immo invitissimus abstrahitur. Nam in Didotiana et apud Wyttenbachium recte *ἁμαρτόντα* legitur, apud novum editorem *ἁμαρτάνοντα*. Illud ergo quantocius in integrum restituamus! Quid enim certius quam sic a Plutarcho illustrari Cynici dictum: „sed praestat non peccare bene monentibus obtemperantem, quam postquam peccaveris poenitentia affici, non solum sera sed ne vera quidem, quandoquidem non te pudet peccasse sed tantummodo reprehensionem metuis".

Operarii errorem, ut opinor, deprehendimus in iis quae statim adduntur:

καὶ διὰ τοῦτο δεῖ καὶ περὶ τὴν παρρησίαν φιλοτεχνεῖν, ὅσῳ μέγιστόν ἐστι καὶ κράτιστον ἐν φιλίᾳ φάρμακον, εὐστοχίας τε καιροῦ μάλιστα καὶ κράσεως μέτρον ἐχούσης ἀεὶ δεομένην.

Praeclara profecto sententia! „Oportet dicendi libertatem tamquam artem subtilissimam artificiose tractare; nam quo efficacius illud est medicamentum, eo accuratius opera danda est ut suo adhibeatur tempore et suam sibi habeat temperationem". Sed sensu cassa fit lectione *δεομένη* quam novus editor praebet.

QUOMODO QUIS SUOS IN VIRTUTE SENTIAT PROFECTUS.

En doctam docti diatriben! Nimirum scripsit eam philosophus philosopho, senex seni, Sossio Senecioni, qui consul fuit et aliis annis et 107. Ergo et paulo impeditior difficiliorque oratio,

praesertim in septem capitibus primis. Operam enim dat scriptor ut quam maxime idonea refutet disputatione philosophos illos quos, quamvis multa cum iis habeat communia, prorsus ferre non possit, Stoicos. Accusat eos quod totam philosophiam πολλῶν ἀτοπιῶν ἐμπεπλήκασι. Sic enim legendum ut et 1089 D, ubi Epicurei inducuntur suarum ipsi αἰσθόμενοι ἀτοπιῶν. Nam quod traditum est ἀποριῶν, eas neque Plutarchus neque quisquam antiquorum philosophorum metuit unquam. Immo quo plures ἀπορίαι eo plures λύσεις, eoque maior laus.

Atque omnes illae Stoicorum *ineptiae* inde nascuntur quod proverbium illud ceteroquin prudens verumque:

lapides ad amussim dirige, haud amussim ad hos

ad philosophiam transferunt ideoque non, quemadmodum oportebat, e rebus quas observant normam quandam efficiunt, sed res ipsas distrahunt torquentque ut normae respondeant, quam excogitarunt ipsi [1]).

Longe ab isto rigore Stoico lenis noster placidusque mentium medicus afuit semper. Sed nusquam magis quam hic mite suum et amabile prodit ingenium. In hoc enim libello legitur sententiola illa, qua nulla in omnibus illis voluminibus invenitur aptior ad legentium animos deleniendos permulcendosque. An non amemus philosophum qui sic disputavit (p. 85 D): „tum vel maxime aliquis se in virtute profecisse intelligit, cum subito ei in mentem venit sic secum loqui: quam vellem pater me meus talem videre potuisset"?

Profecto nunc tota illa gens Chaeronensis nobis stat ante oculos, progenies illa Lampria, omnium quotquot fuerunt senum lepidissimo, digna.

Sed omnino, quemadmodum iam dicebam, est docta docti diatribe et viro docto scripta est. Desunt flosculi illi oratorii, quibus capiuntur *auditores*; non abundant narratiunculae. Et quae proponuntur — duae illae sunt: de Diogene quem mures ad sanam mentem redegerint (77 E) et de Stilpone ipsum deum feliciter

1) Paulo verbosius hic initium capitis 2 ἀλλ' ὀρθῶς μὲν ... ἐμπεπλήκασι τὴν φιλοσοφίαν retuli, quia periculum est ne prave accipiatur. Bene ab interprete Didotiano intellectum affirmare non ausim. Sic decurrit illud: „recte *quidem* habet proverbium, *sed* Stoici ita agentes philosophiam impleverunt ineptiis". In deliciis Plutarcho haec transitionis figura.

vituperante (83 D) — lepidissimae quidem sunt sed minime decantatae. Sed — et sic ad haec usque tempora salvus evasit libellus — patronum nactus est potentem opulentumque, qui laetus honore quo affectus esset a claro philosopho, neque ipsum, ut opinor, scriptorem sine honore dimiserit, et a servis suis literatis multa libelli describi exemplaria iusserit, quo factum est ut in multorum perveniret doctorum manus. Nunc nos operam demus ut paulo saltem „emendatior" prodire possit „editio".

75 C „Quid" sic fere ratiocinandi facit initium noster „discere prodest si non sentis stultitiam tuam imminui, quid curari si non levaris morbi pondere?" Tum haec exempla sic in suum usum convertit:

ἀλλ' ὥσπερ ἐν τούτοις οὐ προκόπτουσιν, ἂν προκόπτοντες ἀνέσει τοῦ βαρύνοντος οἷον ἐπὶ ζυγοῦ πρὸς τοὐναντίον ἀναφερόμενοι μὴ γιγνώσκωσι τὴν μεταβολήν, οὕτως ἐν τῷ φιλοσοφεῖν κτέ.

Impeditior, ut saepe in hisce paginis, structura; sic enim decurrit sententia: ἂν μὴ γιγνώσκωσι τὴν μεταβολήν, ἀνέσει ... ἀναφερόμενοι. Sed non, ut opinor, ita se verbis suis ipse impedivit Plutarchus ut se sibimet ipsi obloqui non sentiret. Quid enim absurdius cogitari potest quam hoc: „hi vel illi homines *non proficiunt*, si *proficientes* non sentiunt mutationem"? Quantocius illud προκόπτοντες expunge. Quam sit inepta lectio tradita documento sunt interpretis Didotiani verba: „sed ut in his rebus *profectus nullus* est, nisi *inter proficiendum* ... mutatio sentiatur". Sed et in Graecis ipsa vicinia verborum οὐ προκόπτουσιν et προκόπτοντες manifesto prodit falsarium.

75 D Sapiens ille Stoicus

ἀκαρῆ χρόνου a summa pravitate ad summam pervenit virtutem.

Sic, et ἀκαρεί, est in codicibus. Editor Graecus ἀκαρές dedit. Nonne lenior meliorque foret emendatio ἐν ἀκαρεῖ? Novimus omnes Aristophaneum illud:

γυμνὸς θύραζ' ἐξέπεσον ἐν ἀκαρεῖ χρόνου.

Idem ille ἧς οὐδ' ἐν χρόνῳ πολλῷ μέρος ἀφεῖλε κακίας ἅμα πᾶσαν ἐξαίφνης ἐκπέφευγε. De ἀφεῖλε dubito. Ad sensum recte vertit Didotianus: „cuius vitiositatis partem ... *abiecerit*". Sed num ἀφεῖλε illud significare potest? Nonne ἀφεῖκε legendum? Nam et perfecto hic opus esse videtur.

Sed non dubito quin iusto exilius sit *μέρος*. Non pars, sed *parva* pars hic requiritur. Habebimus hanc et eleganter quidem enuntiatam, si post *πολλῷ* restituerimus *πολλοστόν*: „magno temporis spatio ne minimam quidem partem".

76 A „Maxima vero Stoicorum *ἀτοπία* ea est quae, uno illo perfecto sapiente excepto, omnes homines in una *collocat* pravitate". (Quo iure hic medium *τιθεμένης* legatur non video; exspectem *τιθείσης*). Hanc ergo *ἀτοπίαν* sic describit:

ὑφ᾽ ἧς αἴνιγμα γέγονεν ἡ λεγομένη προκοπή, μικρὸν ἀπολείπουσα ἀφροσύνης ἐσχάτης.

Si recte haec intelligo, *vocabulo* quidem, quod est *προκοπή*, utuntur Stoici sed hoc sensu ut *subitus* eo indicetur *transitus* a summa pravitate ad ipsam virtutem. Sed dubito, augeturque dubitatio duro hiatu *ἀπολείπουσα ἀφροσύνης*.

76 B Plutarcho auctore *sensim* emendatur homo

τοῦ λόγου διαφωτίζοντος ἀτρέμα τὴν ψυχήν.

Fortiter et *firmiter* potius *ἀτρέμα* significat quam, quo hic opus est, *sensim* leniterque. Lege ergo *ἠρέμα*.

76 D *αἱ δ᾽ ἀνωμαλίαι καὶ ἀμβλύτητες τῶν φιλοσοφούντων οὐ μόνας ποιοῦσιν ἐποχὰς ὥσπερ ἐν ὁδῷ τῆς προκοπῆς, ἀλλὰ καὶ ἀναλύσεις.*

„Non solum ... sed etiam". Si hoc Plutarchus voluisset, haud dubie *οὐ μόνον* scripsisset. Sed non voluit, verum id quod acutissime vidit Wyttenbachius: *οὐ μονὰς ποιοῦσιν οὐδ᾽ ἐποχάς.*

76 E *ἂν οὖν ... συνίδῃς σεαυτὸν ἡμέρας τε καὶ νύκτωρ ἀεὶ τῇ κακίᾳ διαμεμαχημένον.*

Si Reiskii est, ut refert editor, istud *συνίδῃς*, hic, quod raro acutissimo accidit viro, locum sanum corrupit. Rectissime enim codices *συνειδῇς* praebent. *Conscientiam* hic significari opus est.

Sic locus continuatur:

ἢ μὴ πολλάκις γε τὴν φρουρὰν ἀνεικότα μηδὲ συνεχῶς παρ᾽ αὐτῆς οἱονεὶ κήρυκας ἡδονάς τινας ἢ ῥᾳστώνας ἢ ἀσχολίας ἐπὶ σπονδαῖς προσδεδεγμένον

bono tibi animo pergere licet.

Primum hic ab Emperio recipiendum *συχνῶς* est: „non saepe vel frequenter". Hoc requiritur; nam qui *perpetuo* relabitur ad pravitatem, is nihil proficit. Sed et alia opus est emendatione ut imaginis constet ratio: qui in virtute remittit, intervallum

quoddam fieri patitur per quod voluptates ad ipsum accedant (sic vel maxime sentis, lector, quam necessaria sit Emperii emendatio modo commemorata: etenim si *perpetuum* illud fit intervallum, ad virtutem reditur *nunquam*); illud intervallum comparatur cum induciis, *per quas* hostis praecones (hostis autem vitium est, eius praecones sunt voluptates) admittuntur. Iam *sunt* induciae, non *de* induciis agitur. Lege ergo ἐν σπονδαῖς.

Tum haec opponit scriptor modo dictis:

οὐ μὴν ἀλλὰ κἂν ᾖ διαλείμματα γιγνόμενα τοῦ φιλοσοφεῖν, τὰ δ' ὕστερα τῶν πρότερον ἑδραιότερα καὶ μακρότερα

hoc quoque signum est sensim a te expelli pravitatem.

Manifestum huius loci vitium sic abscondit interpres Didotianus: „quin etiam si feceris aliquas philosophandi intercapedines, ita tamen ut posteriora *tua studia* prioribus constantiora fuerint ac prolixiora". Quo facto sanum quidem sensum praebet, sed sumit aliquid a scriptore quod non offert ille. Ubinam enim istud *tua studia* legitur? Nusquam ut opinor; sed ut nunc se locus habet, comparativos istos ἑδραιότερα et μακρότερα ad ὕστερα διαλείμματα referre cogimur, ita ut contrarium obtineamus eius quo opus est. Miros enim *profectus* facit iste qui semper *longiora* admittit intervalla virtutis. Neque alio modo sanari locus potest quam hac transpositione: τὰ δὲ πρότερα τῶν ὑστέρων.

77 B τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίγνετο

ei nimirum qui nunc opponitur illis qui deficiunt quoniam nullos sentiunt profectus.

Cur autem illi alae crescunt? δι' ὠφέλειαν φερομένῳ καὶ διακόπτοντι τὰς προφάσεις quia profectum sentiens fortis fit et impletur spe. Sed quid est δι' ὠφέλειαν φέρεσθαι? Nihil, ut opinor. Editor ne commemorat quidem Wyttenbachii emendationem, quae in textum fuerat recipienda δι' ἀσφάλειαν. Hoc opus est: illi homines firmo incedunt pede et in cursu suo, sive volatum dicere mavis, non remittunt.

ib. Quemadmodum incipientis amoris indicium est τὸ δάκνεσθαι καὶ ἀλγεῖν ἀποσπώμενον (ab eo quod amat), οὕτως ἄγονται μὲν ὑπὸ φιλοσοφίας πολλοὶ καὶ σφόδρα γε φιλοτίμως ἀντιλαμβάνεσθαι τοῦ μανθάνειν δοκοῦσιν, ἂν δ' ἀπέλθωσιν ὑπὸ πραγμάτων ἄλλων καὶ ἀσχολιῶν non graviter ferunt; contra qui vere amat philosophiam e. q. s.

Quidni e praecedentibus repetamus verbum et *ἀποσπασθῶσιν* legamus? Nam neque *ἀπιέναι* fit ab invito et *ἀπέλθωσιν ὑπὸ πραγμάτων* absurdum est.

Vere ergo qui amat philosophiam quamdiu philosophatur lenis est placidusque, *ὅταν δὲ ἀποσπασθῇ* (iure hic quoque illud verbum legitur) *θεῷ φλεγόμενον καὶ ἀδημονοῦντα καὶ δυσκολαίνοντα πᾶσι πράγμασι καὶ ἀσχολίαις, λήθῃ δὲ φίλων ὥσπερ ἄλογος ἐλαύνεται πόθῳ τῷ πρὸς φιλοσοφίαν.*

Egregius hic locus, qualem eum exhibent editiones Wyttenbachiana et Didotiana; praeclara vero ultima: „amicorum suorum *immemor* tamquam insanus solo philosophiae desiderio propellitur". Quid ergo sibi velit editor pro *λήθῃ* nobis *μνήμῃ* obtrudens mysterii mihi instar est.

ib. Oportet *πείνῃ τινὶ καὶ δίψῃ πάθος ὅμοιον ἐν τοῖς ἀποσπασμοῖς πάσχοντας ἔχεσθαι τοῦ προκόπτοντος ἀληθῶς* sive nuptiae sive divitiae alio vocant.

Immo vero *τοὺς προκόπτοντας ἀληθῶς*, ut ad *ἔχεσθαι* mente suppleatur *τῆς φιλοσοφίας*. Nam *τὸ προκόπτον ἀληθῶς* nihil est.

77 D Antiquissimum profectus signum praebet Hesiodus, (*τὸ*) *μηκέτι προσάντη καὶ ὄρθιον ἄγαν ἀλλὰ ῥᾳδίαν καὶ λείαν καὶ δι' εὐπετείας εἶναι τὴν ὁδόν, οἷον ἐκλεαινομένην τῇ ἀσκήσει καὶ φῶς ἐν τῷ φιλοσοφεῖν καὶ λαμπρότητα ποιοῦσαν ἐξ ἀπορίας καὶ πλάνης καὶ μεταμελειῶν.*

Rectene *ὁδὸς φῶς ποιεῖν* dicitur? Quid tamen leni mutatione pro *ποιοῦσαν* legi possit non invenio.

77 F Ceteris omnibus Atheniensibus feriarum tempore genio indulgentibus, Diogenes in suo angulo solus iacens

ἐνέπιπτεν εἰς λογισμοὺς τρέποντας αὐτὸν οὐκ ἀτρέμα καὶ θραύοντας.

Non, ut opinor, illae cogitationes eum *vertebant*, nihili enim istud, sed animum eius *torquebant* vulnerabantque. Lege ergo *στρέφοντας* (Mnem. 1910, 126). Et videndum annon hic quoque *ἠρέμα* requiratur: *οὐκ ἠρέμα*, non leniter, recte cum torquendi vulnerandique vobis iungitur.

78 A *οὐ μόνον ἐξ αὐτῶν τὰ κατασείοντα καὶ στρέφοντα πρὸς τοὐναντίον ὑπ' ἀσθενείας ἐπιτείνεται τοῖς φιλοσοφοῦσιν.*

Pro *ἐπιτείνεται*, cui nullus hic locus — absurde enim illud *ὑπ' ἀσθενείας* fieri dicitur — editor recepit Iunii coniecturam *ἐπι-*

γίγνεται. Malim ἐγγίγνεται: ex ipsis oritur, *in ipsis* nascitur.

78 B Etiam a recta via abducunt *φίλων συμβουλαὶ μετὰ σπουδῆς καὶ διαφόρων ἀντιλήψεις ἐν γέλωτι καὶ παιδιᾷ γιγνόμεναι.* De διαφόρων dubito. Significanturne sic *aliter sentientes*? Nusquam alibi hoc sensu mihi vox lecta illa. An forte ἀδιαφόρων legendum, ut sit: „eorum qui nihili faciunt philosophiam, qui nullo eius amore tanguntur"? Non possum quidem locum afferre ubi ἀδιάφορος genere masculino vel feminino legatur, sed Stoicorum ἀδιαφορία πρός τι satis *homines* quoque ἀδιαφόρους tutatur. Neque minus bonum praebet sensum lectio nostra, si ἀδιαφόρων accipimus tamquam *neutrius generis* genitivum pluralem; nam etiam *res mediae,* quae sunt fere quotidiani labores vulgaresque occupationes, saepe nos retinent (ἀντιλαμβάνονται) a philosophia, idque cum risu iocoque. Neque incredibile Plutarchum, licet Stoicos hic impugnet, tamen illud ab iis sumere vocabulum. Denique: quod traditum est διαφόρων aptum sensum non praebet, et καὶ διαφόρων in κἀδιαφόρων mutare certe lenissima est emendatio. Quapropter nolui silentio premere quod in mentem venerat.

79 A Plerique adolescentes ab iis philosophiae partibus faciunt initium unde nihil emolumenti capiunt, donec tandem aliquando *κατάστασιν ὑγιεινὴν ἡ κρίσις λαβοῦσα τοῖς ἦθος ἐμποιοῦσι καὶ μέγεθος ἄρξηται συμφέρεσθαι.*

In Graeca editione omissum est ὑγιεινήν, errore, ut opinor, nam carere eo prorsus non possumus. Ultimum quod citavi verbum significat: *versari in aliqua re.*

79 B *ὁ Σοφοκλῆς ἔλεγε τὸν Αἰσχύλου διαπεπαιχὼς ὄγκον εἶτα τὸ πικρὸν καὶ κατάτεχνον τῆς αὐτοῦ κατασκευῆς τρίτον ἤδη τὸ τῆς λέξεως μεταβάλλειν εἶδος ὅπερ ἠθικώτατόν ἐστι καὶ βέλτιστον.*

Pro διαπεπαιχώς Herwerdenus διαπεπαικώς, recte, si „excutiendi" vim illud verbum recipit. Sed et aliis vitiis hic laborat locus. Primum πικρόν (acerbum, haud maturum) Aeschyli *incultum rudemque* notat apparatum, ergo cum κατάτεχνον, quod *nimis artificiosum* significat, haudquaquam iungi potest. Sed hoc quidem nullo negotio emendatur: solito enim in Plutarchi textu vitio natum est e vocabuli κατασκευῆς vicinia et κἄτεχνον restituendum. Deinde post κατασκευῆς excidit aliquod participium perfectum verbi quod *excolere* significet. Ipsum verbum non praesto, sed iam additum fingamus id quo hic opus est (ἐκτε-

θεραπευκῶς vel eiusmodi aliquid). Videamus de reliquis. Dubium non est quin *μεταβάλλειν* significet: „mutando assumere", ut hoc dicat Sophocles: „excusso fastu Aeschyli, excultoque eius apparatu nimis rudi, tertium assumo sermonis genus quod personarum moribus depingendis maxime est accommodatum". Egregie haec procedunt omnia. Sed additur etiam *καὶ βέλτιστον* quo quid faciam nescio. Nimis languidum illud, immo sensu cassum, esse constat et requiri aliquod adiectivi *ἠθικώτατον* synonymum. Haud opus videtur cum Bernhardyo *μεταλαβεῖν* legere pro *μεταβάλλειν*, nam hoc quoque verbum illud „mutando assumere", quo hic opus est, significare potest, et quidni Sophoclem narrantem faciamus de re quam, non *perfecerit*, sed cum maxime *faciat* atque adeo *facere incipiat*?

79 F Maxime proficiunt homines non solum, ut ait Thucydides, *μετὰ κινδύνων ποιούμενοι τὰς μελέτας, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἡδονὰς καὶ πρὸς ἔριδας καὶ περὶ κρίσεις καὶ συνηγορίας καὶ ἀρχὰς οἷον ἀπόδειξιν αὑτοῖς τῶν δογμάτων διδόντες.*

Varietas ista praepositionum quid sibi velit non video. Deleto *περί* locus fit elegantior magisque perspicuus.

80 A *ὡς τούς γε μανθάνοντας ἔτι καὶ πραγματευομένους καὶ σκοποῦντας ὃ λαβόντες ἐκ φιλοσοφίας εὐθὺς εἰς ἀγορὰν ἢ νέων διατριβὴν ἢ βασιλικὸν συμπόσιον ἐκκυκλήσουσι* non oportet *philosophos* dicere, quemadmodum neque medicos appellamus qui medicamenta venditant.

Sermo est de iis qui, *dum discunt* etiam, iam deliberant quomodo doctrinam illam in usum suum, immo in lucrum et delectationem, possint convertere. Tum eos hic habebis descriptos si *καί*, quod post *ἔτι* legitur, deleveris. Raro scioli intactum reliquerunt locum ubi participium participio esset „subordinatum".

80 B Nosmet ipsos observemus *εἰ χρώμεθα τῷ λόγῳ πρὸς ἑαυτοὺς μὲν χρηστικῶς πρὸς ἑτέρους δὲ μὴ δόξης εἰκαίας ἕνεκα, μηδ' ἐκ φιλοτιμίας, ἀλλὰ μᾶλλον ἀκοῦσαί τι καὶ διδάξαι βουλόμενοι.*

Is revera sapientiam sibi parare studet qui audire (et discere) mavult *quam* docere alios. Lege ergo *ἀκοῦσαί τι ἢ διδάξαι.* Vitium natum e proxime sequentibus, ubi salsissime litigiosi disceptatores cum pugilibus comparantur, utpote *τῷ πατάξαι καὶ καταβαλεῖν μᾶλλον ἢ τῷ μαθεῖν τι καὶ διδάξαι χαίροντες,* ubi *καί* rectissime habet: qui revera philosophantur in dispu-

tationibus dant operam ut doceant adversarium et ab eo discant, sed imitatatores isti de nulla alia re quam de victoria reportanda cogitant.

80 D Tum nostros in dicendo sentimus profectus cum non, orationem ad populum habentes, dum vocabulum quaerimus, ipsam rem nobis elabi sinimus, *οἷα περὶ Δημοσθένους λέγουσι καὶ Ἀλκιβιάδου*. Is enim (Alcibiades) saepe explosus est quia vocabulum quaerens haerebat. Opponitur Homerus qui sua fretus facultate *τὸν πρῶτον οὐ διηνέχθη τῶν στίχων ἐξενεγκὼν ἄμετρον*. Hic *οὐ διηνέχθη* equidem latine verterim: *non curavit* (= *οὐ διήνεγκεν αὐτῷ* cf. Dem. Phil. 3 § 8: *Φάσκειν δ' εἰρήνην ἄγειν, εἰ βούλεσθε, ὥσπερ ἐκεῖνος, οὐ διαφέρομαι* i. e. per me licet pacem hoc agere dicatis, non intercedo). Sed haud dubie post narrationem de Alcibiade (ergo post vocem *ἐξέπιπτεν*) *lacunae* fuerat ponendum signum. Iure enim Wyttenbachius observat excidisse id quod de Demosthene tradidit Plutarchus.

81 A *ἔστιν οὖν τοῦ προκόπτοντος*, quidquid recte et ordine fecit secum servare; *οὗτος γὰρ αὐτὸς εὐδοκιμῶν παρ' αὐτῷ μὴ καταφρονῶν ἀλλὰ χαίρων κἀγαπῶν ὡς ἱκανὸς ὢν μάρτυς ἅμα καὶ θεατὴς τῶν καλῶν*, documentum dat bene fundatae et confirmatae sapientiae.

Locum pulcherrime structum disturbavit editor *οὕτω* pro *οὗτος* legendo.

81 F *τῶν τοίνυν δεομένων ἰατρείας οἱ μὲν ὀδόντα πονοῦντες ἢ δάκτυλον αὐτόθεν βαδίζουσι παρὰ τοὺς θεραπεύοντας, οἱ δὲ πυρεττοντες οἴκαδε καλοῦσι καὶ δέονται βοηθεῖν*, sed qui mentis laborant morbo ne admittunt quidem ad se medicos.

Aut veram lectionem *αὐτοί* hic servavit Basilius, quem citat Wyttenbachius, aut *αὐτόθεν* significat *sponte*, ut utrique, tam qui ad medicum eunt quam qui eum arcessunt *sponte* agere dicantur.

82 A Certum est proficientis signum *τὸ τὴν μοχθηρίαν ἀποκαλύπτειν*.

Sic recte ét Wyttenbachius ét Didotiana legunt. Absurdum nobis compositum *διακκαλύπτειν* novus praebet editor.

82 B *ἄχρι δ' οὗ τις ἐπιδεικνύμενος ῥύπον ἢ κηλῖδα χιτῶνος ἢ διερρωγὸς ὑπόδημα καλλωπίζεται πρὸς τοὺς ἐκτός*, vel etiam de sua iocatur statura, *sed* mentis vitia abscondere studet, eum nihil profecisse apparet.

Ut recte hic res inter se *opponantur* et omnino ut totius sententiae constet ratio, utique post ἐπιδεικνύμενος inserenda est particula μέν, quae haplographia excidit.

82 C Oportet quidem et *famam* vitare malam:

ὁ δὲ τὴν οὐσίαν μᾶλλον τῆς μοχθηρίας ἢ τὴν ἀδοξίαν δυσχεραίνων οὐ φεύγει τὸ κακῶς ἀκοῦσαι καὶ εἰπεῖν ἐπὶ τῷ βέλτιον γενέσθαι.

Verbo *maledicendi* hic nullus locus; sed non opus est delendis vocabulis καὶ εἰπεῖν admittere hiatum; persanatur enim morbus *addendo* ἑαυτόν post εἰπεῖν. Hoc opus esse proxime praecedentia docent ubi primum esse dicitur τὸ ἑαυτὸν ἀλγύνειν ἁμαρτάνοντα (l. ἁμαρτόντα) καὶ κακίζειν, secundum semet vituperandum praebere aliis.

ib. Nulla re magis commendatur Plutarchi philosophia quam suavissimis illis narratiunculis quibus praecepta sua condit. Habent illae non solum ad rem de qua agitur illustrandam permultum utilitatis sed etiam propriam quandam et peculiarem venustatem. Quapropter qui amabilem illum mentium medicum bene cognitum habere cupit, is inter legendum semper sedulo observet quo ille iocorum et facetiarum genere maxime sit delectatus. Velut ea, ad quam iam pervenimus, revera est πλουταρχειοτάτη. Neque usquam alibi invenitur illa nisi in *Vitis X oratorum* p. 847 E, qui liber est e pseudo-Plutarcheis illis, qui non scripti quidem sunt a Plutarcho sed tamen illum praecipuum habent auctorem. Sed inepte mutilata illa est, et sic etiamnunc circumfertur, licet dudum sit inventa medicina, qua sola sanari possit. Prae tradita lectione spernitur illa et prae doctis remediis in quibus boni nihil est. Considebat adolescens quidam *in caupona* (ἐν καπηλείῳ); qui cum accedentem cerneret Diogenem, magistrum suum, confugit „in cauponam" (sic enim legitur εἰς τὸ καπηλεῖον). Conspexerat tamen eum philosophus et: „heus tu" clamabat „sic efficis ut magis etiam *in caupona* sis". Sensit librorum vitium editor Graecus, sed quam ille proponit emendationem εἰς τὸ καπηλεῖον ἔσω, ea non minus balbutientem nobis Plutarchum exhibet quam Wyttenbachianum illud εἴσω τοῦ καπηλείου. An sic narrasse lepidissimum praeceptorem Chaeronensem putemus: νεανίσκον ὀφθέντα μὲν ἐν καπηλείῳ καταφυγόντα δ' εἰς τὸ καπηλεῖον ἔσω, vel ὀφθέντα μὲν ἐν καπηλείῳ, καταφυγόντα δ' εἴσω τοῦ καπηλείου, vel denique ὀφθέντα μὲν

πρὸς καπηλείῳ καταφυγόντα δ' εἰς τὸ καπηλεῖον, quod eidem Wyttenbachio in mentem venit? Quem non, Graece haud nescium, ipse ille secundi membri *articulus*, quo prius caret, monere potest nullum aliud illic ferri *posse* substantivum quam quo *pars* cauponae significetur, atque illa quidem sine qua ne cogitari quidem caupona possit, denique eiusmodi substantivum quo ad eam partem notandam quivis uti soleat? Quae autem pars illa est? Opinor, *cella vinaria*. Quae cum semper et ubique sit *subterranea*, quid aptius loco nostro quam ὀφθέντα μὲν ἐν καπηλείῳ καταφυγόντα δ' εἰς τὸ κατάγειον, quod felicissimo acumine invenit Reiskius? Et quae potuit laboranti loco lenior adhiberi medicina? Sed Wyttenbachius quo quaeque erat Reiskii certior emendatio eo illam spernere solebat pertinacius.

„Mentium medicum" primus mortalium Plutarchum appellavit Lévèquius praeclaro illo libello, quem ante 8 annos seorsum edendum curavi [1]). Et egregie quidem in Chaeronensem nostrum convenit nomen illud, sed ipse eum alio tamen ornare nomine soleo, quod, nisi me fallit animus, magis in eum convenit. Quotiescunque enim in narratiunculam qualis haec est incido, ex eo genere quod prae ceteris in deliciis fuisse Plutarcho certa mihi stat sententia, intelligere mihi videor qua ratione ille gregem suae curae commissum abducere a vitio, adducere ad virtutem sit solitus. Et ante oculos meos exsurgunt egregii illi viri, quos puer vidi, amavi, suspexi, bonos fidosque plebis rusticanae pastores, et prae ceteris pater ipse meus. Stabat „pastoria domus" ad aggerem maris saepe tumultuantis arcentem impetus, et nulla ei vicina magis erat quam unica pagi caupona, illa quoque distans inde trecentos fere passus. Satis sobrii erant agricolae, quibus pater praeerat, modo unus eorum Baccho iusto magis erat deditus. Nunquam tamen ille in locum sibi praecipue dilectum veniebat quin ad fenestram consideret unde ad „pastoriam" liber esset prospectus, ita inter fenestram poculumque posito pileo, ut si forte pater intraret cum aedium magistra — quae eadem erat ludimagistri uxor — collocuturus, illud oculis eius posset subtrahere.

---

1) *Caroli Lévèquii* libellum aureum de Plutarcho mentis medico denuo edendum curavit J. J. H. L. B. apud Sythoffium a. 1903.

Memini me quondam solito maiores ibidem videre turbas solitoque maiores audire clamores cachinnosque. Anxie, tamquam si vitae instaret periculum, clamantem audiebamus seniorem quendam, e pagi patribus, fracti vitrei strepitus in cauponae fiebat vestibulo, carpentum avolabat, flagellum huc illuc agitabat magister. Quid enim factum erat? Ad mercatum rusticus ille gravis et venerandus erat profectus sed in via substiterat ad sitim pellendam. Vix poculum manibus tenebat cum retro flectens oculos ex aedibus exeuntem patrem meum conspicit et „domina, domina, accipe" clamat „pastor venit". Sed de industria non audit domina, ludibrio habere hominem cupit. Qui de ebibendo poculo ne cogitans quidem illud quanta vi potest in ipsum abiicit vestibulum et caballum suum, mirantem, opinor, et ipsum, voce et flagris admonet ut nunc saltem currat, repere solitus. Quid deinde sit factum quaeris. Sat scio hominem domum reversum eodem a patre meo derisum modo quo discipulum suum derisit Diogenes ille Plutarcheus.

82 E *καὶ μὴν τά γε Βίαντος καὶ Πύρρωνος οὐ προκοπῆς ἄν τις ἀλλὰ μείζονος ἕξεως σημεῖα θεῖτο καὶ τελειοτέρας.*

Qui sit status et quae condicio mentis *maior* nescio, neque quaero. Nam video corruptum esse istud *μείζονος* utpote quod certe cum *τελειοτέρας* nullo modo iungi possit. Secunda sede mentio fit status *perfectioris*, quid priore legi potest? Ut opinor aliquod adiectivum quod idem significet sed lenius, ita ut fieri possit *gradatio* ad ipsum illud *perfectioris*. Illud „maioris" non est, sed est quid? Nondum *perfectus* aliquis est, sed tamen iam ... *melior* quam ut satis sit eum *profecisse* dicere. Lege ergo *ἀλλ' ἀμείνονος* pro *ἀλλὰ μείζονος*.

83 A Etiam somnia mentem hominis produnt: *τοῦτο δὲ καὶ Πλάτων συνιδὼν πρότερος ἐξεμόρφωσε καὶ διετύπωσε τῆς φύσει τυραννικῆς ψυχῆς τὸ φανταστικὸν καὶ ἄλογον οἷα κατὰ τοὺς ὕπνους δρᾷ.*

Non cohaerent haec. Sed quid fecit Plato? Tyrannicae mentis adumbravit imaginem *iis rebus usus* quas tyrannus in somno perpetrat. Lege ergo *οἷς* pro *οἷα*. (Mnem. 1908, 215).

83 D Lepidissimo lepidissime narrato Stilponis somnio sic pergit: si tam placida sunt somnia *ταῦτα τῆς προκοπῆς ἀπαυγασμούς τινας εἶναι λέγουσι.*

Qui hoc dicunt? Nulli in praecedentibus sunt commemorati ad quos illud λέγουσι ullo referri modo possit. Ipse Plutarchus hanc summam ex allatis conficit exemplis. Dubiumne ergo esse potest quin recte λέγομεν pro λέγουσι coniecerit Reiskius?

83 E Citato Platonis de somniis tyranni loco, allatoque Stilponis cum Neptuno colloquio sic fere noster hanc partem disputationis concludit: „aio ergo (οὖν) quorum tam sunt placida somnia quam fuit illud Stilponis, eos fecisse progressum qui quodammodo ex ipsis somniis resplendescat (τῆς προκοπῆς ἀπαυγασμούς τινας εἶναι), at qui nocte diris perturbatur spectaculis sic dat documentum se nondum propriam sibi fecisse virtutem sed formari etiam opinionibus et legibus, quibus per noctem solutus rursus in pristinum statum relabatur". Sed praeterea haec adduntur:

ταῦτα μὲν οὖν συνεπισκόπει καὶ αὐτός, εἴτε προκοπῆς ἐστιν εἴτε τινὸς ἕξεως ἤδη βεβαιότητα καὶ κράτος ἐχούσης ἐπὶ τοῖς λόγοις ἀσάλευτον

et tum denique ad alia transit (ἐπεὶ δέ).

Fuit cum putarem hic non Plutarchum loqui sed a lectore eum interpellari qui non *profectus* ista esse signa contendat sed mentis iam paene perfectae, utpote quae ad firmitatem pervenerit. Sed fortasse semet ipsum Plutarchus sic corrigit: „immo vero, ipse considera annon sint mentis haec maius aliquid quam est progressus consecutae". Atque ad maius illud describendum utitur imagine navis, quae in mediis fluctibus manet inconcussa (ἀσάλευτον). Apta profecto imago et nunc quoque usitatissima. Sed unum hic verbum non concoquo λόγοις. Quae est enim illa mentis condicio quae ἐπὶ τοῖς λόγοις inconcussum habet robur? Praepositio ἐπί documento est cum imagine nobis rem esse: quemadmodum solida navis ἐπὶ τοῖς κύμασι inconcussa manet, sic mens sapientis manet inconcussa ἐπὶ τοῖς κύμασι τοῦ βίου vel τῶν ἔργων vel aliud quid in eandem sententiam. Suspicor ergo λόγοις irrepsisse in vocabuli ἔργοις vel alicuius huic cognati locum, vel pro τοῖς λόγοις legendum esse ταῖς πράξεσιν. Cf. 84 B τοὺς λέγους μὴ λόγους ἐᾶν ἀλλὰ πράξεις ποιεῖν et 85 A βαδίζοντας ἐπὶ πράξεις τινας.

84 C „Non iudicio contentos nos esse oportet sed ad opus illud transferre". Hanc sententiam sic illustrat: „ceteri omnes admirabantur tantummodo Miltiadis virtutem":

Θεμιστοκλῆς δ' εἰπὼν ὡς οὐκ ἐᾷ καθεύδειν αὐτὸν ἀλλ' ἐκ τῶν ὕπνων ἀνίστησι τὸ Μιλτιάδου τρόπαιον, οὐκ ἐπαινῶν μόνον οὐδὲ θαυμάζων καταφανὴς ἦν εὐθὺς ἀλλὰ καὶ ζηλῶν καὶ μιμούμενος.

Non sunt profecto obscura haec et tamen semper ego hic haerebam. Sed cur haesissem antiquioribus demum inspectis editionibus intellexi, in quibus inde a *τρόπαιον* sic sunt disposita verba: *οὐκ ἐπαινῶν μόνον, οὐδὲ θαυμάζων, ἀλλὰ καὶ ζηλῶν καὶ μιμούμενος εὐθὺς ἦν καταφανής.* Quae cur conturbaverit editor Graecus scire pervelim. Hunc enim sibi locum adverbium *εὐθύς* flagitat ubi simul cum *ζηλῶν καὶ μιμούμενος* et cum *καταφανὴς ἦν* iungi possit: „*statim* documentum dedit se imitari velle" et: „iam tum, cum haec dicebat, imitari quodammodo incipiebat".

85 C Alexander nihil optabat magis quam ut in vitam rediret Homerus, qui suas res gestas cantaret: *νέῳ δ' ἀνδρὶ βελτιουμένῳ τὸ ἦθος οὐδενὸς ἔρως ἐμφύεται μᾶλλον ἢ καλοῖς κἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐγκαλλωπίσασθαι.*

Insere *τοῦ* post *ἤ*. Est enim *οὐδενὸς μᾶλλον ἢ τοῦ ἐγκ.*

85 E Qui unquam se divites futuros desperant nihili faciunt parvas impensas, *μηδὲν οἰόμενοι ποιήσειν μέγα τὸ μικρῷ τινι προστιθέμενον.*

Optimo iure Reiskius *τὸ μακρὸν μικρῷ*, licet spernat id quoque Wyttenbachius. Nemo enim tam insanit ut credat rem parvam *nunquam* fieri magnam etiamsi addas ei quam maximam.

De sequentibus repetam hic quae scripsi Mnem. 1908, 216: „Sed quo quisque propius accessit ad opulentiam eo fit parcior. Sic qui sibi ne minimorum quidem peccatorum veniam dat

δῆλός ἐστιν ἤδη τι καθαρὸν κτώμενος ἑαυτῷ καὶ οὐδ' ὁπωσοῦν ἀξιῶν ῥυπαίνεσθαι.

Lege *ἐν ἑαυτῷ*, deinde observa quam inepte nunc bis idem dicatur et quam sit contorta structura. Utrique simul malo medeberis et venustissimam Plutarcho reddes sententiam *ἀξιοῦν* legendo: *καθαρόν τι καὶ οὐκ ἀξιοῦν ῥυπαίνεσθαι*, puri aliquid et quod pollui dedignetur".

Quae nunc quoque vera videntur.

Opponit deinde modo citatis haec scriptor:

τὸ δὲ μηδὲν οἴεσθαι καταισχύνειν μέγα μηδ' ἔχειν εὐχερεῖς ποιεῖ καὶ ὀλιγώρους πρὸς τὰ μικρά.

Sic Wyttenbachius qui *καταισχύνειν* bene interpretatur *dede-*

corare et sic Didotiana. Quid suo κατ' αἰσχύνην velit editor Graecus prorsus me latet. Verba μηδ' ἔχειν Reiskius in μηδὲ δεινόν mutavit; coniectura tanto critico indigna. Lenissima emendatione sic locus in integrum restituatur:

τὸ δὲ μηδὲν οἴεσθαι καταισχύνειν ἔχειν μέγα εὐχερεῖς ποιεῖ καὶ ὀλιγώρους πρὸς τὰ μικρά. „Nihil se magni habere putare quod dedecorare possint hoc est quod homines adversus parva reddit negligentes'' sive: „qui nihil se magni habere putant quod dedecorare possint, ii adversus parva fiunt negligentes''. Hiatus post μέγα minime durus videtur.

DE CAPIENDA EX INIMICIS UTILITATE.

Huius libelli originem indagare opus non est; ipse scriptor declarat (p. 85 D) se quae nuper *ex tempore* dixerit, *tantum non* (id hic et saepe alibi Plutarchus verbis ὁμοῦ τι significat) iisdem verbis chartae mandare omissis, quantum fieri possit, iis quae et in *Praeceptis reipublicae gerendae* dixerit, „quoniam'' ait „video te illum libellum frequenter habere prae manibus''.

Utrique ergo libello patronum et editorem quaesivit, et invenit quam maxime idoneum. Dedicati enim sunt Cornelio Pulchro, viro tam illustri ut, nisi nota eius esset omnibus comitas, vix quisquam ad eum accedere sit ausurus. Sed prius utramque *ex tempore* habuit orationem, et hanc quidem, ut equidem censeo, ad gregem suum Chaeronensem, non ad solos discipulos. Plena enim est praeceptorum ad vitam bene instituendam utilissimorum. Et noster quidem libellus etiamnunc multa eaque certissima orationis *ex tempore* habitae servat vestigia. Identidem semet ipsum interpellat orator formulis quales hae sunt: τί δὲ τοῦτ' ἔστι; (p. 87 B) τοῦτ' οὖν ὠφέλιμόν ἐστι; (87 D) ἔτι τοίνυν πρόσλαβε (88 B), et omnino vide elocutionem capitis quarti in priore parte. Nemo sic loquitur nisi qui *ex tempore* loquitur. Neque usquam saepius locos sibi dilectos promit mentium medicus quam hoc septendecim paginarum libello:

p. 88 F altercationem Alcmeonis cum Adrasto.

p. 89 B sapiens dictum: „aut fido opus est amico aut acri adversario".

p. 90 A Platonis dictum: τυφλοῦται τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον.

p. 92 E Solonis versus: ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα κτέ. Hos enim flosculos semper prae ceteris habuit in deliciis Plutarchus. Denique, quod saepe observamus in omnibus eius libris, etiam iis qui maxime orationis habitae prae se ferunt speciem, non splendida aliqua „peroratione" finem facit orator, sed subito, cum sat bene moniti ei videntur auditores, dicere desinit.

Iam ut ad singulos veniamus locos, de hisce habeo quae in medium proferre velim:

86 D Olim homines cum feris bellum gerebant hoc uno consilio ut se ab iis defenderent; postea eorum opera uti iisque vesci didicerunt (ita ut pleraeque iam aut domitae sint aut interemptae). Sed sic novum nascitur periculum:

μὴ τῶν θηρίων ἐπιλιπόντων τῷ ἀνθρώπῳ θηριώδης ὁ βίος αὐτοῦ γένηται καὶ ἀνήμερος.

Sententia lepidissima, quae tamen corrumpitur languidissimo isto *αὐτοῦ*. Legendum puto *αὖθις*, denuo, qualis primorum fuit hominum. Nata corruptela est e voce *βίος* non intellecta. Est enim „collectiva" illa significatque „homines hoc tempore viventes", quemadmodum egregie docet Hemsterhusius ad Lucianum. Simili sensu Latine „vita" dicitur. Luculentissimum praebet exemplum notissimus Phaedri versiculus:

duplex libelli dos est: quod risum movet
et quod prudenti *vitam* consilio monet.

87 A Ignis male utenti nocet, sed prodest bene utenti:

σκόπει δὴ καὶ τὸν ἐχθρόν, εἰ βλαβερὸς ὢν τἄλλα καὶ δυσμεταχείριστος, ἁμωσγέπως ἀφὴν ἐνδίδωσιν αὐτοῦ καὶ χρῆσιν οἰκείαν.

Egregia haec et venuste enuntiata. Sed corrupit omnia qui adiecit *καὶ ὠφέλιμός ἐστι*. Neminemdum vidisse annotationem hanc esse scioli est quod mireris.

87 B *πρῶτον μὲν οὖν δοκεῖ μοι τῆς ἔχθρας τὸ βλαβερώτατον ὠφελιμώτατον ἂν γένεσθαι τοῖς προσέχουσι.*

Nonne post *βλαβερώτατον* excidit *ἄλλως* vel eiusmodi aliquid? Mihi certe absurdissimum hoc videtur: *quod maxime nocet* utilissimum fit recte utentibus.

88 D Oratorem *audis* et in hisce:
ἐνδύου τῇ ψυχῇ, περισκόπει τὰ σαθρά, μή τίς σοί ποθεν ὑποφθέγγηται κακία τὸ τοῦ τραγῳδοῦ

ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Ubi recte observavit H. molestam esse vocem κακία. Non *vitium* aliquod haec exclamans fingitur sed aliquis *ex auditoribus*. Praeterea videndum annon τραγῳδοῦ ex male suppleto τραγ. natum sit et legendum τραγικοῦ. Poetae tragici, non actoris versus est. En bellum senarium Phaedrianum!

88 F Λέων ὁ Βυζάντιος ὑπὸ κυρτοῦ λοιδορηθεὶς εἰς τὴν τῶν ὀμμάτων ἀσθένειαν „ἀνθρώπινον" ἔφη „πάθος ὀνειδίζεις, ἐπὶ τοῦ νώτου φέρων τὴν νέμεσιν".

Frustra mecum multos quaerere opinor istud ἀνθρώπινον quid sibi velit. Sed quodcunque hic adiectivum legeris, locum corruperis. *Nudo* substantivo νέμεσιν *nudum* πάθος opponatur. Legendum est: „ἄνθρωπε, τί μοι" ἔφη κτέ.

90 A Si quid tibi obiicitur quod verum non sit, non oportet contemnere illud ἀλλὰ σκοπεῖν τί τῶν ὑπὸ σοῦ λεγομένων ἢ πραττομένων ἢ σπουδαζομένων ἢ συνόντων ὁμοιότητα τῇ διαβολῇ παρέσχηκε, καὶ τοῦτο διευλαβεῖσθαι καὶ φεύγειν.

Illud συνόντων Didotianus vertit *sodalium tuorum*, neque quidquam aliud ex eo vocabulo extundi potest. Apparet ergo non esse huius loci. Fuit cum putarem σοι προσόντων esse legendum, sed supervacuum hoc languidumque. Una litura nunc istud ἢ συνόντων delere malim.

90 C Lingua compesci non potest ἂν μή τις ἀσκήσει καὶ μελέτῃ καὶ φιλοπονίᾳ τὰ κάκιστα τῶν παθῶν, οἷόν ἐστιν ἡ ὀργή, κατεργάσηται.

Immo ὤν. Iracundia pessimorum affectuum unus est.

Sic pergit: dicere aliquid, cuius postea poeniteat ἐπιγίγνεται δι' ἀσθένειαν θυμοῦ, δι' ἀκρατῆ γνώμην, διαίτῃ θρασείᾳ.

Post duplex illud διά cum accusativo male in tertio membro dativus infertur, neque *victui* hic locus. Non sufficit ergo Reiskii δι' ἀγωγὴν θρασεῖαν, nam de ἀγωγή idem dici potest quod de δίαιτα. Quid sit legendum non invenio.

90 E Non male quidem uxoris intemperiem ferebat Socrates, hanc adhibens meditationem ad aliorum perferendas iniurias; πολὺ δὲ βέλτιον ἐχθρῶν καὶ ἀλλοτρίων ἐγγυμνασάμενον βδελυρίαις

καὶ ὀργαῖς καὶ σκώμμασι καὶ λοιδορίαις ἐθίσαι τὸν θυμὸν ἡσυχίαν ἄγειν μηδ' ἀσχάλλειν ἐν τῷ λοιδορεῖσθαι.

Ultima vocabula ex male suppleta lacuna nata esse mihi constat. Quae est enim ista ratiocinatio: „Socrates sua uxore utebatur cuius iniuriis alienorum perferre iniurias disceret; haud male, sed multo praestat alienorum iniurias perferre ut assuescas aequo animo *ferre contumelias*"? Quis non videt hic requiri aut *ἐν τοῖς φίλοις* aut *ἐν ταῖς φίλων λοιδορίαις*? Haud mala Socratis erat ratio, sed contraria multo praestat.

ib. Initio capitis IX nunc sic disputatur: „mansuetudinis facilius dare documenta potes *in inimicitiis* (*ταῖς ἔχθραις*), animi vero magnitudinis *in amicitiis* (*ταῖς φιλίαις*). Nam bene facere amico non tam pulchrum est quam turpe est non facere cum ei opus illa re est. Sed de inimico vel poenam sumendi facultatem omittere laudi habetur, si vero etiam beneficiis eum afficis, iustam omnium hominum moves admirationem". Res ergo eo redit ut facile in inimico ostendere possis animi magnitudinem siquidem eam iam ostendis non sumenda poena, in amico vix ullo modo possis, siquidem, cum turpissimum existimetur non bene facere amico, cui auxilio opus est, nemo te laudabit quod ei bene feceris, ipsa enim res te facere loquitur. Et verissimum illud; ut paucis verbis dicam: nulla est animi magnitudo *adversus amicum*, sed est tantummodo *adversus inimicum*. Ipse illorum vocabulorum quae sunt *animi magnitudo* usus certus et constans illud docet. Nonne ergo luce est clarius vocabula *ἔχθραις* et *φιλίαις* locum inter se mutare debere? In inimicitiis locus est magnitudini animi, in amicitiis tantummodo mansuetudini.

Sed iure *admirantur* omnes et alios qui beneficia praestant inimicis et *τὸν . . . παισὶν ἐχθροῦ καὶ οἰκείοις πραγμάτων ἐν χρείᾳ γενομένοις σπουδήν τινα καὶ προθυμίαν ἐνδειξάμενον.*

Trygaeus ille Aristophaneus fuit *οὐ συκοφάντης οὐδ' ἐραστὴς πραγμάτων.* Alii amant negotia (i. e. lites et iudicia), sed hominem cui *opus* iis *fuerit* nemo vidit unquam. Repone id, quo saepissime opus est mortalibus, et in quo ipsum illud *opem ferre* suum sibi habet locum certum legitimumque: *χρημάτων* (Mnem. 1908, 210).

91 A Praecepti: *οὐδ' ἐπαίνου φειστέον οὐδὲ τιμῆς περὶ ἀνδρὸς ἐχθροῦ δικαίως εὐδοκιμήσαντος* hoc affert argumentum:

ἔπαινόν τε γὰρ φέρει μείζονα τοῖς ἐπαινοῦσι, καὶ πίστιν ἔχει πάλιν ἐγκαλῶν ὡς οὐ τὸν ἄνδρα μισῶν ἀλλὰ τὴν πρᾶξιν ἀποδοκιμάζων.

Haec quoque sententiola negligentius structa, in qua prius verbum (*φέρει*) subiectum habet *τοῦτο* (sc. *τὸ ἐχθρὸν ἐπαινεῖν*), secundum *ὁ ἐπαινῶν*, utrumque mente supplendum, orationis *ex tempore* habitae vestigia servat.

91 C Quemadmodum quae saepe in bello fiunt, necessaria sed prava, si in consuetudinem verterunt, non facile ex animo removentur, sic etiam inimicitia cum odio invidiam adducens in animo pravos relinquit affectus:

πρὸς δὲ τούτοις καὶ πανουργία καὶ ἀπάτη καὶ ἐπιβουλή, δοκοῦσα μὴ φαῦλον εἶναι μηδ' ἄδικον πρὸς ἐχθρόν, ἂν ἐγγένηται, παραμένει δυσαπάλλακτος· εἶτα χρῶνται πρὸς τοὺς φίλους αὐτοὺς ὑπὸ συνηθείας, ἂν μὴ φυλάξωνται πρὸς τοὺς ἐχθρούς.

Sincerus fiet locus simulque venustus, si pro *αὐτούς* repositum erit *αὐταῖς* (sc. *πανουργίᾳ, ἀπάτῃ, ἐπιβουλῇ*).

ib. Pythagoras discipulos in brutis animalibus assuefaciens clementes esse *ὀρνέων τε θηρευτὰς παρῃτεῖτο καὶ βόλους ὠνούμενος ἰχθύων ἐκέλευεν ἀφιέναι.*

Recipienda erat quam H. proposuit lectionem *θήρας*. Pythagoras *aucupia* proscripsit et fieri vetuit. Sed *θηρευτὰς παραιτεῖσθαι* nihili est.

92 B Repetam hic quae scripta sunt in Mnem. 1908, 341:

Bonus hortulanus rosis violisque porrum et caepe apponit, quae quidquid humus acre habeat et male olens ad se trahant. Sic amicis te leniorem et in eorum re secunda minus invidum faciet *ὁ ἐχθρὸς ἀναλαμβάνων καὶ περιέπων τὸ κακόηθες καὶ βάσκανον.*

Nullus hic locus verbo q. e. *περιέπειν*, sed quid requiratur totus clamat contextus: vitia illa inimicus non solum in se recipit sed etiam (nam sic demum prodest) *retinet*. Lege ergo *περιστέλλων* et confer *de Virtute et vitio* p. 100 C: *ἣν ὁ ἄνθρωπος ἀναδίδωσιν ἐξ ἑαυτοῦ θερμότητα ταύτην ἡ ἐσθὴς τῷ σώματι προσπεσοῦσα συνέχει καὶ περιστέλλει.*

92 C Si quis putat *fortunam* solam esse causam cur suus inimicus in omnibus rebus felici utatur successu, invidia macerabitur, quae nihil ei proderit:

ὁ δὲ μὴ τυφλούμενος περὶ τὸ μισούμενον ἀλλὰ καὶ βίου καὶ ἤθους καὶ λόγων καὶ ἔργων γιγνόμενος θεατὴς δίκαιος τὰ πλεῖστα κατόψεται τῶν ζηλουμένων, ἐξ ἐπιμελείας καὶ προνοίας καὶ πράξεων χρηστῶν περιγιγνόμενα τοῖς κεκτημένοις.

In omnibus editionibus virgula ista post *ζηλουμένων* legitur, qua totus locus corrumpitur; deleta aptissima haec nascitur apodosis: „videbit maiorem partem earum quibus invidet rerum iis qui illas habent industria et sedulitate obtigisse" cui tum hoc fere additur: „et cum illis virtutibus in certamen descendens suum pulchri honestique excitabit amorem". Nunc demum egregia et praeclara omnia.

DE AMICORUM MULTITUDINE.

E quo genere librorum hunc esse dicam libellum nescio. Eandem prae se fert indolem quam qui praecedit „de capienda ex inimicis utilitate", sed neque ad patronum aliquem est missus neque ulla servat „actionis" (sic enim orationem in contione, iudicio simm. habitam appellamus) vestigia. Suspicari licet Plutarchum hoc quasi corollarium addidisse libro qui in simili versaretur argumento, qualis est ille *de adulatore et amico.*

De singulis locis haec annoto:

93 B Menonem, qui quid virtus esset rogatus, multa virtutum genera enumeraret, ludibrio Socrates habuit *οὐ κακῶς τεκμαιρόμενος ὅτι μηδεμίαν εἰδὼς ἀρετὴν ἄνθρωπος πολλὰς ὠνόμαζεν.*

Rectissime H. correxit *ἄνθρωπος*. Pondus enim sententiae sustinent verba *μηδεμίαν εἰδὼς ἀρετήν*, totaque sententia sic est vertenda: „haud male coniiciens *ideo* ab isto homine multas virtutes nominari *quia nullam sciret virtutem*" i. e. quia omnino quid esset virtus nesciret.

93 C *ἐναντίον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα εἰς φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις, ὥσπερ ἀκολάστων γυναικῶν τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι τῶν πρώτων κρατεῖν μὴ δυναμένοις ἀμελουμένων καὶ ἀπορρεόντων.*

Hic pro *εἰς* H. legit *πρός*, quod certe praestat, quamquam et

de *ἐναντίον πρός* dubito. Sed hoc mitto. Post *ὥσπερ* Madvigius inseruit *ἔρως*, quo facto ei *δυναμένοις* in *δυνάμενος* fuit mutandum. Habet haec coniectura, ut aliae multae, *probabilitatem* quandam *palaeographicam*, sed praeterea boni nihil. Sententiae enim primum est consulendum, deinde palaeographiae habenda ratio. Velut Madvigii coniectura nobis exhibetur *ἔρως μὴ δυνάμενος κρατεῖν*, quod nihili est. Utique *δυναμένοις* servandum, nam *ipsi homines* amicos retinent aut non retinent. Equidem locum corruptum censeo ab imperito homine qui nesciret saepe *ὥσπερ* secum habere *nominativum* etiam cum coniungatur cum genitivo, dativo, accusativo. Insigne huius structurae exemplum praebet *Cons. ad Ux.* 610 B: *πολὺ γὰρ ἀμβλύνεται καὶ χαλᾶται τοῦ λυποῦντος, ὥσπερ ἐν εὐδίᾳ κῦμα τῇ γαλήνῃ τοῦ σώματος διαχεομένου.* Scripsit ergo me iudice hic Plutarchus: *ἐναντίον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα πρὸς (?) φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις, ὥσπερ ἀκόλαστοι γυναῖκες τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι τῶν πρώτων κρατεῖν μὴ δυναμένοις ἀμελουμένων καὶ ἀπορρεόντων.* Cum multis aliis rebus hoc (nonnullis hominibus) quominus veram obtineant amicitiam obstat quod multos habere amicos student; nam quoniam, ut impudicae mulieres, cum multis rem habent, retinere non possunt quos primos nacti sunt amicos: negliguntur enim hi ideoque dilabuntur.

93 D Allatis suavissimis versiculis de Hypsipyles alumno modo hunc modo illum carpente florem sic pergit:

οὕτως ἕκαστον ἡμῶν διὰ τὸ φιλόκαινον καὶ ἀψίκορον ὁ πρόσφατος ἀεὶ καὶ ἀνθῶν ἐπάγεται καὶ μετατίθησι πολλὰς ὁμοῦ καὶ ἀτελεῖς ἀρχὰς πράττοντας φιλίας.

Aut nihili aut certe languidissimum est istud *ἀρχὰς πράττειν φιλίας*. Suspicor olim hunc locum disertum praebuisse exemplum eius rei qua in *usu metaphorarum* Graeci Latinique scriptores poetaeque omnes a recentioribus discrepant: imaginis partem quandam retinent etiam cum de ipsa re loquuntur propter quam imago adhibetur. Sic hic *πλέκοντας* scripsisse Plutarchum tantum non certum est. Certe sic habemus aliquid quod venustissimum sit et optimae Graecitatis.

93 E *τὸ ἄλλον αὐτὸν ἡγεῖσθαι τὸν φίλον καὶ προσαγορεύειν ἑταῖρον ἕτερον οὐδέν ἐστιν ἢ μέτρῳ φιλίας τῇ δυάδι χρωμένων.*

Praeclara est Wyttenbachii emendatio inter duo illa vocabula

simillima inserentis *ὡς*. Verum sic Plutarchum restituimus, cui nihil magis in deliciis quam Platonica illa et Stoica etymologice demonstrandi ratio. Sed spernit eam editor Graecus et ne commemorat quidem; pro ea nobis suum *ἑτέρων οὐδενός* commendat. Sibi habeat!

94 A Longior hic mihi locus est exscribendus:

τὸν δὲ Φίλον ἡμεῖς „μοῦνον" μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν εἶναι, μετ' ἄλλου δὲ τηλύγετός τις καὶ ὀψίγονος ἔστω, τὸν θρυλούμενον ἐκεῖνον χρόνῳ τῶν ἁλῶν συγκατεδηδοκὼς μέδιμνον, οὐχ ὥσπερ νῦν πολλοὶ Φίλοι λεγόμενοι συμπιόντες ἅπαξ ἢ συσφαιρίσαντες ἢ συγκυβεύσαντες ἢ συγκαταλύσαντες, ἐκ πανδοκείου καὶ παλαίστρας καὶ ἀγορᾶς Φιλίαν συλλέγουσιν.

Istud *μετ' ἄλλου* editoris Graeci esse videtur, nam ét Wyttenbachiana ét Didotiana *μετ' ἄλλων* praebent, neque ullam variam lectionem commemorant. Et sic utique legendum: *μετ' ἄλλων* enim est: „*cum aliis rebus* (hoc habeat ut sit sero natus)." In loco modo citato *ἐναντίον μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα πρὸς Φιλίας κτῆσιν ἡ πολυφιλίας ὄρεξις*, verba *μετὰ πολλῶν ἄλλων* significant: *inter multa alia* (hoc vel maxime obstat). Tum *χρόνῳ* in textum irrepsisse videtur e margine, ubi sciolus illud annotaverit ut significaret illo proverbio *temporis spatium* indicari. Nam ista *τὸν θρυλούμενον ἐκεῖνον τῶν ἁλῶν συγκατεδηδοκὼς μέδιμνον* tam plena sunt et perfecta ut addi nihil possit quin corrumpatur: (is sit amicus) qui secundum proverbium salis medimnum nobiscum comederit. Denique quantocius eiicienda verba *Φίλοι λεγόμενοι* quibus praeripitur scriptori id quod in fine demum sententiae dicere volebat: „non quemadmodum nunc multi postquam semel cum aliquo potarunt, pila luserunt aleave, aut ibidem deversati sunt, e caupona, palaestra, foro amicitias colligunt". (*Φιλίαν* an *Φιλίας*? Hoc melius cum *colligendi* verbo coniungitur).

94 C *λιμέσι προβάλλουσιν ἕρκη καὶ χώματα.*

Pro *προβάλλουσιν* H. coniecit *περιβάλλουσιν*, vix recte, ut opinor: non enim contra maris impetum portus moenibus cingimus, sed in ipsum mare extendimus *propugnacula*.

94 D „Debet esse amicitia *ὀρθῶς καὶ βεβαίως ἐξετασθεῖσα· τῶν δ' ἀνεξετάστως παραρρυέντων ὥσπερ νομισμάτων ἀδοκίμων ἐλεγχομένων*

gaudent carentes, vult carere qui tenet

ut ait poeta".

Falsi illi et adulterini amici non *παραρρέουσι*, quod est *defluunt* vel *decidunt*. Quae verba non sunt huius loci. Sed leni emendatione lege *παρεισρυέντων*, omnia bene decurrent et imaginis constabit ratio.

94 E *δεῖ μὴ ῥᾳδίως προσδέχεσθαι μηδὲ κολλᾶσθαι τοῖς ἐντυγχάνουσι.*

Novi Testamenti non Plutarchi est *simplex κολλᾶσθαι* hoc sensu positum. Hic requiritur *προσκολλᾶσθαι* quod haplographia quadam corruptum est.

ib. Ad oleam vitemque tendimus dimotis calcatisque quae nos morantur plantis:

οὕτως ἀεὶ μὴ τὸν εὐχερῶς περιπλεκόμενον ποιεῖσθαι συνήθη καλόν, ἀλλὰ κτέ.

Pro *ἀεί* egregie *δεῖ* reposuit Wyttenbachius; minus probo quod pro *καλόν* legit *καὶ φίλον*. Nam postquam semel *δεῖ* in *ἀεί* abiit, ut tamen sententia nasceretur, sciolus istud *καλόν* inseruit, quod nunc una est delendum litura. Hiatum *ante virgulam* non moror.

Sequuntur haec: *τοῖς ἀξίοις σπουδῆς καὶ ὠφελίμοις αὐτοὺς περιπλέκεσθαι δοκιμάζοντες.*

Ecquid dubitari potest quin hic quoque de more recte correxerit Reiskius *δοκιμάσαντας*? Amplexamur et retinemus verum amicum *iam probatum* nobis.

94 F Nobilis pictor longam aetatem quae *futura* est multaque cogitat saecula; sic *φιλίαν δεῖ καὶ συνήθειαν σῴζειν παραλαβόντας ἐν πολλῷ κριθεῖσαν.*

Non servamus amicitiam *postquam* longo tempore probata *est*, sed *ut* longo tempore *probetur*. Parum recte longioris vocabuli compendium expletum est; legendum enim *κριθησομένην*. Praeterea videndum annon *χρόνῳ* sit inserendum post *πολλῷ*.

95 B Ubi multae sunt amicitiae nulla facile coalescit vel firma fit: *τοῦτο δὲ εὐθὺς ὑποβάλλει καὶ τὴν περὶ τὰς ὑπουργίας ἀνωμαλίαν καὶ δυσωπίαν.*

Pro ultimo vocabulo *δυσκολίαν* legere voluit Emperius. Vereor ut locum recte intellexerit criticus egregius. Si unum (paucosve) habemus amicum, semper et ubique (*ὁμαλῶς*) ad opem ferendam sumus parati, neque ullus metus pudorve nobis in ea re obstat. Sed si multis amicis utimur, modo huic modo illi sine ulla

lege, sine ullo ordine opitulamur (haec est *ἀνωμαλία* illa), et inepto pudore impedimur: alii enim amico opem ferre veremur ne alius tangatur invidia (haec est illa *δυσωπία*).

De inepto illo pudore deinde sic disputat (95 D): *τὰς ἀμελείας καὶ ῥᾳθυμίας τῶν Φιλων πρᾳότερον Φέρουσι.*

Ante *Φέρουσι* excidisse *Φίλοι* opinor.

ὁ δὲ λέγων „οὐ παρέστην σοι δίκην ἔχοντι, παριστάμην γὰρ ἑτέρῳ Φίλῳ" non tollit reprehensionem sed addit *ζηλοτυπίαν.*

Pro *παριστάμην* equidem aliud exspectem verbum. Ingrata enim haec repetitio. Quanto elegantius quod sequitur: *πυρέττοντά σ' οὐκ εἶδον, τῷ δεῖνι γὰρ Φίλους ἑστιῶντι συνησχολούμην!* Negligitur amici necessitas propter *aliam* alius necessitatem.

95 E Quemadmodum Briareo, quoniam quinquaginta habebat ventres, centum manus nihilo utiliores erant quam nobis singulos habentibus ventres binae, *οὕτως ἐν τοῖς Φίλοις χρήσιμον καὶ τὸ λειτουργεῖν πολλοῖς ἔνεστι.*

Optime haec sic Halmius correxit: *οὕτως ἐν τῷ πολλοῖς Φίλοις χρῆσθαι καὶ τὸ λειτουργεῖν πολλοῖς ἔνεστι.* Sic saepe in Moralibus paulo audaciores sunt adhibendae emendationes, quae tamen haud parvam habent probabilitatem.

96 A Pythagorae praeceptum *μὴ πολλοῖς ἐμβάλλειν δεξιάν* sic explicatur: *μὴ πολλοὺς ποιεῖσθαι Φίλους μηδὲ πολύκοινον μηδὲ πάνδημον ἀσπάζεσθαι Φιλίαν καὶ πρὸς ἐναντίην ἢ μετὰ πολλῶν παθῶν εἰσιοῦσαν, ὧν τὸ μὲν συναγωνιᾶν καὶ συνάχθεσθαι καὶ συμπονεῖν καὶ συγκινδυνεύειν πάνυ δύσοιστον τοῖς ἐλευθέροις καὶ γενναίοις ἐστί.*

Locus, quem multi conclamatum dixerunt, sat leni emendatione restitui in integrum potest: pro *πρὸς ἐναντίην ἢ* legatur *προσέτι.* Tum pro *ὧν* reponatur *οἷς.* Denique *μέν* natum est e male intellecto *δέ* in eo quod continuo sequitur post verba citata: *τὸ δὲ τοῦ σοφοῦ Χίλωνος ἀληθές* („qui nullum habet inimicum nullum habet amicum"); non enim ea particula significat *opponi* aliquid praecedentibus, sed potius praecedentium afferri *argumentum*; pro illo ergo *μέν* legendum est *μή.* Sic aptissima haec nascitur sententia: „*praeterquam* quod ista multorum amicitia *communis* et *publica* (et iam ob eam solam causam improbanda) est, etiam multos variosque (multorum istorum amicorum) affectus secum trahit, quibus *non tangi* res est quam generosa et ingenua mens respuat".

96 D Sine aliqua similitudine non nascitur amicitia: *ὅπου γὰρ καὶ τὰ ἄψυχα τὰς μίξεις πρὸς τὰ ἀνόμοια ποιεῖται μετὰ βίας ἀναγκαζόμενα καὶ ὀκλάζει καὶ ἀγανακτεῖ Φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων.*

Primum verum non est quod refert editor Graecus Wyttenbachium pro *ἄψυχα* coniecisse *ἄλογα*. Immo vero *ἄψυχα* defendit Wyttenbachius et satis inepte quidem, me iudice, defendit. Annotat enim: „*bruta* sic dici novum nec adhuc observatum; fortasse Stoicis aliquando usurpatum, certe licebat. Et Plutarchus in Crasso p, 544 A *ἄψυχα* opponit *ἀνθρώποις*, *servos* significans". In illo loco Plutarchus, sicut semper fecerunt omnes qui Graece scripserunt, inter se opponit *τὰ ἄψυχα* et *τὰ ἔμψυχα*, quae vita carent et quae vitam habent, et nunc quidem suo iure, quoniam de servis loquitur, hos *ἔμψυχα ὄργανα* dicit, sed poterat eodem nomine et equos, boves, canes, omnia denique *animalia* indicare. Ex tota ergo Wyttenbachii annotatione apparet neminem unquam bruta dixisse *ἄψυχα*. Nam quod de Stoicis comminiscitur de nihilo fictum est. Neque quidquam fingi potuit quod minus esset verisimile. Stoicos enim novimus ipso illo *ἀλόγων* nomine usos esse ad duram inhumanamque defendendam sententiam: *prorsus* carere ratione bruta, ideoque *ἄλογα* dici; nihil ergo cum hominibus habere commune, igitur nihil non hominibus adversus ea licere.

In eiusmodi disputationem eos ad *bruta* significanda introduxisse nomen a vulgari usu recedens quis credat? Omnes semper homines, sed prae ceteris Stoici, *ἄψυχα* tantummodo ea nominarunt quae vita carerent; *bruta*, quamvis ea contemnerent, non minus quam homines, *τοῖς ἐμψύχοις* adnumerarunt. Apparet ergo, cuiuscunque ea sit, veram et necessariam emendationem esse *ἄλογα*. Praeterea e textu removendae sunt annotationes *ἀναγκαζόμενα* (quod post *μετὰ βίας* moleste abundat) et *Φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων* (quod locum prorsus pessumdat: etenim *ἀγανακτεῖ Φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων* non potest aliter quam sic accipi: „moleste ferunt cum inter se aufugiunt"; atqui contrarium hic exspectamus). Iam remotis vitiis sordibusque locum sic correctum compara cum iis quae statim opponuntur:

τοῖς δὲ συγγενέσι καὶ οἰκείοις ὁμοπαθεῖ κεραννύμενα καὶ προσίεται τὴν κοινωνίαν λείως καὶ μετ' εὐμενείας

singula aptissime et elegantissime inter se respondere videbis. Fuit cum retinendum *ἀναγκαζόμενα* sed in locum ubi nunc *φεύγοντα ἀπ' ἀλλήλων* legitur traducendum putarem; hiatus metus me retinuit.

96 E Ars musica *δι' ἀντιφώνων ἔχει τὸ σύμφωνον .... τῆς δὲ φιλικῆς συμφωνίας ταύτης καὶ ἁρμονίας οὐδὲν ἀνόμοιον οὐδ' ἀνώμαλον οὐδὲ ἄνισον εἶναι δεῖ μέρος, ἀλλ' ἐξ ἁπάντων ὁμοίως ἐχόντων ὁμολογεῖν καὶ ὁμοβουλεῖν καὶ ὁμοδοξεῖν καὶ συνομοπαθεῖν.*

Satis dure hic mente supplendum est *δεῖ αὐτήν* ut infinitivorum constet ratio. Neque tamen apto loco addere vocabula illa possum, neque vellem si possem. Credo enim pro infinitivis illis indicativos (*ὁμολογεῖ, ὁμοβουλεῖ, ὁμοδοξεῖ, συνομοπαθεῖ*) esse legendos. Vide enim quam eleganter hi indicativi opponantur praecedenti *ἔχει*.

96 F *τοῦ πολύποδος αἱ μεταβολαὶ βάθος οὐκ ἔχουσιν, ἀλλὰ περὶ αὐτὴν γίγνονται τὴν ἐπιφάνειαν, στυφότητι καὶ μανότητι τὰς ἀπορροὰς τῶν πλησιαζόντων ἀναλαμβάνουσαν.*

Mire eadem res hic simul *στυφότητα* et *μανότητα* habere dicitur. An sic locus accipiendus ut *rara* dicatur polypodis superficies (pellis), *constricta* et *dura* rupes cui adhaeret? Haud negaverim id licere, additum tamen *αὖθις* (*καὶ αὖθις μανότητα*) malim.

97 A *Πρωτέως τινὸς οὐκ εὐτυχοῦς οὐδὲ πάνυ χρηστοῦ τὸ ἔργον, ἀλλ' ὑπὸ γοητείας ἑαυτὸν εἰς ἕτερον εἶδος ἐξ ἑτέρου μεταλλάττοντος ἐν ταὐτῷ πολλάκις.*

Ut nunc res se habet, frustra quaeris quodnam *ἔργον* hic significetur. Sed dele *ἀλλά* cum praecedente virgula, aptissimam hanc habebis sententiam: qui (quoniam multos habet amicos) nunc hanc nunc illam sumit speciem, Protei fungitur labore, sed improbus aliquis fit Proteus simulque miser.

DE FORTUNA.

Neque oratiuncula haec est, quam dimissa iam contione chartae mandaverit philosophus, neque epistola ad amicum literatum potentemque, qui eam, laetus suum ibi nomen in fronte legi,

in publicam esset editurus lucem suumque auctori habiturus honorem, sed docta de controversia saepe agitata diatribe, quam ipse Plutarchus divulgavit. Quo modo id fecerit scire pervelim. Si nostra vixisset aetate, paratum ad eam quaestionem haberemus responsum. Scriptam enim hanc diceremus disputatiunculam ut bibliothecae alicui insereretur, quam ad philosophiae studium promovendum quotannis vel quot mensibus colligendam Plutarchus curaret. Sed tales tunc collectiones, certis temporis intervallis in lucem prodeuntes, nullae fuisse videntur. Neque tamen dubium est quin aliquo modo ea quoque aetate communibus doctorum sit consultum commodis. Non fuerint Plutarchi tempore diaria philosophica, exstitisse tunc quoque aliquid cuius eadem esset natura idemque consilium sumere nobis licet. Sed quocunque modo se ea res habet, documento nobis hic libellus multique alii ex eodem genere — magnus enim eorum est numerus — esse possunt quanta inter aequales fama floruerit Plutarchus, qui quamvis exiguum libellum e Chaeronensi suo promere posset otio, haud dubitans quin suos sibi emptores lectoresque esset inventurus. Satis sincerus ille ad nos pervenit, paucis tamen locis etiamnunc manum exspectare emendatricem videtur.

98 B Fac dicere aliquem *τύχη τὰ τῶν βλεπόντων πράγματα* (non visus oculique), *καὶ τύχη τὰ τῶν ἀκουόντων* (non auditus auresque) *καλὸν ἦν, ὡς ἔοικεν, εὐλαβεῖσθαι τὴν αἴσθησιν.*

Cur hic editor Graecus *ἦν*, quod est in Wyttenbachiana Didotianaque, in *δέ* mutaverit, neque dicit neque apparet. Immo vero ipsa res illud unice verum esse clamat. Etenim post protasin qualis haec est: „si quis hoc vel illud diceret", quaenam legitima magis est apodosis quam haec: „oportebat, decebat (nos)"? Esto, illud *ἦν* utique retinemus. Num reliqua sana nunc sunt? Non opinor. Quid enim nos facere oportet tam absurda audientes? Num *cavere* sensus? Immo fortiter firmiterque eos *defendere*. In hanc sententiam illud *εὐλαβεῖσθαι* corrigendum est. Nam quod dat interpres: „quis non vereatur hoc modo sensibus detrahere?", satis quidem aptum huic loco est sed e verbis Graecis extorqueri nullo modo potest. Ipsum verbum non praesto, sed semel pro *εὐλαβεῖσθαι* reposito verbo quod *defendere* significet, optime sic fere pergitur: „atqui sensus sunt mentis instru-

menta, ergo etiam mens exstat: An „ironice" dictum totum illud *καλὸν ἦν, ὡς ἔοικεν, εὐλαβεῖσθαι τὴν αἴσθησιν* putemus ut hoc dicat Plutarchus: „praeclara, hercle, foret sapientia, tali argumento motum, dicere non audere ullos esse sensus"? Interpretis Didotiani ea fuisse sententia videtur. Sed omnino neque hic neque usquam toto libello quidquam acerbi habet scriptoris vox et, ni fallor, pro *ὡς ἔοικεν* requireretur *οἶμαι* praecedente *γε* vel, quod in deliciis est Plutarcho *ἤπου* (ante *καλόν* ponendum). Denique metuo ut ullo modo *εὐλαβεῖσθαι* significare quidquam possit aliud quam *cavere aliquam rem*, et apodosis illa „ironica" postularet *reiicere*.

98 F In omnibus rebus quae viribus vel velocitate corporis peraguntur brutorum sors melior quam nostra est; *ἐμπειρίᾳ δὲ καὶ μνήμῃ καὶ σοφίᾳ καὶ τέχνῃ κατ' Ἀναξαγόραν σφῶν τ' αὐτῶν χρώμεθα καὶ βλίττομεν καὶ ἀμέλγομεν καὶ φέρομεν καὶ ἄγομεν συλλαμβάνοντες.*

Quis dubitare potest quin Sauppius pro *σφῶν* reponens *ἔργῳ* ipsum illud dederit quod Plutarchus voluerit? Legi nunquam poterunt Moralia, si nullas nisi lenes in textum recipere emendationes audebimus.

99 B Postquam narrationem retulit de pictore qui spumam equi saepe frustra pingere conatus tandem spongiam in tabulam iratus iniecerit, quae forte ipsum illud effecerit quod ars non potuerit, sic pergit:

τοῦτ' ἔντεχνον τύχης μόνον ἱστορεῖται. κανόσι καὶ σταθμοῖς καὶ μέτροις καὶ ἀριθμοῖς πανταχοῦ χρῶνται.

Non cohaerent haec; sed ante *κανόσι* inserendum est *τἄλλα δέ* vel eiusmodi aliquid ut obtineamus id quod contextui convenienter dat interpres: „*ceterum* artifices regulis, ponderibus, mensuris ac numeris ubique utuntur".

99 C Artes sunt humanae mentis fragmenta parva quaedam vitae usibus inspersa, *ὥσπερ αἰνίττεται τὸ πῦρ ὑπὸ τοῦ Προμηθέως μερισθὲν ἄλλο ἄλλῃ διασπαρῆναι.*

Semel tantummodo praeterea apud Plutarchum verbum *αἰνίττεσθαι* *passive* ponitur, sed in *perfecto* tempore, ut insoliti habeat nihil. Cic. 14 s. f. *τούτων . . . ᾐνιγμένων ὑπ' αὐτοῦ.* Hic vero, ut existat illud quod recte interpres praebet: „quod ignis Promethei aenigma innuit hinc inde dispersus" deleto *μερισθέν* legendum est *διασπαρέν.*

99 C *ἐπιτάσει μὲν καὶ ἀνέσει χορδῶν εὐβουλία τις ἔνεστιν ἣν μουσικὴν καλοῦσι, καὶ περὶ ἄρτυσιν ὄψων ἣν μαγειρικὴν ὀνομάζομεν.*
Inserere hic quam mente supplere *ἔστι τις* ante *περὶ ἄρτυσιν* malim.

99 E Indignabundus rogat scriptor num quisquam ét aliis paratis vitae luxusque instrumentis ét *κλίνας προσθέμενος πολυτελεῖς καὶ τραπέζας* putet ea sibi felicitatem praestitura non accedente bona mente.

Quantocius reponatur *προθέμενος* quemadmodum habent Wyttenbachiana Didotianaque, cf. *de esu carnium* I in. *νεκρῶν σωμάτων καὶ ἑώλων προθέμενος τραπέζας*. Lenissimum zeugma *κλίνας προθέμενος καὶ τραπέζας*, sed *κλίνας προσθέσθαι* nihili est. Si praecederet *τραπεζῶν* mentio, probari *προσθείς κλίνας* posset, non vero *προσθέμενος*.

CAPUT IV.

DE VIRTUTE ET VITIO.

En admonitionem a pastore Chaeronensi ad proprium gregem habitam. Quatuor sunt paginae sed eae summa limatae cura. Toto libello *vox* oratoris auditur sed praecipue sub finem. Ultimum caput *artis oratoriae* est specimen, non fucatae vel sophisticae, sed tamen artis et — quo saepe etiam *actiones* Plutarchi carere observavimus — exit in 'perorationem' graviter sonantem, quae impleat aures:

οὐ βιώσῃ φιλοσοφήσας ἀηδῶς, ἀλλὰ πανταχοῦ ζῆν ἡδέως μαθήσῃ καὶ ἀπὸ πάντων· εὐφρανεῖ σε πλοῦτος πολλοὺς εὐεργετοῦντα καὶ πενία πολλὰ μὴ μεριμνῶντα, καὶ δόξα τιμώμενον καὶ ἀδοξία μὴ φθονούμενον.

Et ad *corrigendos* civium mores habitam ubique intelligis; tum vero maxime cum exclamantem audis oratorem:

ἄθροιζε χρυσίον, σύναγε ἀργύριον, οἰκοδόμει περιπάτους, ἔμπλησον ἀνδραπόδων τὴν οἰκίαν καὶ χρεωστῶν τὴν πόλιν (nihil tibi omnia illa proderunt nisi mentem tuam philosophia excolueris atque emendaveris).

Quod sit vocabulorum citatorum consilium et quam apto sint tempore pronuntiata optime intelliges si reputaveris legi ea et in libello *de vitando aere alieno*. Invehitur orator in illud genus hominum quo nulla tunc fuit in civitatibus Graeciae pestis

capitalior: in crudeles illos feneratores qui oppida in provinciis implebant creditoribus suis, simulque sic, obiter quidem et velut in transitu sed tamen cum summa gravitate, auditores suos admonet ne illam pestem ultro ad se adducant supra censum vivendo et contrahendo aere alieno. Quod proprium est alterius libelli argumentum. Age iam huiusce paucos quosdam locos accuratius aspiciamus!

Sic incipit (100 B):

τὰ ἱμάτια δοκεῖ θερμαίνειν τὸν ἄνθρωπον, οὐκ αὐτὰ δήπου θερμαίνοντα καὶ προσβάλλοντα τὴν θερμότητα (sed quia quem ipse edit conservant retinentque calorem).

Dubitaturne etiam quin iure H. vocabula *θερμαίνοντα καί* deleverit? Sic demum ex ineptissima venustissima fit sententia.

100 D *καὶ πενίαν καὶ φυγὴν καὶ γῆρας ἐλαφρῶς καὶ προσηνῶς πρὸς εὐκολίαν καὶ πραότητα τρόπου φέρουσιν* (homines).

Haud male Wyttenbachius illud *πρός* latino *ad* illustrat. Sed tum demum quam habeat vim plane perspiciemus, si recordabimur, id quod alio loco dixi, plerumque scriptores Latinos Graecosque partem imaginis retinere etiam cum iam ad ipsam rem, propter quam imago adhibetur, transierunt. Sic hic, postquam ignis lucisque usus est imagine, iam de *mansuetudine* loquens *lucem* illam esse meminit *ad quam* sors adversa melius feratur.

100 F Hominum perversitas nunquam eos relinquit sed usquequaque comitatur: *καὶ γὰρ ὃ καθεύδουσι, τοῦ σώματος ὕπνος ἐστὶ καὶ ἀνάπαυσις* (interea mens torquetur).

Minime obtemperandum Graeco editori pro *ὅ* legenti *ὅτε*. Opus enim tum simul *ἔστι* foret pro *ἐστί* ... ut nasceretur languidissimi aliquid. Immo dele virgulam post *καθεύδουσι* et omnia erunt venustissima disertissimaque. Illud *ὃ καθεύδουσιν* et alii multi illustrant loci et ille in Senecae Oedipode (ipse Oedipus lamentatur): „quid traho *quod vivo*?" quemadmodum praeclare Gronovius traditum „quid traho? quid vivo" emendavit.

101 A Causa cur ipsa malorum somnia maxime eorum indicent pravitatem est quod interdiu illa pudore aliquatenus saltem coercetur *καὶ οὐ παντάπασι ταῖς ὁρμαῖς ἐκδίδωσιν ἑαυτήν*.

Recte *ἐκδιδόναι* is dicitur qui alii rem *tradit* perficiendam; sic *ἔργον ἐκδίδωσι* magistratus qui opus *locat* faciendum. Sed in

nostrum locum illud non convenit. Legendum est ἐνδίδωσιν. Mens se ipsa *permittit* voluptatibus.

ib. Per somnum mens prava sua pravitate fruitur ὡς ἀνυστόν ἐστιν εἰδώλοις καὶ φάσμασιν, quae tamen non satiant cupiditates sed ultro incitant.

Cum Stephano inserendum fuerat ἐν (post ἐστιν).

101 D ἀπράγμονα βίον καὶ ἰδιώτην οὐδὲν ἧττον ἀγαπήσεις ἢ τὸν ἐπὶ στρατηγίαις καὶ ἡγεμονίαις.

Lege ἐν, quemadmodum recte vertit Didotianus: „quam quae *in* imperiis et magistratibus agitur." Dixeris illius alterius vitae conditionem esse imperia et magistratus. Ne id quidem huius loci est: *praesens* bonum cum alio bono *praesenti* hic comparatur.

CONSOLATIO AD APOLLONIUM.

Praestaret fortasse de toto hoc libro tacere post Volkmannum, qui tam idoneis argumentis tamque prudenti et docta disputatione eum Plutarcho abiudicaverit ut metuendum non sit ne unquam quisquam iam existat editor qui inter genuina philosophi nostri scripta recipiat. Ex tota illa Wyttenbachii, qui egregiis laudibus hanc consolationem ornavit, nihil restat quod non plane perverterit prostraveritque Volkmannus, praeter unum quod ne Volkmannus quidem posset reprehendere .... *ab adolescente* scriptam. Ubique vides rhetoricae artis discipulum, quem non tangat amici alicuius luctus et tristitia — vitae enim totus ille liber nihil habet: exsanguis umbra est non solum defunctus sed etiam pater, quem alloquitur scriptor, qui ne hoc quidem sentit etiam *fingi* absurde virum maturum, gravique dolore oppressum, quem ipse hac doctrinae ostentatione solari conetur — sed haec sola tenet cura sollicitumque reddit ne non satis doctus videatur et parum in omni scriptorum poetarumque genere versatus. Iuvat hic uno conspectu omnes proponere sententiolas e quibus illa mens scriptoris eluceat. Quamvis enim sit egregia Volkmanni disputatio, quamvis omnibus numeris absoluta, fieri potest ut brevis eiusmodo enumeratio maiorem habeat convin-

cendi vim. Certe ad alia properantibus viae praebebit compendium. Et interea alias quoque quasdam nostri ineptias observabimus quas non notavit Volkmannus.

A p. 102 B Nunc cum iam tempus doloris tui acerbitatem mitigavit *καλῶς ἔχειν ὑπέλαβον τῶν παραμυθητικῶν σοι μεταδοῦναι λόγων* i. e. e copia, quam ex hoc genere collegi, tibi partem quandam dabo. Et videamus quid primum promat:

ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι,
ὅταν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ.

Sic iam ab initio se indicat aliena compilare scrinia. Non ex ipso Aeschylo sed ex aliqua proverbiorum collectione sublata haec vel una particula *γε* declarat, quae apud tragicum egregie ponitur, sed hic, ubi haudquaquam apparet *ex altercatione* hos esse versus, alterum Oceani, alterum Promethei, satis absurde. Simile aliquid etiam p. 107 B fieri videmus. Citantur ex Euripide versus:

τὰ θνητὰ πράγματ' οἶδας ἣν ἔχει φύσιν;
δοκῶ μὲν οὔ· πόθεν γάρ; ἀλλ' ἄκουέ μου.

Facetissimum hunc poetae tragici locum, ubi Hercules suppotus Admeti servum ea gravitate, quae ebriorum esse solet, alloquitur quis sic a suo contextu avulsum intelligere potest?

B 105 B *ὑπερφυῶς δὲ φαίνεται περὶ τὴν παραμυθίαν ὁ ποιητὴς εὐδοκιμεῖν.* Habet cur gaudeat Homerus cui a tam idoneo auctore primum in consolandi disciplina tribuatur praemium. Ne tamen invidia torqueatur apud inferos Hesiodus, post duodecim ex Homero citatos versus haec addit: *ὁ δὲ μετὰ τοῦτον καὶ τῇ δόξῃ καὶ τῷ χρόνῳ, καίτοι τῶν Μουσῶν ἀναγορεύων ἑαυτὸν μαθητήν κτἑ.*

C 105 F Hesiodi locum haec excipiunt: *ἀ π η ρ τ η μ έ ν ω ς δ ὲ τ ο ύ τ ο ι ς ὁ κωμικὸς ἐ π ὶ τῶν δυσπαθούντων ἐ π ὶ ταῖς τοιαύταις συμφοραῖς* (vide bellam orationem!) *ταυτὶ λέγει* (citantur comici 8 versus), adduntur 8 e tragoedia, tum sic pergitur: *ἐ ν τ α ῦ θ α γὰρ ἄν τις ἑ λ κ ύ σ ε ι ε καὶ τὴν τοῦ Σωκράτους φωνήν.* Cernis puerulum omne genus formularum excogitantem quibus quae in compendiis suis legit utcunque conglutinet. Simile aliquid habes p. 110 D *τ ο ύ τ ο ι ς γὰρ οἰκείως ἄν τις τ α ῦ τ α συνάψειε.*

D 108 E *Λέγεται δὲ μαρτυρεῖν τούτοις καὶ τὸ θεῖον. πολλοὺς γὰρ παρειλήφαμεν δι' εὐσέβειαν παρὰ θεῶν ταύτης τυχόντας τῆς δωρεᾶς* (mortis sc.). *ὧν τοὺς μὲν ἄλλους φειδόμενος τ ῆ ς σ υ μ μ ε*

τρίας τοῦ συγγράμματος παρχλείψω. Rectissime observat Volkmannus bene consuli brevitati potuisse, si nunc minus nota proferrentur exempla. Quid vero noster? Decantata illa narrat de Cleobi et Bitone hisque similia, sed praeterea nihil. Pag. 114 C recurrit: ἃ φειδόμενος τῆς τοῦ λόγου συμμετρίας παρέλιπον.

E 115 E μυρία δ' ἐπὶ μυρίοις ἄν τις ἔχοι τοιαῦτα παρατίθεσθαι πρὸς ταὐτὸ κεφάλαιον. Quid magis a vera consolatione alienum quam ista *capitulorum* mentio? Addit sedulus puer: ἀλλ' οὐκ ἀναγκαῖον μακρηγορεῖν.

F Sed absurdissimum ex hoc genere est quod legitur sub finem libri, eoque, prudenter et acute ut solet, Volkmannus tamquam primario usus est argumento quo totum librum Plutarcho abiudicaret:

121 E ταῦτά σοι συναγαγών, Ἀπολλώνιε φίλτατε, καὶ συνθεὶς μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπειργασάμην τὸν παραμυθητικόν σοι λόγον.

Haud agnosco Wyttenbachium, qui talia vel a iuvene potuisse scribi Plutarcho crediderit.

Quae praeterea de singulis locis annotem pauca habeo. Et est fortasse totus liber indignus quem emendare hic illic conemur etiam.

104 B De Pindari verbis σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος sic disputat noster: ἐμφαντικῶς σφόδρα καὶ φιλοτέχνως ὑπερβολῇ χρησάμενος τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἐδήλωσε. τί γὰρ σκιᾶς ἀσθενέστερον; τὸ δὲ ταύτης ὄναρ οὐδ' ἂν ἐκφράσαι τις ἕτερος δυνηθείη σαφῶς.

Puerilis est orationis istud ἕτερος addere; melius eo careremus. Et nonne ἐμφατικῶς legendum? Oratio „emphatica", quam dicunt grammatici, ὑπερβολῇ est cognata.

104 C ἥ τ' ἄδηλος αὕτη τύχη πόρρωθεν ἡμῖν καὶ ἔτ' ἀπ' ἀρχῆς ἠκολούθηκεν.

Quorsum istud ἔτι additur? An fere idem esse debet quod ἤδη? ib. Postquam demonstravit iam semina omne malorum genus in se habere, sic semet interrogat: τοῦ δὴ χάριν ἐτραπόμεθα δεῦρο; Absurde delectatur eiusmodi transitionis formulis; hic certe nullam fecit digressionem. Et respondet: ἵν' εἰδείημεν ὅτι καινὸν ἀτυχεῖν οὐδὲν ἀνθρώπῳ.

Rectissime Reiskius transponit: καινὸν οὐδὲν ἀτυχεῖν ἀνθρώπῳ. Quod homo adversa utitur fortuna nihil novi vel miri ea res habet.

105 A Frustra quaero quid illud sit quod Pausanias Simonidem iussit *ἀπαγγεῖλαί τι αὐτῷ σοφὸν μετὰ χλευασμοῦ*. Sed inepte balbutire puerulum nostrum sat bene intelligo.

105 B Novum hoc quod de Theramene narratur *καταστρεβλωθεὶς ὑπὸ τῶν συντυράννων ἐτελεύτησεν*.

105 F Ipsene noster excogitavit adverbium *ἀπηρτημένως* in hac transitionis formula: *ἀπηρτημένως δὲ τούτοις ὁ κωμικὸς .... λέγει*? Didotianus vertit „his congruenter", et id voluisse scriptor videtur.

106 B *τὴν τοῦ Σωκράτους φωνήν, τὴν οἰομένην κ.τ.ἑ.*

Quis unquam sic locutus est?

ib. Haud operam perdat siquis glossarium ad hunc librum scribat, nam etiam e vocabulis quibus utitur hic consolator cognoscitur. Sic narraturus de Antimacho, qui longo carmine de heroum calamitatibus suum solatus est dolorem, ita incipit: *ἐχρήσατο δὲ τῇ τοιαύτῃ ἀγωγῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ ποιητής*. Quis praeterea vocem *ἀγωγή* eo adhibuit sensu quo hic opus est?

106 C Nimis depressum afflictumque hominem erigit *ὁ .... δεικνύων κοινὸν καὶ πολλῶν τὸ συμβεβηκός*.

Insere *ὂν* post *κοινόν*.

106 D Ad demonstrandum quam inepte noster ratiocinari soleat, haec exscribere sufficit:

τί γὰρ τὸ χαλεπόν ἐστι καὶ τὸ δυσανιῶν [*καὶ* delendum?] *ἐν τῷ τεθνάναι; τὰ γὰρ τοῦ θανάτου μήποτε καὶ λίαν ἡμῖν ὄντα συνήθη καὶ συμφυᾶ πάλιν οὐκ οἶδ' ὅπως δυσαλγῆ δοκεῖ εἶναι· τί γὰρ θαυμαστὸν εἰ τὸ τμητὸν τέτμηται κτέ.*

Ariadnae filo nobis opus hic.

106 E Quemadmodum qui ex argilla figuras finxit eas confundere deinde ex eadem novas fingere potest *οὕτω καὶ ἡ φύσις ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης πάλαι μὲν τοὺς προγόνους ἡμῶν ἀνέσχεν, εἶτα συνεχεῖς αὐτοῖς ἐγέννησε τοὺς πατέρας κτέ.*

Ingeniosa est Sauppii emendatio *συγχέασ' αὐτούς*, nisi quod oportuit *αὐτήν* (sc. *τὴν ὕλην*).

107 E Et aliis versibus Homerus mortem cum somno coniungit et hoc:

Ὕπνῳ καὶ Θανάτῳ διδυμάοσιν

ὄψει τὴν ὁμοιότητα αὐτῶν δηλῶν· τὰ γὰρ δίδυμα τὴν ὁμοιότητα μάλιστα παρεμφαίνει.

Ut mittam ineptam verbositatem, nescit puerulus clare quid sibi velit dicere. Velut hic verbis notatis hoc fere dicere *videtur*: „significans mortem somnumque eandem praebere speciem''.

108 D *ὥστ' εἰ καὶ προσέοικε μετάγειν εἰς ἕτερον τόπον ὁ θάνατος, οὐκ ἔστι κακόν.*

Mira interdum Graecitas tibi in hoc libro occurrit.

109 D *ἐμφερῆ τε τῷ υἱῷ καὶ τὰ τοῦ χρόνου τε καὶ τὰ τῆς ἡλικίας ἐγγύς.*

Ut concedam *ἡλικίαν* dici utcunque posse de *statura* (cogito enim de Aristophaneo: *μικρὸς ἡλίκος* Μόλων), vel sic tamen inepte inter se *χρόνος* et *ἡλικία* coniunguntur, et *vultum* quoque hic memoratum oportuit.

109 E De morte hoc tertium ponit, esse eam mentis corporisque interitum, atque *οὐδ' οὕτω κακόν ἐστι* (sc. mors)· *ἀναισθησία γάρ τις κατ' αὐτὸν γίγνεται καὶ πάσης ἀπαλλαγὴ λύπης καὶ φροντίδος.*

Quomodo *κατ' αὐτὸν* accipiamus? ecquid *ὑπ' αὐτοῦ* vel *δι' αὐτοῦ*? Sed vix Graecum illud et praeterea ambiguitatem parit ineptam.

Additur his: *ὥσπερ γὰρ οὔτ' ἀγαθὸν ἡμῖν ἔπεστιν οὕτως οὐδὲ κακόν.*

Quae H. delevit. Sunt certe plane supervacanea. Ideoque in textu retinere malim quo magis nostri appareat stupor. Sic paulo post (109 F) *ἡ γὰρ αὐτὴ κατάστασίς ἐστι τῇ πρὸ τῆς γενέσεως ἡ μετὰ τὴν τελευτήν* inepta est repetitio eorum quae proxime praecedunt: *ὥσπερ οὖν οὐδὲν ἦν ἡμῖν πρὸ τῆς γενέσεως οὔτ' ἀγαθὸν οὔτε κακόν, οὕτως οὐδὲ μετὰ τὴν τελευτήν.*

110 A „Mors cum adest,'' Arcesilaus ait „neminem laedit, sed dum abest et expectatur afficit dolore''. Quae sic probat noster: *τῷ γὰρ ὄντι πολλοὶ διὰ τὴν οὐδένειαν καὶ τὴν πρὸς τὸν θάνατον διαβολὴν ἀποθνήσκουσιν ἵνα μὴ ἀποθάνωσι.*

Possunt utcunque ista *διὰ τὴν .... διαβολήν* explicari, velut Didotianus *οὐδένειαν* vertit *vilitatem animi*. Sed male sit scriptori qui non senserit se illis additis verbis infringere et perdere vim paradoxi haud illepidi: *πολλοὶ ἀποθνήσκουσιν ἵνα μὴ ἀποθάνωσι.*

ib. Versus Epicharmi fuisse hi videntur:

συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆνθεν ὅπόθεν ἦνθε·
γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμ' ἄνω. τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδέν.

110 D Receptam oportuit Wyttenbachii emendationem *βαθὺν — θαλάσσης αὐχέν' Ἑλλησποντίας* pro absurdo *βαρύν*.

111 C *καὶ γὰρ φυτῶν ἄριστα τὰ πλείστας καρπῶν ἐν βραχεῖ φορὰς ποιούμενα.*

In singulari numero *πλείστην — φοράν* H. legere malit, iniuria si quid video, nam in illum non quadrat *ἐν βραχεῖ*, quod egregie cum plurali coniungitur: paucae arbores quotannis fructus ferunt largos, pleraeque tertio quoque anno, haud paucae maioribus etiam intervallis.

111 E *τί δ'; οἱ πενθοῦντες τοὺς οὕτως ἀποθανόντας ἑαυτῶν ἕνεκα πενθοῦσιν ἢ τῶν κατοιχομένων;*

Pro *οὕτως*, quod se non intelligere ait, H. *αὐτοῖς* malit; falso: est enim „immatura morte", de qua in proxime praecedentibus sermo est.

112 F *τὸν τῶν Λυκίων νομοθέτην* aiunt iussisse lugentes muliebrem sumere vestem.

De *Lyciis* Valerius quoque Maximus hoc narrat (II, 6, 13), sed *νομοθέτης* commemoratus facit ut de Zaleuco hic cogitem et *Λοκρῶν* legendum suspicer.

113 AB Inter ipsos barbaros ad luctum maxime propensi sunt non Celtae Gallique quique praeterea fortissimi praedicantur *μᾶλλον δ', εἴπερ ἄρα, Αἰγύπτιοί τε καὶ Σύροι καὶ Λυδοί* ceteri ex hoc genere.

Istud *εἴπερ ἄρα* utcunque ferri potest hoc sensu: „si iam illi ipsi". Sed ingeniose et huius libri orationi convenienter Reiskius coniecit: *Πέρσαι καὶ Ἄραβες*.

Hi ergo per aliquot dies semet ipsos quoque in sepulcra quaedam abscondunt. *Ἴων γοῦν ὁ τραγικὸς ποιητὴς οὐκ ἀνήκοος ὢν τῆς τούτων εὐηθείας* induxit quandam dicentem se e sepulcro prodire.

Legendum opinor *συνηθείας*, nam si *maledicto* hic opus est, *insania* potius quam *stupor* iste mos dicendus est. Simul hic agnoscis puerulum pueriliter disputantem: demonstrare vult barbaros effeminatos esse etiam in luctu et .... *mulieris* barbarae utitur exemplo.

114 D Receptam oportuit pulchram Hercheri emendationem *τὸν ἐπικλωσθέντα τῆς ζωῆς μίτον* pro absurdo *βίον*.

114 E Reprehenduntur insani quibus mortis causa ipse moeror

ἅμα τῶν τε ἀνιαρῶν καὶ τῶν ἐκ τῆς ἀλογιστίας κακῶν συγκηδευομένων αὐτοῖς.

Rectissime vidit W. hic duas res inter se *oppositas* requiri, coniecitque *ἀναγκαίων*: mala necessaria et ea mala quae sponte sua ipsi stultitia sibi contrahunt homines isti.

115 A *τὸ νῦν παρ' ἐλπίδα συμβεβηκὸς καὶ παρὰ τὴν ἡμετέραν δόξαν ἔ δ ε ι ξ ε τ ὸ ε ἰ ω θ ὸ ς περὶ πολλοὺς γίγνεσθαι δι' αὐτῶν τῶν ἔργων.*

Verba notata corrupta videntur. Sensum restituit Didotianus vertendo: „quod nobis nunc praeter spem opinionemque evenit nostram, id ipsum *tempus* nobis re ipsa demonstravit plerisque accidere solere". Sed unde illud *tempus* habet?

115 B Verba poetae *κενεὴ δ' εἴσδυσις οὐδ' αἰθέρι* manum etiam exspectant emendatricem; nihil enim proficimus Bergkii lectione: *κενεὴ δ' εἴσδυσιν οὐδ' Ἀΐδεω.*

115 B Locum Aristotelis sic refingendum puto: *διόπερ, ὦ κράτιστε, πάντως [καὶ] μακαρίστους καὶ πρὸς τῷ μακαρίστους καὶ εὐδαίμονας εἶναι τοὺς τετελευτηκότας νομίζειν δεῖ.*

Cetera omnia Wyttenbachii sunt, primum *καί* expunxi ego et post *νομίζειν* quod editor Graecus praebet (W. *νομίζομεν*) inserui *δεῖ.*

115 C Subito apparet e *colloquio* haec sumpta; sequitur enim *τί τοῦτ; ἔφη. κἀκεῖνος ὑπολαβών.*

Sic auctores suos citat noster!

116 B *ἔχομεν γὰρ τὸ ζῆν ὥσπερ παρακαταθεμένοις θεοῖς ἐξ ἀνάγκης.*

Quid Graecus editor suo *παρὰ καταθεμένοις* velit me latet. Sed recte post *παρακαταθεμένοις* W. inseruit *ἀποδώσοντες.*

116 E *ταῦτ' οὖν ἐν διανοίᾳ τις ἔχων ὡς πυθόχρηστα παραγγέλματα πρὸς πάντα τὰ τοῦ βίου πράγματα ῥᾳδίως ἐφαρμόζειν δυνήσεται καὶ φέρειν αὐτὰ δεξιῶς.*

Haec lenissima transpositione sic refingenda arbitror:

ταῦτ' οὖν ἐν διανοίᾳ τις ἔχων ὡς πυθόχρηστα παραγγέλματα καὶ πρὸς πάντα τὰ τοῦ βίου πράγματα ἐφαρμόζων ῥᾳδίως δυνήσεται φέρειν αὐτὰ καὶ δεξιῶς.

117 A *οἱ δὲ πολλοὶ [πάντα καταμέμφονται καὶ] πάντα τὰ παρὰ τὰς ἐλπίδας αὐτοῖς συμβεβηκότα ἐξ ἐπηρείας τύχης καὶ δαιμόνων γενέσθαι νομίζουσι.*

Inclusa delenda esse ipse docet contextus.

117 B Recte post *οἰκείας* R. delevit *πατρίδος*.

117 E *πεπαιδευμένων δ' ἐστὶν ἀνθρώπων προειληΦέναι ὅτι βραχὺν χρόνον προειλήΦασιν ἡμᾶς οἱ δοκοῦντες ἄωροι τοῦ ζῆν ἐστερῆσθαι.*

Apparet corrupta haec esse; pro *προειλήΦασι* requiritur aliquid quod *praecesserunt* significet.

118 A In luctu opus nobis est hominibus *ἀΦαιρουμένοις τὰς λύπας διὰ τῆς γενναίας καὶ σεμνῆς παρηγορίας.*

Dele *τῆς* cum H.

118 D Miro interdum et absurdo sermone noster utitur, velut hic, ubi laudat eos qui fortiter tulerunt *τοὺς ἐπὶ τοῖς υἱοῖς γενομένους θανάτους.*

118 E Nusquam magis quam hic apparet quam parum noster artem scribendi et disponendi calleat. Incipit sic (cap. 33 in.): „utile est ante oculos habere eos qui filiorum obitum fortiter tulerint" statimque nominat Anaxagoram, Demosthenem, Dionem. Atque recte quidem primum quid dixerit feceritque Anaxagoras, nuntiata ei morte filii, narrat. Inde transit ad .... Periclem, huic addit Xenophontem, tum denique Dionis et Demosthenis ei venit in mentem.

118 F *τοῦτον* (Periclem) *γὰρ εὐθὺς μετὰ τὴν προσαγγελίαν [ἀμΦοτέρων τῶν υἱέων] οὐδὲν ἧττον .... δημηγορεῖν.*

Deleantur inclusa: quis ille nuntius fuerit satis superque iam e praecedentibus apparet, et tam male ne hic quidem scripsit ut sic redderet id quod est „*de* utriusque filii *morte*".

119 A Xenophontem autem narrant simili accepto nuntio *μικρὸν παντελῶς διασιωπήσαντα χρόνον καὶ τῷ λογισμῷ τὸ πάθος παρακατασχόντα* virile dictum edidisse.

Et *παρέχειν* et *κατέχειν* hic aptum praebet sensum, ut Xenophon aut dicatur animum commotum *curandum tradidisse* cogitationi, aut cogitatione eum *compescuisse*. Hoc Didotianus mavult, dat enim: „dum ratione motum animi compesceret". Mihi alterum magis placet, sed duplicem praepositionem non concoquo.

119 C Interdum ista legenti a barbaro tibi scripta videntur. Velut hic Demosthenem laude dignum ait *τὸ πενθεῖν παρωσάμενον καὶ τὸ Φιλόπατρι πρὸ τῆς τῶν ἀναγκαίων συμπαθείας ἐπιδειξάμενον.*

Utcunque quid sibi velint haec intelligis, sed balbutientis esse sermonem sentis.

119 E Prudentibus suis admonitionibus nunc Apollonium patrem haec respondentem fingit:

σφόδρ' ἦν ἐπιτετευγμένος ὁ νεανίσκος Ἀπολλώνιος ἐν μοίραις.

Sic W. edidit de emendatione desperans. Graecus vero editor:

σφόδρ' ἦν ἐπιτεταγμένος ὁ νεανίσκος Ἀπόλλωνι καὶ μοίραις.

Si e coniectura, desperantis et illa videtur. Neque ipse quidquam lucis dispicio in ista caligine.

120 B *εἰ δ' ὁ τῶν παλαιῶν ποιητῶν τε καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθὴς ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν, [οὕτω] καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἔστι τις τιμὴ καὶ προεδρία καθάπερ λέγεται, καὶ χῶρός τις ἀποτεταγμένος ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαί, καλὰς ἐλπίδας ἔχειν σε δεῖ περὶ τοῦ μακαρίτου υἱέος σου.*

Ut saltem cohaereant haec, includendum est istud *οὕτω*.

120 E „De immortalitate animi fuse Plato egit'' ait „in Phaedone, Republica, Menone, Gorgia, aliis dialogis''. Tum sic pergit:

ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν τῷ Περὶ ψυχῆς διαλόγῳ ῥηθέντα κατ' ἰδίαν ὑπομνηματισάμενός σοι παρέξομαι, ὡς ἐβουλήθης· τὰ δὲ πρὸς τὸ παρὸν καίρια καὶ χρήσιμα τὰ λεχθέντα πρὸς Καλλικλέα τὸν Ἀθηναῖον.

De variis verborum *κατ' ἰδίαν* signicationibus videatur W. Hic unice aptum videtur *seorsum*, ut docti Platonistae hic gravitatem sumat puerulus noster et commentarium in Phaedonem promittat seorsum edendum. Pro *τὰ δέ* rectissime Graecus editor reposuit *ἔσται δέ*.

121 E Sub finem conspectum dans libri sui et alia dicit scriptor et haec:

περιέχει δὲ καὶ τὴν πρὸς τὸν θεοφιλέστατον υἱόν σου Ἀπολλώνιον πρέπουσαν τιμήν, ποθεινοτάτην οὖσαν τοῖς ἀφιερωθεῖσι, τὴν διὰ τῆς ἀγαθῆς μνήμης καὶ τῆς ἀδιαλείπτου πρὸς τὸν ἀεὶ χρόνον εὐφημίας.

Mire in hoc loco caecutit W. nec videt virgula post *ἀφιερωθεῖσι* posita fieri quam maxime perspicuum. Addit illam et Didotianus.

121 F Satis arroganter denique puer senem tristem sic monet:

καλῶς οὖν ποιήσεις καὶ τῷ λόγῳ πεισθεὶς καὶ τῷ μακαρίτῃ σου υἱῷ χαρισάμενος καὶ μεταβαλὼν ἐκ τῆς ἀνωφελοῦς περὶ τὸ σῶμα

καὶ τὴν ψυχὴν κακώσεως καὶ καταφθορᾶς ἐπὶ τὴν συνήθη σοι καὶ κατὰ φύσιν διαγωγὴν [ἐλθεῖν].

Unde rectissime ultimam vocem abiecit Reiskius.

DE TUENDA SANITATE PRAECEPTA.

Hic quoque libellus documento esse potest quanta floruerit apud aequales fama Plutarchus. Etenim incipit quidem a dialogo, qui Athenis aliove in doctorum domicilio habitus videtur, sed inde a capite sexto dialogi illius nullum iam superest vestigium et restat diatribe in otio Chaeronensi composita et Chaeronensi destinata gregi. Neque ulli viro nobili potentive dedicatur libellus, utpote qui vel sic suos sibi inventurus sit emptores. Praecepta autem continet utilissima quidem sed minime recondita. Apparet tamen in arte quoque medica tantum profecisse scriptorem quantum illo tempore quisquam proficere posset. Simulque nobis hic praebetur facultas aliquatenus certe intelligendi quae illo tempore fuerit vita illorum hominum, qui, ut Plutarchus, mentium se medicos profitebantur. Satis placida illa fuit, quieta, tranquilla, sed certo tempore exhilarabatur conventu laetissimo lautissimoque, cui multo ante iam esset praeparandus stomachus, ut suo sibi labore recte fungi posset. Συμπεριφορά illis epulis nomen erat, quibus appropinquantibus omnem esse vitandam redundantiam crapulamque amabilis ille noster medicus monet (123 E), non minus sincerae laetitiae quam ipsi corporis prospiciens sanitati. Nihil hunc locum melius illustrat quam alter ille in pulcherrimo *De Tranquilitate Animi* libro (473 D), ubi sic fere disputatur: „in omni re adversa sic optime cavebis ne te totum tristitiae moestisque dedas cogitationibus, si in memoriam tibi revocabis aliquam rem in qua olim felici sis usus successu, vel magnam aliquam, cuius particeps fueris, laetitiam". Atque utriusque rei quae profert exempla pastor ille et fidus et clemens? „Praedicationem" (sic enim appello) quae optime processit, et συμπεριφοράν solito laetiorem.

(De vario illius vocabuli usu conferatur Wyttenbachius VI, 2 p. 812 sq.).

Ad singulos locos haec habeo quae annotem.

122 D De sua cum docto quodam medico disputatione se relaturum promittit Zeuxippus „philosophus". Et respondet alter „philosophus" Moschion:

ἀλλὰ καὶ τούτων ἔγωγε καὶ τῶν ἄλλων, ὦ Ζεύξιππε, πρόθυμος ἀκροατὴς ἡδέως ἂν γενοίμην.

Nonne aut *πρόθυμος* aut *ἡδέως* vitiose abundat?

122 E Quod „philosophus" de arte medica quaedam in medium protulerit sic Zeuxippus excusat:

οὐ παράβασιν ὅρων ἐπικαλεῖν δεῖ τοῖς περὶ ὑγιεινῶν διαλεγομένοις φιλοσόφοις, ἀλλ' εἰ μὴ παντάπασιν ἀνελόντες τοὺς ὅρους οἴονται δεῖν ὥσπερ ἐν μιᾷ χώρᾳ κοινῶς ἐμφιλοκαλεῖν.

Et sententiae ipsi et eius structurae consultum erit si *ἀλλὰ* deleveris: nulla erit in „philosophis" culpa dummodo ne plane tollant artium illarum terminos.

122 F Narrare sic Zeuxippus incipit:

ἔφη τοίνυν ὁ ἑταῖρος ἡμῶν ἀκοῦσαί τινος λέγοντος.

Recte intelligi liber non potest, nisi illum *ἑταῖρον* ipsum esse Plutarchum statuis.

123 A Frigidas habere manus magnopere nocet sanitati:

τὸ δ' ἔξω στρέφοντα μετὰ τῆς θερμότητος ἕλκειν ἐπὶ πάντα καὶ διανέμειν τὴν ὕλην ὑγιεινόν.

Obscura haec, obscurissimum vero quae hic *ὕλη* dicatur. Sed dele *μετά*, omnia erunt apertissima aptissimaque: oportet caloris materiam, quae in intimo residet corpore, foras trahere et sic per totum spargere corpus.

123 C Dum valemus oportet nos sponte abstinere rebus quibusdam quibus interdicitur aegris *τῆς ψυχῆς ἀφαιροῦντας πόρρωθεν ἔτι τὴν περὶ ταῦτα μικρολογίαν.*

Cum W. *μικρολυπίαν* legendum videtur.

ib. Proverbium „elige optimum, suave illud faciet consuetudo" *καὶ κατὰ μέρος ὡς ἕκαστα* (l. *εἰς ἕκ.* Wytt.) *πειρωμένῳ χρήσιμόν ἐστι, μάλιστα δὲ τῶν περὶ τὸ σῶμα διαιτημάτων ἐν τοῖς ὑγιεινοτάτοις ἐπάγοντα τὴν συνήθειαν εὐμενῆ καὶ γνώριμα τῇ φύσει καὶ οἰκεῖα παρασκευάζειν.*

Insere *τό* post *μάλιστα δέ*, et dele *ἐν*.

124 A Si nos, dum corpore sumus onusto, *ἀνάγκαι καταλάβωσιν, ἡγεμόνων καλούντων ἢ ξένων ἐπιφανέντων, ὑπ' αἰδοῦς βα-*

δίζειν εἰς ταὐτὸ τοῖς ἱκανῶς ἔχουσι καὶ συμπίνειν i. e. si nobis tum epulandum est cum hominibus sanis et integris. Quid autem tum nobis est faciendum? ἐνταῦθα μάλιστα δεῖ παρατετάχθαι πρὸς „τὴν μέγα σινομένην ἄνδρας αἰδῶ" i. e. non oportet nos falso pudore ductos plus esse et bibere quam concoquere possumus. Apparet in protasi verba ὑπ' αἰδοῦς ferri non posse. Insigne hoc „additamenti praematuri" exemplum de quo corruptelae genere egi in libro *de Emblematis in Platonis textu obviis* p. 46 sqq.

124 C ἄν τε τις παρέχων ἑστίασιν ὥσπερ θυσίαν ἄγευστον αὐτὸς ἀπέχηται παρά τε τῇ κύλικι καὶ τῇ τραπέζῃ, tam vero praeclaram habet suae urbanitatis ostendendae facultatem: potest enim de se ipso iocari.

Vix haec cohaerent, nisi recipis coniecturam παρῇ δέ, quae non, ut refert editor Graecus, Wyttenbachii esse videtur: nihil enim annotat ille.

ib. Narravit in sua diatribe Plutarchus Alexandrum post largam potationem non ἀντειπεῖν Μηδίῳ denuo ad pocula vocanti. Recipienda erat Wyttenbachii emendatio ἀπειπεῖν, *recusare.*

124 E Hic aliquid deprehendimus quod rarissimum in Plutarcho: ut flosculo aliquo sermonem suum exornet admodum inepto. Socrates sua admonitione Φυλάττεσθαι τῶν βρωμάτων ὅσα μὴ πεινῶντας ἐσθίειν ἀναπείθει, καὶ τῶν πωμάτων ὅσα πίνειν μὴ διψῶντας, οὐχ ἁπλῶς τὸ χρῆσθαι τούτοις ἀπηγόρευσεν, ἀλλὰ χρῆσθαι δεομένους ἐδίδασκε καὶ τὸ ἡδὺ κατατάττοντας αὐτῶν εἰς τὸ ἀναγκαῖον. Hactenus rectissime, sed risum movet quod adiicitur: ὥσπερ οἱ τὰ θεωρικὰ ποιοῦντες ἐν ταῖς πόλεσι στρατιωτικά. Haec sic a contextu Demosthenis avulsa sensu carent, et si iam ipse Plutarchus hic intellexit quid diceret, certe auditores intelligere non potuerunt. Conferri aliquo modo potest absurda locutio (64 E): ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν.

125 A Inepti homines qui nil probant quod non magno constet, cum magnam dederunt pecuniam Λαΐδι καὶ τὸ σῶμα Φαύλως καὶ πρὸς τὴν συνουσίαν ἀργῶς ἔχοντες διακείμενον ἐγείρουσιν ἅμα καὶ παρακαλοῦσι τὸ ἀκόλαστον ἐπὶ τὴν ἡδονὴν ὑπὸ τῆς κενῆς δόξης.

Nullus hic isti *simul* locus. Repone θαμά, *frequenter*, quod unice huc quadrat.

126 A Aversamur feminas amatoria miscentes pocula et tamen *μισθωτοῖς τε καὶ δούλοις προϊέμεθα τὰ σιτία καὶ τὰ ποτὰ μονονουχὶ μαγγανεύειν καὶ Φαρμάττειν.*

Rectissima haec, quamquam paulo laxius cetera sententia structa est. Cur editor Graecus hic *προσεΦιᾶσι* dederit prorsus me latet; sensu cassum enim istud, neque praestat quod coniicit ipse *τινὲς ἐΦιᾶσι.*

126 B Nunc sobrium victum commendans ipsarum *voluptatum* causam ago: *οὔτε γὰρ πράξεις οὔτ' ἐλπίδας οὔτ' ἀποδημίας οὔτε διαγωγὰς αἱ νόσοι τοσαύτας ὅσας ἡδονὰς ἡμῶν ἀΦαιροῦνται.*

Egregia haec: „et alias res adimunt nobis morbi et *voluptates* easque maximas", et egregie additur: *ὅθεν ἥκιστα λυσιτελεῖ καταΦρονεῖν τῆς ὑγιείας τοῖς μάλιστα τὴν ἡδονὴν διώκουσι.*

Minime ergo cum Wyttenbachio legendum *ἡδοναί*, quod vel hiatus redarguit.

127 C Navium domini, qui lucri appetentes navem suam nimis onerant ita ut cum periculo navigent, in codicibus dicuntur *οἱ ἀγαθοὶ ναύκληροι,* satis inepte. W. *ἄθλιοι* coniecit dubitanter, quod certe praestat editoris Graeci invento *ἄπλοοι.* Equidem exspectem aliquid quod ipsum illud „lucri appetentes" significet.

130 A *ὁ Φήσας μηδὲν γράΦειν παραθαλασσίοις περὶ ὀδόντων ἐδίδαξε τὴν χρείαν.*

Aegre hic desidero mentionem *rei cuius* ille usum docuit (aquaene marinae? Sic Didotianus).

131 C Laudatur *θερμολουσία* tamquam *ἐνδόσιμα τῇ πέψει καὶ μαλακὰ παρέχουσα.*

Egregie H. *μαλακτικά.*

131 D *ἐπὶ δὲ τροΦὴν παραγενομένους, ἂν μὲν ᾖ τι τῶν πρόσθεν ὄΦελος λόγων οἷς τὰς ὀρέξεις κηλοῦμεν καὶ καταπραΰνομεν, ἄλλο τι χρὴ παραινεῖν.*

Primum hic cum Reiskio in imperfecto legendum *ἐκηλοῦμεν* et *κατεπραΰνομεν*; deinde tollendus operarii, ut videtur, error et *παραγενομένοις* legendum, quod ét apud W. ét in Didotiana legitur: ea enim dare consilia debemus *iis* qui ad epulas accedunt, non cum ipsi ad epulas accedimus.

131 F *μάλιστα δὲ τὰς ἀπὸ τῶν κρεῶν Φοβητέον ἀπεψίας· καὶ γὰρ εὐθὺς σΦόδρα [καὶ] βαρύνουσι, καὶ λείψανον εἰσαῦθις πονηρὸν ἀπ' αὐτῶν παραμένει.*

Incluso *καί* nullus hic locus.

134 E *ὑφισταμένης δὲ κοιλίας οὐδὲν φάρμακον οἷα τῶν σιτίων ἔνια μαλακὰς ἐνδιδόντα προθυμίας καὶ διαλύοντα πρᾴως.*

Pro *προθυμίας* exspectem aliquid quasi *πέψεις*, nam ventrem duriorem cibis irritare perversum est.

135 A Absurdum est stato tempore corpus ad inediam compellere *ἐν καιρῷ ζητούμενον ἔθος ἀπαιτοῦντι.*

Istud *ζητούμενον* non intelligo; natum videtur ex varia lectione *ζητοῦντι*. Nam perinde est utrum hic *ζητοῦντι* legas an *ἀπαιτοῦντι*. Absurdum esse dicitur sic vim facere corpori eo tempore quod solita requirit. Lege ergo: *ἐν καιρῷ τὸ ἔθος ἀπαιτοῦντι* (vel *ζητοῦντι*).

135 D *ἔφη* „sc. Plutarchus" ut recte annotat W.: refertur enim Plutarchi diatribe.

136 A *διὸ τῶν πραγμάτων διδόντων ἀναληπτέον ἑαυτοὺς μήθ' ὕπνου φθονοῦντας τῷ σώματι μήτ' ἀρίστου μήτε ῥᾳστώνης τὸν μέσον ἡδυπαθείας καὶ κακοπαθείας φυλαττούσης ὅρον, οἷον οἱ πολλοὶ μὴ φυλάττοντες ἐκτρίβουσι τὸ σῶμα ταῖς μεταβολαῖς.*

Haud dubie cum W. legendum *φυλάττοντας* pro *φυλαττούσης* et cum Salmasio *ὃν* pro *οἷον*.

137 E Pulchra hac sententia egregius clauditur liber:

ὀρθῶς οὖν ὁ Πλάτων παρῄνεσε μήτε σῶμα κινεῖν ἄνευ ψυχῆς μήτε ψυχὴν ἄνευ σώματος, ἀλλ' οἷον τινα ξυνωρίδος ἰσορροπίαν διαφυλάττειν, ὅ τ ε μάλιστα τῇ ψυχῇ συνεργεῖ τὸ σῶμα καὶ συγκάμνει, πλείστην ἐπιμέλειαν αὐτῷ καὶ θεραπείαν ἀποδιδόντας, καὶ τὴν καλὴν καὶ ἐράσμιον ὑγίειαν ὧν δίδωσιν ἀγαθῶν κάλλιστον ἡγουμένους διδόναι τὸ πρὸς κτῆσιν ἀρετῆς καὶ χρῆσιν ἔν τε λόγοις καὶ πράξεσιν ἀκώλυτον αὐτῶν.

Ubi iniuria Graecus editor Reiskii coniecturam *ὅτι* in textum recepit, nam egregium est quod est traditum: *tum* maxime corporis cura est habenda cum animi labores adiuvat, nam tum corpus maxime fatigatur. Ultimum vocabulum (*αὐτῶν*) quid sibi velit intelligere mihi videor: „*et* animi *et* corporis". Sed multo elegantius erit si id nobis e contextu efficiendum relinquitur. Ergo *αὐτῶν* a sciolo adiectum arbitror.

CAPUT V.

PRAECEPTA CONIUGALIA.

Praestantissimus hic libellus, qui quo modo ea aetate de ingenua inventute mereri sint soliti „philosophi" egregie nos docet. Scriptus enim est Eurydicae, quae Polliano nuper nupsit, iuveni Romano nobili, ut opinor, divitique. Uterque Plutarcho usus est magistro, dicunturque (138 C) tunc fuisse ἐν φιλοσοφίᾳ παρατρεφόμενοι. Quo nomine significari possunt iuniores, qui dum adultiores ipsam philosophiam discunt — sic 145 B Pollianus dicitur iam ὥραν ἔχειν φιλοσοφεῖν — assident auditores magis quam philosophi, sed in omnes omnino illud convenit pueros puellasque, quos tum opulenti Graeci, magisque etiam Romani, „philosophis" Graecis educandos committebant: magnam enim illius institutionis partem fuisse viros graves, qui τὴν φιλοσοφίαν τέχνην εἶχον, Plutarchi in arte mentibus hominum medendi collegas, docte disputantes audire consentaneum est. Pollianus cum uxore amicis utebantur iis qui tum in republica Romana primas agebant partes, si quidem (145 A) Eurydice iubetur legere ea quae Timoxena scripsit Aristyllae. Est autem Timoxena illa ipsius Plutarchi uxor — si de alia hic esset cogitandum muliere, disertis id verbis dixisset Plutarchus — Aristylla quin sit Timonis, Plutarchi fratris, uxor dubitari non posse videtur: verissimam enim puto Volkmanni esse coniecturam Plin. Epl. I, 5, 5 „aderam Arrionillae, Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici" pro absurdo *Arrionillae* legendum esse *Aristyllae*.

Amici ergo coniugum illorum fuerunt Timon, Plinius, quidni Aruleni Rustici iam mortui fratrem Iunium Mauricum adiciamus, et Tacitum atque adeo ipsum imperatorem Traianum? Plutarchi autem uxor libros scribebat non populo sed feminis

sibi affinibus, deque eo argumento, quod maxime tractare mulieres decet: de ornatu muliebri. Sed non is est Plutarchus qui omnino mulieres expertes esse velit artium et disciplinarum, immo vero etiam gravissimas iis commendat geometriam et astronomiam (145 C). Et praeterea se toto libro virum praebet qui de nulla re etiam cum femina liberrime colloqui vereatur. Nulla enim re maiorem ille iustioremque movet admirationem quam simplicitate illa, qua de rebus agatur quae reticeri vel tecte significari soleant — et quae illae sint ipse libelli docet titulus — atque cum simplicitate alia virtus iuncta est non minus insignis: castissimus est libellus purissimusque, totique illi aetati praeclarum dat sincerorum testimonium morum, qua ad primarias feminas sic scribi potuerit a viris clarissimis.

Satis integer ad nos libellus egregius pervenit, ita ut ad paucos tantum locos quae annotem habeam.

138 C *οἱ παλαιοὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς περὶ τὸν γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγου δεομένης, τήν τε Πειθὼ καὶ τὰς Χάριτας ἵνα κτἑ.*

Ut bene haec cohaereant et oppositionis constet ratio, lege *τὸν μὲν . . . τὴν δέ.*

139 D Primum exemplum (*ὁμοιότητας* ea dicit ipse scriptor 138 C) est Solonis praeceptum *τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκατακλίνεσθαι μῆλου κυδωνίου διατραγοῦσαν, αἰνιττόμενος ὡς ἔοικεν ὅτι δεῖ τὴν ἀπὸ στόματος καὶ φωνῆς χάριν εὐάρμοστον εἶναι πρῶτον καὶ ἡδεῖαν.*

Quid sibi isto loco *πρῶτον* velit frustra quaeris. H. locum sanasse videtur mutando in *πρώτην* et traiiciendo ut fieret *τὴν πρώτην ἀπὸ στόματος κτἑ.*

140 B Reges Persarum, cum hilarius fit convivium, iustas dimittunt uxores arcessunt mulierculas, *ὀρθῶς γε τοῦτο ποιοῦντες ὅτι τὸ συνακολασταίνειν καὶ παροινεῖν οὐ μεταδιδόασι ταῖς γαμεταῖς.*

Immo *τοῦ*, quemadmodum paulo infra legitur *παροινίας καὶ ἀκολασίας καὶ ὕβρεως ἑτέραις μεταδίδωσιν.*

140 D Felicem praedicat civitatem Plato in qua *τὸ ἐμὸν καὶ τὸ οὐκ ἐμὸν ἥκιστα φθεγγομένων ἀκούουσι διὰ τὸ κοινοῖς ὡς ἔνι μάλιστα χρῆσθαι τοῖς ἀξίοις σπουδῆς τοὺς πολίτας.*

Recte procedet sententia, si pro *ἀκούουσι* legetur *ἀκούεται.*

141 D Oportet iustam uxorem cum se in speculo contemplatur, si facie parum formosa est, sic secum loqui: „quid si non

ero pudica?", si est formosa „quid si etiam pudica ero?" Ratio utriusque dicti sic nunc redditur:

τῇ γὰρ αἰσχρᾷ σεμνότερον εἰ Φιλεῖται διὰ τὸ ἦθος, ἢ τὸ κάλλος.

Utriusque, aio, dicti est reddenda ratio, quare recte sic tradita verba supplevisse:

τῇ γὰρ αἰσχρᾷ σεμνὸν εἰ Φιλεῖται διὰ τὸ ἦθος, τῇ δὲ καλῇ εἰ διὰ τὸ ἦθος μᾶλλον ἢ τὸ κάλλος,

W. censendus est.

142 E κρατεῖν δὲ δεῖ τὸν ἄνδρα τῆς γυναικὸς, οὐχ ὡς δεσπότην κτήματος ἀλλ' ὡς ψυχὴν σώματος συμπαθοῦντα καὶ συμπεΦυκότα τῇ εὐνοίᾳ.

Sic Wyttenbachiana et Didotiana. Graecus editor omisso δεῖ addit δίκαιόν ἐστι post εὐνοίᾳ, quod languidissimum videtur.

143 E 'Η 'Ερμιόνη δοκεῖ τι λέγειν [ἀληθὲς] λέγουσα.

Iam W. sensit vocabulum inclusum esse scioli additamentum.

144 B Recte Madvigius τούτων δὲ πάντων ἱερώτερός ἐστιν ὁ γαμήλιος σπόρος pro ἱερώτατος. Frequens istud in codicibus vitium.

145 A ὁ δὲ τῶν αὐτῶν ἡδονῶν αὐτὸς μὲν ἀπολαύων ἐκείνην δὲ (sc. uxorem) ἀποτρέπων οὐδὲν διαΦέρει τοῦ κελεύοντος διαμάχεσθαι [τὴν γυναῖκα] πρὸς τοὺς πολεμίους, οἷς αὐτὸς ἑαυτὸν παρέδωκε.

En ioculare additamentum! Quis talia unquam uxorem suam aut omnino mulierem iussit?

Nos eo deleto *militibus* sua reddamus!

145 B Cave uxor te videat χαίροντα χρυσώσεσιν ἐκπωμάτων καὶ γραΦαῖς οἰκηματίων καὶ χλίδωσιν ἡμιόνων καὶ ἵππων περιδεραίοις.

Sic Graecus editor, annotatque χλίδωσιν istud Stephani esse pro χλιδώσεσιν. Puto Stephanum χλιδῶσιν dedisse, sed vereor ut hoc verbum subiectum habere possit *rem*, non hominem. Quid legendum sit nescio, nam vulgatum χλιδώσεσιν nihili videtur.

145 E Eurydice a magistro suo iubetur semper in ore habere τὰς Φώνας ἐκείνας ὧν (ait) καὶ παρθένος οὖσα παρ' ἡμῖν ἀνελάμβανες.

Ut genitivi ὧν constet ratio, lege μετελάμβανες, quod verbum egregie convenit in παρατρεΦομένην ἐν ΦιλοσοΦίᾳ.

SEPTEM SAPIENTIUM CONVIVIUM.

„Externis", quibus hunc librum Volkmannus post Reiskium et Meinersium Plutarcho abiudicat, argumentis duo mihi addere

posse videor multo illis graviora. Quae sint statim dicam; primum de Volkmanni argumentis videamus. Sunt ea, ne quid dissimulem, nullius pretii. Refutare conatur Volkmannus Wyttenbachium, qui — me iudice, recte — contendit quae Porphyrius in libro *de abstinentia* communia cum nostro habeat libello ea ex nostro in Porphyrii librum esse translata. Contrarium verum esse Volkmannus censet atque sic disputat:

in Convivio Solon demonstrat multo melius consultum fore hominibus, si neque edendum iis esset neque bibendum, atque etiam quaestionem tractat quo modo tum homines usuri essent tempore illo libero. Respondet autem Solon: „quemadmodum servus, libertatem nactus, sibi faciet quae antea fecit domino, sic tunc mens eas curas, quas nunc corporis causa sustinet, in semet ipsam convertet".

„Fere eadem" Volkmannus ait „et apud Porphyrium leguntur, sed ibi apte illa cum cetera cohaerent disputatione, in Convivio vero sine ulla transitione annectuntur huic observationi: difficilius esse cibos e corpore removere quam in corpus inferre".

Iniquus hic in Convivii scriptorem Volkmannus videtur; etenim illa observatione suam *claudit* demonstrationem Solon additque etiam flosculum, quo aptissime redit ad id quod totam hanc provocavit disputationem: Cleodori aio sententiam, ideo esse et bibere pulchras esse res quia occasionem nobis praebeant multorum negotiorum quibus vita nostra ornetur atque exhilaretur.

Quid quod ipsa hic Porphyrii verba satis certum mihi praebent indicium usum eum esse nostro Convivio. Sic enim nunc disputat Solon (160 BC):

ὥσπερ εἰ διαποροῖεν αἱ Δαναΐδες τίνα βίον βιώσονται καὶ τί πράξουσιν ἀπαλλαγεῖσαι τῆς περὶ τὸν πίθον λατρείας καὶ πληρώσεως, οὕτω διαποροῦμεν ἡμεῖς, εἰ γένοιτο παύσασθαι φοροῦντας εἰς τὴν σάρκα τὴν ἄτρυτον ἐκ γῆς ἅμα καὶ θαλάττης τοσαῦτα, τί πράξομεν ἀπειρίᾳ τῶν καλῶν τὸν ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίοις στέργοντες βίον, (Sequitur illud de servis libertatem adeptis quod modo citavimus.)

Haud dubium est quin hic inter se opponantur *τὰ ἀναγκαῖα* et *τὰ καλά*, atqui quae *τοῖς ἀναγκαίοις* opponuntur sunt *pulchra, speciosa, superflua.* Illa autem *ἀναγκαῖα* sunt studia veritatis quibus mentem excolimus, ad ea compellemur *ἀπορίᾳ τῶν καλῶν* i. e. quia iam *non habemus* superfluas istas *corporis* curas. Lege

ergo *ἀπορίᾳ* non *ἀπειρίᾳ* cui nullus hic locus. Apud Porphyrium autem ipsum illud *ἀπορίᾳ τῶν λόγων* legitur quod praepostere et perverse Wyttenbachius cum Roerio in *ἀπειρίᾳ* mutavit. Ergo Porphyrius hic *Convivii* textum integrum etiamtum habuit ante oculos.

Externa Volkmanni dicebam *argumenta*: revera hoc uno usus est, eiusdem loci apte a Porphyrio, inepte in *Convivio* adhibiti. Quod quam parvi esset pretii iam vidimus. Sed praeterea de altero Porphyrii loco ita egit ut sententiam Wyttenbachii de Porphyrio e Convivio hauriente refelleret. Et Convivii auctor ét Porphyrius Homerico versu (E 341) *οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσι* utuntur ad demonstrandum melius esse non uti cibo quam cibo uti. Atque Volkmanno auctore uterque id ex eodem in Homerum commentario exscribit. Haud opinor. Quae apud utrumque prorsus sunt eadem haec sunt:

istud *οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσι κτἑ.* Homerus dicit:

Porph.	Convivium
ὡς οὐ μόνον τοῦ ζῆν ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀποθνήσκειν ἡ τροφὴ ὑπῆρχεν ἐφόδιον.	*ὡς μὴ μόνον τοῦ ζῆν ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀποθνήσκειν τὴν τροφὴν ἐφόδιον οὖσαν.*

Cardo quaestionis in voce quae est *ἐφόδιον* versatur. Apte autem et eleganter ea imagine utitur *Convivii* scriptor sic disputans: „edendo laborem parimus corpori doloremque"; recte ergo Homerus hoc utitur argumento ad demonstrandum deos immortales esse quod non edant; cibo enim uti non solum vivendi sed etiam moriendi *ἐφόδιον* est". Sed Porphyrii haec est disputatio: „quemadmodum lapis Magnes ferrum attrahit, ita divinum attrahit humanum; ergo ne sine causa humanum istud grave reddamus. O utinam nobis omnino nullo cibo opus esset, ut diis apud Homerum: tum revera essemus immortales; Homerus enim iis quae de diis dicit diserte significat cibo uti non solum vivendi esse *ἐφόδιον* sed et moriendi". Lepide ergo in *Convivio* istud *ὀξύμωρον* „moriendi *ἐφόδιον*" adhibetur, absurde apud Porphyrium cum illa magnetis imagine iungitur, quacum nihil commune habet. Et in *Convivio* praesens *ἀποθνήσκειν* rectissime habet, est enim „ventrem nimis onerare, in morbum incidere, denique mori". Apud Porphyrium, si tamen per fas et nefas illud *ἐφόδιον* esset adhibendum, perfecto *τεθνάναι* opus esset

ut ἐφόδιον τοῦ τεθνάναι esset id quod efficit ut homines *sint* mortui i. e. „non revera vivant ut vivunt dii".

Vides infirma esse Volkmanni argumenta externa. Firmamenti aliquid ipse addam — tam parum cupide hic agam — et, ut iam dixi, duo proponam nova, Volkmannianis, ut mihi quidem videtur, multo graviora.

Proverbium „bestiarum ferarum tyrannus, cicurum adulator pessima est" legitur ét in *Convivio* (147 B) ét in libro *Quomodo adulator* (61 C) .... mirum ni ibi legatur, sed sine ulla dubitatione Bianti tribuitur, in *Convivio* vero fuse disputatur sitne Thaletis an alius. Num ergo ego hoc argumento Convivium Plutarcho abiudico? Minime. Primum enim ipsa illa de illius proverbii auctore disputatio haud ingratum praebet Convivio ornamentum et in Convivio scribendo noster πάνυ σοφιστικῶς quam plurimis ornamentis adhibendis dat operam, at in libro *Quomodo adulator* illo proverbio tamquam argumento utitur, quis auctor eius sit nihil curans. Deinde omnem ἀκρίβειαν φιλολογικήν nihili facere solet Plutarchus utpote qui moribus hominum emendandis det operam non docendis hominibus. Conferri potest quod proverbium: „qui salvus esse vult ei aut fideli amico aut acri inimico opus est" modo Diogeni, modo Antistheni adscribitur, idque haud sine vocabulorum immutatione (v. Wytt. VI, 1, 548). Postremo inter „sophisticum" *Convivium* et „philosophicum" librum *Quomodo adulator* sat magnum intercessisse temporis spatium verisimile est, alterum scribens alterius immemor esse potuit Plutarchus. Concedes tamen ei, qui Plutarcho *Convivium* abiudicare velit, hanc inter duo libros discrepantiam argumentum praebere speciosum.

Alterum vero eiusmodi est ut quid agam me nescire fatear. Proclus (ad Hes. O. e. D. vs. 650) *a Plutarcho* abiudicari Hesiodo tradit totum locum de Homeri et Hesiodi certamine, in Euboea in Amphidamantis funere instituto. At in *Convivio* (153 F) illud certamen fuse describitur cum magna colloquentium delectatione. Quid ergo? Erravitne Proclus an mentitus est? Difficile dictu. Hoc tamen sentio sat molestum esse scrupulum istum quem nobis *Convivium* Plutarcho vindicantibus iniicit Proclus. Nam Plutarcho quominus vindicem argumenta „externa" ne sic quidem aucta et corroborata me retinent. De „internis" Volkmanni videamus.

Sunt quae ille graviter reprehendat, nihil vero gravius quam absurdam insanamque Solonis disputationem de *non edendi* felicitate, propter quam nobis vel eripienda intestina sint. Neque minus absurda mihi videtur; quid vero si *quam absurdissimam* eam esse ipse Plutarchus voluit, quo magis ludibrio haberet non Solonem sed sui temporis acres illos perfectae virtutis patronos? Accedit quod in *Convivio* paulo antea mulieres abierunt et strenue potandi factum est initium: quidni paulo liberius nunc Solon loquatur? Et quod Soloni hic *Orphica* quaedam et *Pythagorica* tribuitur philosophia, falsum quidem est, sed cur facilius eum errorem committere potuit quivis alius, qui tamen non plane esse ineptus homo, quam ipse Plutarchus? Nam ne ipse quidem Volkmannus sat bonum scriptorem fuisse qui *Convivium* fecerit, negare potest. Cur ergo vitia quae notat ab illo commissa esset credamus, a Plutarcho non credamus? Velut illud est quod in initio *Convivii* de *una* tantum quaestione ab Amaside proposita sermo est, deinde de multis; quod in *Convivio* non edocemur quo modo sapientes illi Corinthum convenerint (qua de re olim exstitisse fabulam auctor est Diog. L. I, 99). Si talia aequo animo Volkmannus fert in homine quem ipse *pulcherrime* (brillant'' I, 199, 2 a calce) scribere potuisse concedit, quidni et nos in Plutarcho aequo feramus animo?

Equidem Plutarchum auctorem Convivii agnosco in multis rebus. Poeta, quem maxime admiratur et diligit Plutarchus, Hesiodum dico, hic quoque insignem tenet locum; ét alia proverbia quae Plutarcho sunt in deliciis, hic inveniuntur ét illud de *tyranno* et *adulatore*; iocum illum Lucianeum, quo Amasis fingitur non *loquens de ebibendo mari* sed ipsum mare *ebibens* (151 D) admodum placuisse Plutarcho aliunde efficimus; denique id quod ét alii Plutàrchi libri habent ét *Amatorius*, libri *de daemonio Socratis*, et *de Sera Numinis Vindicta* id hic quoque observatur: scriptor ipso Platone δραματικώτερος esse studet, ita disputationes narrationibus et illas novis narrationibus involvit.

Et haec quidem de libri forma habituque. Ad praecipuas vero *res* quae demonstrantur quod attinet, tantum non ipsam Plutarchi vocem audio. *Praecipuas* autem cum dico ante omnes alias de duabus cogito. Primum quod Cleodorus describit quanta sit edendi bibendique utilitas, eum enim esse fontem

multarum artium disciplinarumque atque adeo amicitiae et *φιλανθρωπίας*[1]), mutato nomine hic ipse pastor Chaeronensis loquitur, quo nemo magis amavit epularum et conviviorum iucunditatem. Deinde — et hoc gravius — postquam narravit Arion quid sibi evenerit, Pittacus de *miraculis* sic disputat (163 D): „ut ét in credendo ét in non credendo modum teneas intelligendum tibi sit quid intersit inter *τὸ ἀδύνατον* et *τὸ ἀσύνηθες*" additque Anacharsis (E F): „quidni Deus non solum vento, aqua, igne sed etiam animalibus utatur instrumentis". Nonne hoc ipsi Plutarcho persuasissimum fuit, nonne saepe alibi de quaestione illa difficillima in eandem sententiam disputavit? (cf. Brut. 39, Caes. 66, Dio 2, Marc. 4, Cor. 24 sq. Cam. 6 al.).

Denique num credibile est libri tam artificiose structi auctorem latere maluisse post scriptorem vetustum (Volkmanno enim auctore *Convivium* Porphyrio est posterius) quam operam dedisse ut quam maxime et aequalibus et posteris innotesceret?

Iam ad alteram huius capitis partem ipse mihi Volkmannus transitum parat. In oratione[2]) nihil est quod nos de Plutarcho auctore dubitare cogat, nisi forte id quod ad legendum tam facilis hic liber est. Nam qui dicere possit Volkmannus tam corruptum ad nos pervenisse *Convivium* ut vix te inde intrices minime intelligo. Inspice annotationem criticam, videbis rarius hic quam in multis aliis libris haesisse viros doctos. Ipse vero qui tot iam annos in Plutarcho totus sim, saepissime me etiamnunc timere fateor ut recte eum intelligam, in Convivio vero vix unquam mihi illud accidit. Pauca ergo hic quoque annotabo.

146 D (Periander) *μετὰ γὰρ τὸν ἔρωτα τῆς μητρὸς αὐτοῦ προεμένης τὸν βίον ἑκουσίως, οὐ τεθυκὼς τῇ 'Αφροδίτῃ τότε πρῶτον .... ὥρμησε .... θεραπεύειν τὴν θεόν.*

Prava distinctio haec reddidit sensu cassa. Dele vigulam post *ἑκουσίως* et pone post *'Αφροδίτῃ.*

146 F In decantatam narratiunculam de Biante et rege Aegyptio ultro vitium intulit editor Graecus *τὴν γλῶτταν ἐξελὼν ἐξέπεμψε* legendo pro *τὴν γλ. ἐξελὼν ἔπεμψε.*

---

1) Nonne Plutarchum agnoscis in hisce (158 C): *παρακειμένης τραπέζης, ἣν ἀναιροῦσιν αἱρομένης τροφῆς φιλίων θεῶν βωμὸν οὖσαν καὶ ξενίων?*

2) Atque etiam in sermone, nam barbarum istud *ἤμην* (146 C) et alibi legitur ubi non exspectes.

147 B Commemorato ab Aegyptio dicto illo de tyranno sene tamquam Thaletis „ἀλλὰ τοῦτο μέν" εἶπεν ὁ Θαλῆς „Πιττακοῦ ἐστιν εἰρημένον ἐν παιδιᾷ ποτε πρὸς Μυρσίλον· ἐγὼ δὲ θαυμάσαιμ' ἂν" ἔφη „οὐ τύραννον ἀλλὰ κυβερνήτην γέροντα θεασάμενος".

Absurda ista egregie sic W. restituit: ἐγὼ δὲ θαυμάσαι μ' ἂν ἔφην, οὐ τύραννον κτἑ. Nunc lepidissime haec Thales addit: sed parum refert, meum enim facere possum istud οὐδὲ οὕτω κακῶς, si quidem idem non minus in tyrannum convenit quam in gubernatorem.

147 D „Recte agit" sic Thales pergit „Periander cum viris sapientibus confabulans, ὡς δὲ Θρασύβουλος αὐτῷ κολούσεις τῶν ἄκρων οὑμὸς πολίτης ὑφηγεῖται μὴ προσιέμενος".

Ipse locus arguit nomen Thrasybuli a sciolo additum.

148 B ἐπιὼν δὲ τούς τε δρόμους ἐθεᾶτο κτἑ.

Lege περιιών (π).

149 E Recte hic procedent omnia si cum W. legemus: „οἶμαι δ'" εἶπεν „ὦ Διοκλεῖς, καὶ πέρας ἔχειν τὸ σημεῖον" pro εἶχε.

150 B ἡ δ' Εὔμητις ἐκάθισε παρὰ τὸ δεῖπνον.

Absurda haec; recte, u. o., W. παρὰ τὸν Κλεόβουλον.

151 B ὁ δ' αὐτὸν ἐκέλευσε λύσαντα πάντα πᾶσιν ἐς μέσον ἀναγνῶναι.

Recte πάντα, cui nullus hic locus, delet R.

152 A „Falsa multa" Niloxenus ait, de viris sapientibus circumferuntur οἷα καὶ πρὸς ἡμᾶς εἰς Αἴγυπτον ἀπηγγέλη περὶ Χίλωνος, ὡς ἄρα διαλύσαιτο τὴν πρὸς Σόλωνα φιλίαν, ὅτι τοὺς νόμους ὁ Σόλων ἔφη μετακινήτους (δεῖν) εἶναι. (Illud δεῖν ego inserui.) Tum ille qui de convivio refert:

γελοῖος ὁ λόγος· οὕτω γὰρ δεῖ πρῶτον ἀποποιεῖσθαι τὸν Λυκοῦργον αὐτοῖς νόμοις ὅλην μετακινήσαντα τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν.

Optime haec decurrunt: Chilon Spartanus falso dicitur Soloni renuntiasse amicitiam, quia Solon leges mutabiles esse debere dixerit; falso, nam si Spartanus ille immutabiles eas esse voluisset, quid ei iudicandum fuisset de Lycurgo ipso?

Apparet Wyttenbachium omnia perturbasse μὴ μετακινήτους legendo.

ib. Biante auctore optimus sit rex „εἰ πρῶτος χρῷτο τοῖς νόμοις τῆς πατρίδος".

Rectissime: „ipse primus". *Exemplum* eius rei dare civibus rex debet. Non utor Graeci editoris invento *ἀτρόποις*.

152 D Reprehensus a Solone ob nimiam libertatem Aesopus respondet:

σὺ γὰρ οὔπω γέγραφας ὅτι ὅμοιον οἰκέτας μὴ μεθύειν, ὡς ἔγραψας Ἀθήνησιν οἰκέτας μὴ ἐρᾶν μηδὲ ξηραλοιφεῖν.

Isto *ὅτι ὅμοιον* quid faciam dubito; delet R., in *ὧδε νόμον* mutat W. Requiri aliquid videtur quod voci *Ἀθήνησιν* opponatur.

ib. Pro *Κλεόδωρος* W. *Κλεόδημος* reposuit, ut idem homo semper eodem nomine appellaretur. Eodem consilio Graecus editor ubique *Κλεόδωρος* legit. Difficilis optio.

152 E *πάλιν δ' ὁ Αἴσωπος „καὶ μὴν" ἔφη „Θαλῆς ἔδοξεν εἰπεῖν ὅτι τάχιστα γηράσει".*

Ipsa nocte obscuriora haec.

153 C *ἀλλ' ἵνα μὴ δοκῶμεν εὐθύνειν τὰς τῶν ἑτέρων ἀποκρίσεις, τὰς οἰκείας ταῖς ἐκείνου παραβάλωμεν.*

Post *δοκῶμεν* excidisse *μόνον* videtur.

153 E *ἀποκρινάμενος οὐδὲν ἀλλ' ἢ [μόνον κελεύσας] κρόμμυα καὶ θερμὸν ἄρτον ἐσθίειν.*

Inclusa recte delet H.

154 E Quae esset optima democratia quinque iam sapientes dixerunt, *μετατραπεὶς δὲ ὁ Χίλων ἀπεφήνατο κτέ.*

Pro *μετατραπείς* H. *μετὰ τούτους*, Graecus editor *μετὰ τοῦτον*, utrumque satis languidum. Quidni *μεταστραφείς* legamus? Ex iis quae paulo ante (152 E) leguntur: *καὶ ὁ Χίλων ὑ π ο λ α β ὼ ν ἔφη „διὰ τοῦτό τοι μᾶλλον ἀφεκτέον αὐτοῦ"* (sc. *τοῦ λαλεῖν ἐν οἴνῳ βρεχόμενον*) efficias severum illum Spartanum se tum a poculis et loquacibus istis convivis avertisse.

155 C „Etiamsi aliquis" Anacharsis ait „in fovea aliqua cum familiaribus bene moratis *κοινωνῇ τῶν ὑ π ό ν τ ω ν*, domus ea dici possit bene instructa".

Operariine vitium est istud *ὑπόντων*? In Wyttenbachiana et Didotiana recte *ὑπαρχόντων* legitur, quod retinendum. Certe non *ὑπόντων* legendum, requireretur enim hoc sensu *ἐνόντων*.

156 A Anacharsidi obiicit Pittacus quod ante annum nimis indulserit genio *παρὰ λίβυτ' ἀδελφῷ*.

Emendationem Madvigii *παρὰ Λιβυτάδῃ Δελφῷ* editor Graecus in calce paginae commemorat. Qualem ergo esse oportet emen-

dationem ut in textum recipiatur? Editori hoc quoque cavendum est ne nimis sit cautus et anxius.

ib. Ibi ergo Anacharsis *μεθυσθείς* poposcit *ἆθλον καὶ στέφανον.* Excidit *πρῶτος* ante *μεθυσθείς* (quod servavit Athenaeus 437 F), sed isto *καὶ στέφανον* melius carebimus. Apud Athenaeum pro *ἆθλον* legitur *νικητήριον.*

156 E *τὴν οἰνοχόην ἀτρέμα κεῖσθαι „κρητῆρος ὕπερθεν"* .... *ἀπηγόρευσεν Ἡσίοδος ἐν τοῖς πίνειν μᾶλλον ἢ διαλέγεσθαι δυναμένοις.*

Dele *ἐν*, strenuorum enim potatorum est nunquam cessare ab hauriendo et bibendo.

Sequitur locus 4 linearum (*ἐπεὶ* .... *πλησίον*) conclamatus. Qui tamen sensus requireretur recte perspexisse H. videtur.

157 A *ἐπεὶ πάλιν περὶ οἰκονομίας λόγος γέγονε* ....

Istud *περί* W. addidit, falso si quid video: sic enim etiam articulus esset addendus substantivo *λόγος.* Etenim *οἰκονομίας λόγος γέγονε* est: „oeconomiae est facta mentio", sed „nos de oec. colloqui coepimus" est *περὶ οἰκ. ὁ λόγος γέγονε.*

157 B Cleobulus fabulam a filia sua inventam de cane, qui hieme aedes sibi facere decrevisset cum iaceret contractus, sed aestate illud consilium missum faceret videns quantis sibi extento porrectoque opus esset aedibus narravit. Tum quid sibi ea fabula velit sic explicat:

οὐχ ὁρᾷς καὶ τοὺς μικροὺς νῦν μὲν εἰς μικρὰ κομιδῇ συστέλλοντας ἑαυτοὺς ὡς στρογγύλως καὶ Λακωνικῶς βιωσομένους, νῦν δέ, εἰ μὴ τὰ πάντων ἔχουσιν ἰδιωτῶν ἅμα καὶ βασιλέων, ὑπ' ἐνδείας ἀπολεῖσθαι νομίζοντας;

Istud *μικρούς* solito in Plutarchi textu vitio inde natum est quod, cum scribendum esset *ἀνοήτους* vel eiusmodi aliquid, librarii mens aberravit ad sequens *μικρά.* Mox (C) haec opponuntur: *ἀλλὰ καὶ τοὺς σοφοὺς ὑμᾶς ὁρῶμεν ἀνίσοις μέτροις τὰς κτήσεις νενεμημένας πρὸς ἀλλήλους ἔχοντας.*

157 D *καθάπερ τῷ νόμῳ τῷ λόγῳ.*

Prius *τῷ* non cum editore Graeco in *τῳ* mutandum, sed delendum est.

157 E *ἐκεῖνος* (Hesiodus) *γάρ ἐστιν* (ait Solon) *ὁ πρῶτος Ἐπιμενίδῃ σπέρματα τῆς τροφῆς ταύτης* (sc. *τῆς ἀλίμου*) *παρασχὼν καὶ ὁ ζητεῖν διδάξας*

ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Deleatur *καὶ ὁ*. Ista re docenda Hesiodus Epimenidi praebuit sui medicamenti principium.

157 F Hic Periander exclamat:

οἴει γὰρ τὸν Ἡσίοδον ἐννοῆσαί τι τοιοῦτον, οὐκ ἐπαινέτην ὄντα Φειδοῦς ἀεὶ καὶ πρὸς τὰ λιτότατα τῶν ὄψων ὡς ἥδιστα παρακαλεῖν ἡμᾶς.

Transpone *καί* ut ante *οὐκ* legatur et haec evadat sententia: „num putas Hesiodum aliquid eiusmodi (ut istud Epimenidis medicamentum) in mente habuisse *et non multo potius* ad vilissimos nos — ut est parsimoniae laudator — vocare cibos tamquam qui sint dulcissimi?"

τὰ δ' ἄλιμα ταῦτα καὶ ἄδιψα φάρμακα μᾶλλον ἢ σιτία πυνθάνομαι, καὶ μέλι καὶ τυρόν τινα βαρβαρικὸν δέχεσθαι καὶ σπέρματα πάμπολλα τῶν οὐκ εὐπορίστων.

Dele virgulam post *πυνθάνομαι*. Haec enim est sententia: „audio ista *ἄλιμα* medicamenta (medicamenta enim sunt non cibi) ex multis componi rebus paratu non facilibus."

πῶς οὖν οὐκ ἐν τῷ Ἡσιόδῳ , . . . „ἔργα βοῶν κτέ." εἰ τοσαύτης δεήσει παρασκευῆς;

Pro *ἐν* Pflugkius recte *ἂν* legit, sed simul negatio delenda et sic ordienda interrogatio: *πῶς ἂν οὖν τῷ Ἡσιόδῳ κτέ.* „qui carere bobus aratoribus poterimus, si tanto nobis opus erit apparatu?"

158 B Lepidissima est Cleodori observatio de Aesopo Hesiodi discipulo, dignissimaque Plutarcho.

158 D Egregie quid sit *βίος* hic explicatur, vide Wyttenbachii utilissimam annotationem.

ib. *δεινὸν μὲν οὖν, ὦ ἑταῖρε, καὶ τὸ τῆς γεωργίας αὐτῆς*: „ipsa quoque agricultura in summum veniet discrimen." Cur Graecus editor hic *αὐτῇ* legat me latet.

159 B *τὸν νεκρὸν ἀνατεμόντες ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ.*

Recte ante *ἔδειξαν* W. inseruit *τὰ σπλάγχνα.*

Quae paulo post sequuntur sic cum Marklando sunt distinguenda:

ζῶν γὰρ οὐδεὶς ἀπ' οὐδενὸς τρέφεται ζῶντος, ἀλλὰ θανατοῦντες τὰ ἔμψυχα, καὶ τὰ φυόμενα, τῷ τρέφεσθαι καὶ αὔξεσθαι μετέχοντα τοῦ ζῆν, ἀπολλύντες, ἀδικοῦμεν.

159 D Quod hominis intestina et cum aliis *σκεύεσι* et cum *φρεωρύχοις* comparantur male me habet.

161 A Delphines *συναγαγόντες (αὐτοὺς) εἰς ταὐτό κτέ.*

Supplementum est Wyttenbachii.

161 E Gloriae quadam cupidine salvus in patriam venire volebat Arion *ὡς θεοφιλὴς ἀνὴρ φανείη καὶ λάβοι περὶ θεῶν δόξαν βέβαιον.*

Delectat me iste *ὀρθόδοξος* cantor. Lege cum R. *παρά* pro *περί.*

161 F *ἑστώσης δὲ πάντη τῆς θαλάσσης ἀκύμονος ὥσπερ τρίβον ἀνασχιζόμενον τῷ δρόμῳ, διανοεῖσθαι πρὸς αὐτόν κτέ.*

Sententiam loci utcunque dispicio, structura corrupta est neque quomodo emendem certus sum.

162 A *ὁ Γόργος ἔφη .... ἐκπέμψαι πλοῖα καὶ στρατιώτας ἐπὶ τὰς κατάρσεις φυλάξοντας.*

Dele *ἐπί.*

163 C Cum filia Sminthei ex oraculi responso in mare demittebatur, iuvenis quidam amore eius captus *παρὰ τὸν καιρόν* accurrit eamque amplexus et ipse interire voluit.

Possuntne Graeca verba significare: „eo ipso temporis momento"?

163 D *εἴ τις εἰδείη .... μάλιστ' ἂν .... διαφυλάττων.*

Haeccine in textu servari, non recipi Wyttenbachii *διαφυλάττοι*!

164 C *Χερσίας δ' οὑτοσί φησι τὴν Ἄτην (ἣν) ὑπὸ τοῦ Διὸς ῥιφῆναι κτέ.*

Sic recte supplet W. ut e praecedentibus subaudiatur *λοιδορεῖν αὐτόν.*

DE SUPERSTITIONE.

Quisquis fuit qui Plutarchi scripta collegit, hic certe eius mentem bene cognitam habuit. Nihil enim Plutarcho magis fuit persuasum quam certissimum ire qui medio eat. In convivio autem satis strenuum se praebuit miraculorum defensorem, hic autem se metuere declarat ne nimis miraculis obnoxios reddiderit homines curae suae commissos. Ergo vehementius etiam nunc impugnat infirmos et superstitiosos, remque eo deducit ut totam disputationem praeclara hac claudat sententia: quemadmodum saepe homines latronum vel ferarum metu abeunt in praeceps sic alii

φεύγοντες τὴν δεισιδαιμονίαν ἐμπίπτουσιν εἰς ἀθεότητα τραχεῖαν καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδήσαντες ἐν μέσῳ κειμένην τὴν εὐσέβειαν quod sive ab Aristotele sive ab alio sumpsit Plutarchus, certe *suum* fecit.

Iure autem maxime libellus noster inclaruit praestantissimo loco ubi demonstratur superstitiosum magis etiam impium esse quam *τὸν ἄθεον* (169 F). Si usquam, ibi Plutarchi vivam audis vocem.

164 E *τῆς περὶ θεῶν ἀμαθίας* altera pars *ὥσπερ ἐν χωρίοις σκληροῖς τοῖς ἀντιτύποις ἤθεσι τὴν ἀθεότητα*, altera *ὥσπερ ἐν ὑγροῖς τοῖς ἁπαλοῖς τὴν δεισιδαιμονίαν π ε π ο ί η κ ε.*

L. *ἐ μ π ε π ο ί η κ ε*, ut olim edebatur.

165 D *οὐ φοβεῖται θάλασσαν ὁ μὴ πλέων οὐδὲ πόλεμον ὁ μὴ στρατευόμενος, οὐδὲ λῃστὰς ὁ οἰκουρῶν οὐδὲ συκοφάντην ὁ πένης, οὐδὲ φθόνον ὁ ἰδιώτης, οὐδὲ σεισμὸν ὁ ἐν Γαλάταις οὐδὲ κεραυνὸν ὁ ἐν Αἰθίοψιν.*

Post *Γαλάταις* excidit *οἰκῶν*.

165 E *δεισιδαιμονία .... οὐδὲ τῇ ψυχῇ π ο τ ε γοῦν δίδωσιν ἀναπνεῦσαι.*

Immo *τότε* (cum Pflugkio) sc. in somno, de quo hic sermo est.

166 A Homines infirmi, somnio territi, *ὕπαρ ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ δαπανῶσι καὶ ταράττουσιν εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες.*

Egregia est Wyttenbachii transpositio *ταράττουσι καὶ δαπανῶσιν*. Est enim *δαπανᾶν ἑαυτόν* rem familiarem suam dissipare.

166 C Infirmum hominem sic possis alloqui: *ὅ τι* [*τὸν ὕπνον*] *οἱ θεοὶ λήθην κακῶν ἔδοσαν ἡμῖν καὶ ἀνάπαυσιν, τί τοῦτο κολαστήριον σαυτῷ ποιεῖς ἐπίμονον καὶ ὀδυνηρόν;*

Manifestum emblema expulit Duebnerus. In sequentibus *τῆς ἀθλίας ψυχῆς εἰς ἄλλον ὕπνον ἀποδρᾶναι μὴ δυναμένης* servari *ὕπνον* velim.

167 A In somniis infirmorum

Ἅιδου τινὲς ἀνοίγνυνται πύλαι βαθεῖαι καὶ ποταμοὶ πυρὸς ὁμοῦ καὶ Στυγὸς ἀπορρῶγες ἀνακεράννυνται.

Recte *βαθεῖαι* dici videntur ipsae *πύλαι* siquidem *profunda* est vorago ad quam dant aditum, sed corruptum *ἀνακεράννυνται* censeo. Ecquid *ἀναπετάννυνται*? Foribus apertis *patent* ista et *conspiciuntur*.

167 D Rectissime quae turbata hic traduntur sic disposuit W.: *οἱ μὲν οὐχ ὁρῶσι τοὺς θεοὺς τὸ παράπαν, οἱ δὲ παρορῶσιν, οἱ μὲν οὐδ' ὑπάρχειν νομίζουσιν, οἱ δὲ δοξάζουσι φοβερὸν τὸ εὐμενὲς καὶ τυραννικὸν τὸ πατρικὸν καὶ βλαβερὸν τὸ κηδεμονικὸν καὶ τὸ ἀμήνιτον ἄγριον εἶναι καὶ θηριῶδες.*

Praesertim illa dispositio eo commendatur quod sic *ὑπάρχειν* suam sibi vim obtinet, in vulgata est *κακοὺς ὑπάρχειν*. Recte etiam W. *ἀμήνιτον* dedit pro *ἄμικτον*.

167 E A verbis *κοινὸν ἀνθρώπων* non a *Φέρε δὴ πρῶτον* novum incipere caput debet. Novum enim hinc incipit argumentum.

168 A *εἰ καὶ μικρότατον αὐτῷ κακόν τι συμπεπτωκός ἐστιν,* alia magna affingit ipse, (recte *τι* delet H.) *παντὶ θρήνῳ καὶ παντὶ στεναγμῷ καθαπτόμενος.*

Ultimum vocabulum ut sit sincerum metuo. Quando recte *καθάπτεσθαι* ponatur docet 171 C ubi est „reprehendere”.

168 E Postquam narravit Tiribazum primum se acriter defendere coepisse, sed cognito se regis iussu prehendi gladium deiecisse, sic pergit: *ἆρ' οὖν οὐχ ὅμοιόν ἐστι τὸ γιγνόμενον.*

Certe aliquid hic post *τό* est inserendum, ut minimum *νῦν*.

169 A *ἦν δ' ἴσως καὶ Νικίᾳ .... κράτιστον οὕτως ἀπαλλαγῆναι .... ἢ φοβηθέντι κτἑ.*

Aut cum H. *κρεῖττον* est legendum pro *κράτιστον* aut ante *ἤ* inserendum *μᾶλλον.*

169 B *δεινὸν τὸ τῆς δεισιδαιμονίας σκότος ἐμπεσόντος ἀνθρώπου συγχέαι καὶ τυφλῶσαι λογισμόν.*

Male editor Graecus *ἐκπεσόντος*, est enim *ἐμπεσόντος*: hominis qui (in eas tenebras) incidit.

169 C Hic apparet de Christianismo nunquam quidquam audivisse Plutarchum. Nam si de Iesu praedicatione, qualem nos cognovimus, ullus ad eum pervenisset rumor, haud dubie hic eius fecisset mentionem, ubi de Iudaeis tam anxie Sabbata sua observantibus ut ultro in certam incucurrerint perniciem narrat.

169 D Cum feriae celebrantur in honorem deorum *τὸν ἄθεον* videbis *παραφθεγγόμενον ἀτρέμα* (an *ἠρέμα*?) *πρὸς τοὺς συνήθεις ὅτι τετύφωνται καὶ δαιμονῶσιν οἱ θεοῖς ταῦτα δρᾶσθαι νομίζοντες.*

Ne ipse quidem *ἄθεος* negare potest haec *fieri in honorem deorum*. Sed negat ista *θεοῖς δρᾶσθαι*, quod reponendum.

170 A Deus iratus *θηρίον ἔχων τοῖς καρποῖς ἐφήσει.*

Dele *ἔχων* cum H., noli vero cum eodem 171 A: *ἡ δὲ δεισιδαιμονία τῇ ἀθεότητι καὶ γενέσθαι παρέσχεν ἀρχὴν καὶ γενομένῃ δίδωσιν ἀπολογίαν* delere *ἀρχήν*. Sic enim *τὸ γενέσθαι* legendum foret. Sed non ingrata haec ubertas qua teres atque rotunda existit periodus.

— B Vocabula de Diana barbara illustrent Lobeckii.

171 C Et hic et 167 D habes verbum *λυσιτελεῖ* sequente coniunctione *ἤ*, ut sit „*magis* prodest"·

171 E *οὐδὲν ο ὕ τ ω πολυπλανὲς .... μᾶλλον ὡ ς τὸ τῆς δεισιδαιμονίας.*

Quis obloquatur Herchero *μᾶλλον* delenti?

CAPUT VI.

REGUM ET IMPERATORUM APOPHTHEGMATA.

In libro *de Plutarcho philosopho* de hac sylloge sileri poterat. Nam lateatne sub ea pars aliqua collectionis a Plutarcho factae et qualis illa fuerit neque novimus neque equidem magnopere curo. Hoc mihi scire satis est Plutarchum dictis et narratiunculis, e quibus aliquid utilitatis percipi posset, componendis strenue dedisse operam. Hoc mentium medicum fecisse et ipsa res clamat et docet ipsius testimonium (*de Ira Cohibenda* p. 457 E):

διὸ καὶ συνάγειν ἀεὶ πειρῶμαι καὶ ἀναγιγνώσκειν οὐ ταῦτα δὴ μόνον τὰ τῶν Φιλοσόφων, ἀλλὰ μᾶλλον τὰ τῶν βασιλέων καὶ τυράννων

qui locus etiam a Wyttenbachio affertur (cf. *Avondzon* ed. altera I, 47, II, 35 sq.). Sed non minus mihi constat hunce libellum *non* esse ab ipso Plutarcho consarcinatum sed ab homuncione quodam stupidissimo, qui praesertim Plutarchi Vitis usus est. Qui e quo genere fuerit hominum egregie docent duo loci:

p. 196 E. Postquam narravit quod dedisset magni animi documentum Scipio in funere Terentii, haec ex suo fonte adscripsit: *ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον!*

p. 199 D. De Catone haec narrat: *πλείονας δὲ πόλεις ἑλών, ὥς Φησι, τῶν ἡμερῶν ἃς διέτριψεν ἐν τοῖς πολεμίοις κτέ.* In vita

Catonis c. X haec leguntur: *αὐτός δέ Φησιν ὁ Κάτων πλείονας εἰληΦέναι πόλεις ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ*, ubi isti *Φησιν* suus sibi locus est; a nostra collectione vocabula *ὥς Φησι* sunt quam alienissima.

De variis locis pauca annotabo, sed, ut opinor, cognitu haud ingrata.

172 C Traianum rogat — vel potius rogare se simulat scriptor — ut opusculum suum benevole accipiat

εἰ ὅρον ἔχει τινὰ πρὸς κατανόησιν ἠθῶν καὶ προαιρέσεων ἡγεμονικῶν.

Alteram lectionem *εἰ πρόσΦορον ἔχει τι* iure W. praetulisse videtur. Certe intelligo eam; sed quam exscripsi ipsa est nocte obscurior.

172 E Qui *Vitas* in suum usum vult convertere is abundare debet otio

ἐνταῦθα δὲ καὶ τοὺς λόγους αὐτοὺς καθ' αὑτοὺς ὥσπερ δείγματα τῶν βίων καὶ σπέρματα συνειλεγμένους οὐδὲν οἴομαί σοι τὸν καιρὸν ἐνοχλήσειν.

Isto *ἐνταῦθα* bene Plutarchum suum imitatur, frequens enim apud illum *ἐνταῦθα* pro *ἐνθάδε* (hoc loco significatur ipsa haec sylloge); pro *ἐνοχλήσειν* mallem aliud dedisset verbum, sed vel sic quid sibi velit apparet. Ut tamen totius loci constet ratio, prius illud *καί* est eliminandum: illic (in Vitis) apophthegmata cum rebus narratis mixta sunt, hic pura puta ea habes, ita ut brevi tempore possis percurrere.

173 E Ab Artaxerxe Satibarzanes iniustam rem petebat. Rex cognito eum certa pecunia corruptum id fecisse illam ei numerare iussit et

„λάβε" εἶπεν „ὦ Σατιβαρζάνη· ταῦτα μὲν γὰρ δοὺς οὐκ ἔσομαι πενέστερος, ἐκεῖνα δὲ πράξας ἀδικώτερος"

Ne Rex quidem Persarum negare potest se si pecuniam quamvis parvam impenderit pauperiorem fieri. Exime ergo *οὐκ*, habebis dictum egregium cuius haec sententia: „malo pauperior quam iniustior fieri".

173 F Mire *iustam uxorem γυναῖκα γνησίαν* appellat.

176 A Hospes quidam Dionysio pollicebatur se ei insidias quasdam aperturum. Cui cum aurem rex praebuisset, „da mihi" inquit „talentum ut videaris omnia iam cognovisse". Et dedit rex *προσποιούμενος ἀκηκοέναι καὶ θαυμάζειν τὴν μέθοδον τοῦ ἀνθρώπου.*

Non, ut opinor, admirari se simulabat hanc rationem sed revera et iure admirabatur; erat enim prudentissima. Lege ergo *θαυμάζων* pro *θαυμάζειν.*

176 E Agathocles, figuli filius, rerum potitus solebat ét fictilia et aurea vasa apponi iubere et haec filiis dicere:

„τοιαῦτα ποιῶν πρότερον νῦν τοιαῦτα ποιεῖ διά τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὴν ἀνδρείαν".

Sensu cassa haec. Lepide dictum restitues pro *ποιεῖ* legendo *ποιοῦμαι.* „Ipse olim meis manibus faciebam fictilia, nunc aurea alios mihi facere iubeo".

181 D Cum quidam Alexandri res gestas praestare Herculis operibus dixisset, ille *„ἀλλ' ἐγώ" εἶπε „τὰς ἐμὰς πράξεις μετὰ τῆς ἡγεμονίας ἑνὸς οὐ νομίζω ῥήματος ἀνταξίας εἶναι τοῦ Ἡρακλέους".*

Vertunt ultima: „ne uni quidem dicto Herculis aequalia arbitror". Si sanus locus, haec esse debet sententia: „ipsum *nomen* Herculis ineptam vestram confutat adulationem".

182 E Antigonus cum Anaximenis rhetoris discipulum orationem habentem audiret, quam bene ille meditatus erat, aliquid eum rogavit. Quo tacente *„τί λέγεις" εἶπεν, ἢ*

„ταῦτ' ἐστὶ τἀν δέλτοισιν ἐγγεγραμμένα;"

Nullam hinc extundo sententiam. Suspicor, versu Euripidis leviter mutato, sic olim scriptum fuisse: *„τί λέγεις" εἶπεν „οὐ ταῦτ' ἐστὶν ἐν δέλτοισιν ἐγγεγραμμένα;"*

Hoc sensu: „heus tu, ecquid id quod ego te rogo non habes in libello quem tam diligenter edidicisti?" De *τί λέγεις* v. Avondzon (2ª ed.) v. I 269.

184 D *Ἀντίοχος ὁ στρατεύσας δεύτερον ἐπὶ Πάρθους κτέ.*

Quantocius repone *Ἀντίοχος ὁ δεύτερος στρατεύσας ἐ. Π.* Etiam in praecedentibus citatur *Ἀντίοχος ὁ πρῶτος, ὁ δεύτερος, ὁ τρίτος.*

185 F Μυρωνίδης παρήγγειλεν ἔξοδον Ἀθηναίοις ἐπὶ Βοιωτοὺς στρατεύων.

Ultimum vocabulum ex annotatione adhaesisse suspicor.

186 D Alcibiades ἔχων κύνα πάγκαλον ἐωνημένον ἑπτακισχιλίων δραχμῶν κτέ.

Immo ἐωνημένος quemadmodum et in Vita.

187 A παραταττόμενος δὲ τοῖς βαρβάροις ἔφη δεδιέναι, μὴ τὸν Ἰφικράτην οὐκ ἴσασιν, ᾧ καταπλήττεται τοὺς ἄλλους πολεμίους.

Ipse epitomator quod ante oculos habebat non intellexit. In fonte eius non τὸν Ἰφικράτην erat sed τὸ Ἰφικράτους ὄνομα. Ipsum Iphicratis nomen timorem incutiebat Graecis, barbaris incutere vix poterat.

188 B ὀργιζομένων δὲ τοῖς Βυζαντίοις τῶν Ἀθηναίων, μὴ δεξαμένων τῇ πόλει πεμφθέντα μετὰ δυνάμεως βοηθὸν αὐτοῖς πρὸς Φίλιππον κτέ.

Solito in Plutarchi codicibus vitio nocuerunt inter se vocabula vicina: natum enim istud ὀργιζομένων .... δεξαμένων ex ὀργιζομένων .... δεξαμένοις. Nam sic esse legendum Phocionis docet dictum quod sequitur: „nolite succensere sociis, si nostris ducibus fidem non habent, sed succensete ducibus, quibus fides non habetur".

189 E ἐκέλευε δὲ (Lycurgus) τὰς οἰκίας ποιεῖν ἀπὸ πρίονος καὶ πελέκεως· αἰσχύνεσθαι γὰρ εἰς οἰκίας λιτὰς ἐκπώματα καὶ στρώματα καὶ τραπέζας πολυτελεῖς εἰσφέροντας.

Verbo non opus est ad demonstrandum hic futurum αἰσχυνεῖσθαι requiri.

190 A Θεόπομπος ἔν τινι πόλει πρὸς τὸν ἐπιδεικνύμενον τὸ τεῖχος αὐτῷ καὶ πυνθανόμενον εἰ δοκεῖ καλὸν καὶ ὑψηλὸν εἶναι „οὐδ' εἰ γυναικῶν" εἶπεν „ἦν".

Tribus aliis locis (212 E; 215 D; 230 C) fortis viri dictum integrum est servatum; hic duo additamenta illud corruperunt: οὐδέ et καὶ ὑψηλόν. Ludicrum est istud: „si mulierum (vel: ne si mulierum quidem) essent moenia, *celsa* essent". Simile additamentum invenies 221 F.

191 D Agesilaus in Aegypto bellum gerebat; regis adversarii,

cui auxilio venerat, numero erant multo superiores. Quos cum videret se vallo munire rex, impetum in eos facere iussit; noluit Agesilaus intelligens vallo isto suas copias hostium exercitui pares fieri. Quod et docuit eventus, etenim

ἔτι μικρὸν ἀπολιπούσης τῆς τάφρου συνάψαι κατὰ τοῦτο παρατάξας τὸ διαλεῖπον καὶ πρὸς ἴσους ἴσοι ἀγωνισάμενοι ἐνίκησαν.

Inutilis annotatio *τὸ διαλεῖπον* in alienam praeterea sedem irrepsit; expunge (nolim enim traiicere ut fiat *τοῦτο τὸ διαλεῖπον*) et *παρέταξε* lege, sanus fiet locus. Hoc enim est quod Xenophon appellat *ταμιεύειν ὁπόσοις βούλει μάχεσθαι*. Verbum *παρατάξας* etiam sine obiecto poni potest.

193 B Absurdo nonnumquam sermone utitur noster, velut hic *Ἰάσονα θεασάμενος* est: „vultu in Iasonem converso". Eiusdem farinae est *μετεμέλοντο ταῖς ὁμολογίαις* 196 D.

194 E Pelopidas ab Alexandro in vincula coniectus ab Epaminonda in patriam reductus gratias se habere Alexandro aiebat, idque hoc argumento:

πεπείραται γὰρ ἑαυτοῦ νῦν μάλιστα οὐ μόνον πρὸς πόλεμον ἀλλὰ καὶ πρὸς θάνατον εὐθαρσῶς ἔχοντος.

Aut legendum *πεπείραμαι γὰρ ἐμαυτοῦ* aut restituendum quod W. habet: *πεπειρᾶσθαι*.

195 A Nullus est liber tam futilis quin suos sibi scholiastas nactus sit. Velut hic in narratione de Pyrrho et Fabricio:

τὸν μέγιστον ἐλέφαντα τοῦ Πύρρου παρασκευάσαντος ἐξόπισθεν τῷ Φαβρικίῳ ῥήξαντα φωνὴν ἐπιφανῆναι, ἐπιστραφεὶς ὁ Φαβρίκιος κτέ.

post *ἐπιφανῆναι* irrepsit scioli annotatio *καὶ τούτου γενομένου* quo facto plane perturbatur oratio.

199 A *Τὴν δ' ἀδικίαν ἔλεγε* (Cato) *τοῖς ἀδικοῦσι κἂν μὴ κίνδυνον ἅπασι φέρειν.*

Excidisse hinc non pauca W. censet, mihi abundare *καί* (in *κἄν*) videtur, quo expuncto egregiam hanc obtinebimus sententiam: „periculum omnibus affert iniuria si non affert auctori" i. e. certa manere poena maleficum debet aut in perpetuo periculo versabuntur omnes cives.

200 E *ἐκπεμφθέντα δ' αὐτὸν ὑπὸ τῆς βουλῆς τρίτον κτἑ.*
Transpone ut fiat *τρίτον αὐτόν.*

202 A Cum Metellus de impetu in arcem quandam hostium faciendo deliberaret, centurio quidam aiebat
ὡς ἐὰν δέκα μόνους ἀποβάλῃ λήψεται τὸ χωρίον.
Tum Metellus: „ecquid ipse unus eorum esse vis?"
Absurdum est dicere quamvis paucis militibus *amissis* locum expugnari posse. Neque opus erat centurionem rogare velletne in eorum esse numero. Quis enim vult *perire*? Legendum arbitror: *ἀπολάχῃ* ut hoc dicat centurio: tam ignavi sunt hostes et tam fortes tui milites ut decem eorum, *quos sorte duxeris,* huic pares sint negotio; ne *eligere* quidem opus est.

203 D Pompeius Mamertinos *οἷός τε ἦν ἀποσφάττειν ἅπαντας.* Sequitur illa narratio quam Plutarchus in deliciis habet de Sthenio omnem culpam in se convertente. Lege *οἷος ἦν*: volebat mactare, in eo erat ut mactaret.

206 F „Non metuo" sic hic loquens inducitur Caesar „*τοὺς βαναύσους καὶ λιπῶντας, ἀλλὰ τοὺς ἰσχνοὺς καὶ ὠχρούς*".
Quid in *βαναύσους* lateat nescio, in Vita est *παχεῖς καὶ κομῶντας.* An sic Latinum *urbanos* redditur?

ib. Octavianus *Ἀντώνιον ἀπῄτει δισχιλίας πεντακοσίας μυριάδας τοῦ πρώτου Καίσαρος ἀναιρεθέντος ἐκ τῆς οἰκίας ἃς πρὸς αὐτὸν ὁ Ἀντώνιος μετήνεγκεν.*
Locum turpiter depravatum certa emendatione sanare possumus: pro *οἰκίας* legamus *οὐσίας* et ista *ἐκ τῆς οὐσίας* ponamus ante *τοῦ πρώτου.* Certam emendationem esse manifesto apparet e Vita Ciceronis c. 43 in fine: *ἃς Ἀντώνιος ἐκ τῆς οὐσίας κατεῖχεν.*

APOPHTHEGMATA LACONICA

Eadem est huiusce libelli atque praecedentis ratio, excerptus est e variis vitis sed fortasse compilatori prae manibus fuerunt excerpta quae ipse Plutarchus fecerat. Sermo et in hoc et in

altero libello — id quod identidem et Wyttenbachius observat — plane Plutarcheus.

De hisce locis proferre aliquid in medium velim:

208 B Agasicles mirante quodam quod, discendi cupidus cum esset, sophistam quendam non admitteret, respondit

τούτων χρήζω μαθητὴς εἶναι, ὧν εἰμι καὶ υἱός.

Ain vero? A solisne parentibus discere volebat rex? At hi, ut opinor, iam mortui erant, neque quisquam sic parentes suos significat. Uno deleto vocabulo *εἰμι* egregiam sententiam lepide enuntiatam obtinebimus: hunc solum habere magistrum volo quem et patrem habere velim, i. e. quem tamquam patrem suspicere et venerari possim. Sophistam istum fama fuisse adversa sponte intelligimus.

208 D Agesilaus, cum ei a magistro locus minus honestus esset assignatus, paruit

καὶ εἶπεν· εὖγε· δείξω γὰρ ὅτι οὐχ οἱ τόποι τοὺς ἄνδρας ἐντίμους, ἀλλ' οἱ ἄνδρες τοὺς τόπους ἐπιδεικνύουσι.

Immo vero *ἀποδεικνύουσι faciunt, reddunt.*

208 E *προστάττοντος δέ τινος αὐτῷ ἰατροῦ περιεργοτέραν θεραπείαν [καὶ οὐχ ἁπλῆν] „νὴ τὼ θεώ" φησίν „οὐ πάντως μοι πρόκειται ζῆν" [οὐδὲ πάντα ἀποδέχομαι].*

Suum sibi magistellum magistellus nactus est!

209 D *Μεγαβάτου δὲ τοῦ Σπιθριδάτου παιδός, ὃς ἦν κάλλιστος τὴν μορφήν, προσελθόντος αὐτῷ ὡς ἀσπασομένου καὶ φιλήσοντος .... ἐξέκλινεν.*

Solito in Plutarchi codicibus vitio vicinus genitivus *προσελθόντος* dativos *ἀσπασομένῳ καὶ φιλήσοντι* corrupit. Sequuntur haec:

ὡς δὲ ἐπαύσατο ἐκεῖνος προσιών, ἐπεζήτησεν αὐτὸν ὁ Ἀγησίλαος· τῶν δὲ φίλων φαμένων ὡς αὐτὸς εἴη αἴτιος, τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ φιλήματος ἐλθεῖν, καί, εἰ μὴ ἀποδειλιάσει, ἥξειν ἐκεῖνον κτἑ.

Locum mutilum sic supplet B: *τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ φίλημα, τοῦ μὴ ἐντὸς φιλήματος ἐλθεῖν.* Aliquanto melius, ut opinor, W.: *τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ φίλημα· καὶ νῦν ἔτι ἐντὸς φιλήματος, εἰ μὴ αὐτὸς ἀποδειλιάσει, ἥξειν ἐκεῖνον.*

212 D Lysandri orationem seditiosam, post mortem eius inventam, Agesilaus in lucem edere volebat ut scirent omnes quam malus ille fuisset civis:

ἐπεὶ δέ τις τῶν γερόντων τὸν λόγον ἐπελθὼν καὶ φοβηθεὶς τὴν δεινότητα συνεβούλευε μὴ τὸν Λύσανδρον ἀνορύττειν, ἀλλὰ τὸν λόγον μᾶλλον αὐτῷ συγκατορύττειν morem ei gessit.

Nihili est *ἐπελθών*. Lege *διελθών*: oculis orationem *percucurrit* ille senator.

213 B Turpis erat pax Antalcidae, tradidit enim regi

τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἕλληνας, ὑπὲρ ὧν ἐπολέμησεν Ἀγησίλαος .... ὅθεν δὴ κάκιστα συνέβη τῆς κακοδοξίας ταύτης Ἀγησιλάῳ μετασχεῖν.

Iannotii coniecturam *ἥκιστα* (pro absurdo *κάκιστα*) recepit B. Sed nihil ea proficimus. Legendum *μάλιστα*. Maxima pars turpitudinis in Agesilaum redundavit: privabatur enim praecipua sua gloria, quam ei bellum afferebat.

213 D *Καλλίου τοῦ Λ α κ ε δ α ι μ ο ν ί ο υ.*

En praeclarum historicum!

214 F Dolus, quo in re divina facienda Agesilaus ut sociis anxiis animum adderet usus est, sic narratur:

ἐπὶ τὴν ἀριστερὰν ὑπεστρωμένῃ τῇ χειρὶ νίκην προσέγραψε.

Praeclare W. emendavit *ὑπεστραμμένην νίκην*: manui inscripsit vocabulum *νίκην* sinistrorsum conversum. Quid deinde factum sit cum imponeretur iecur sponte apparet.

216 B Quantis fuerint obnoxiae periculis huiuscemodi syllogae egregie docet hic locus. Relatum est lepidum illud notumque dictum quo Agis refutavit antiquarium lamentantem *τἄνω κάτω γέγονεν*. Respondit enim: „ergo omnia nunc recte habent, istud enim pater meus puero mihi dicere solebat". Sed addidit stolidissimus quidam homuncio: *ἔφη δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτῷ παιδὶ ὄντι τοῦτ' εἰρηκέναι· ὥστ' οὐ χρὴ θαυμάζειν εἰ χείρω τὰ μετὰ ταῦτα τῶν προτέρων, ἀλλ' εἴ που βελτίω καὶ παραπλήσια γένοιτο,* quae nihil intelligentis sunt. Quis iam praefracte neget et hanc et alias collectiones tamquam ex primario fonte ex aliqua ab ipso Plutarcho composito fluxisse opusculo? Cf. 216 E ubi Acrotatus, adolescens vere Spartanus, verbosus fit sophista.

217 D Antalcidas in Samothrace a sacerdote rogatus *τί δεινότερον δέδρακεν ἐν τῷ βίῳ* respondit: „non tibi sed diis hoc dicam". Cf. 229 D ubi simile aliquid de Lysandro narratur. Sed nostro loco verba *εἴσονται αὐτοὶ οἱ θεοί* sic verterim potius: „verisimile est deos id novisse (ut tibi dicere opus non sit"). Et pro *δεινότερον superlativus* legendus videtur.

218 A Hic deprehendis *doctum* compilatorem disputantem utrum sapiens quoddam dictum (quod ille *χρείαν* appellat) Socratis sit an Aristonis Spartani.

218 D Corinthum, quam oppugnabat, capi posse intellexit cum *εἶδεν ἐκ τοῦ περὶ τὸ τεῖχος τόπου λαγωοὺς ἀναστάντας.*

Ecquid *ἔκ του*?

218 F Archidamus iunior cum suaderet quidam ut procul a patria committeret proelium

οὐ τοῦτο, ἔφη ὁρᾶν δεῖ, ἀλλ' οἱ μαχούμενοι κρείσσονες τῶν πολεμίων ἐσόμεθα.

Pro *οἱ* B. *οἵ*. Lege *εἰ*.

219 D Brasidas ad bellum profectus ephoris scripsit:

ἅσσα δηλῶμαι πράξω κατὰ πόλεμον ἢ τεθναξοῦμαι.

Pro *δηλῶμαι* exspecto aliquid quod „iussus ero" significet. An *ἅσσα δὴ λῶ* scripsit Brasidas? Hoc sensu: quidquid consilii cepero perficiam nisi in proelio cecidero.

220 F In qua barbarie natum censeas hominem qui *ποδαπός* pro *ποῖος* scripserit?

222 E *τοῦ δὲ Κύρου τὸν μισθὸν προπέμψαντος τοῖς στρατιώταις καὶ ξένια αὐτῷ, μόνον ἔλαβε τὸν μισθὸν τὰ δὲ ξένια ἀντέπεμψε* (Callicratidas)

Estne *ἀντέπεμψε remisit*, an *ἀπέπεμψε* legendum?

223 F Cleomenes, sophista dicente de virtute, *πλεῖω ἐγέλασε.* Quid sibi velit istud *πλεῖω* nescio; an *τοῦ εἰωθότος* excidit?

233 A *ἐπεὶ δέ τις τὰς ἀμυγδαλᾶς τῶν σκληρῶν ἑώρα διπλασίου πωλουμένας, „μὴ σπάνιοι" ἔφη „οἱ λίθοι;"*

Immo *τῶν ἀμυγδαλῶν τὰς σκληράς* et sic vertit X.

234 D *Σπαρτιάτης ἐρωτηθεὶς εἰ ἀσφαλὴς ἡ εἰς Σπάρτην ὁδὸς εἶπεν· ὁποῖος καθίσῃς.*

Responsum istud varie tentatum sic in integrum restituatur: *ὁποῖός κα ἵῃς*: „prout ipse es qui eo iter facis". Sic demum recte illustrandi causa additur: *οἱ μὲν γὰρ λέοντες βαδίζοντι ὅπα κα λέωντι, τὼς δὲ λαχὼς ἐπὶ τᾷ σκηνᾷ θηρεύομες.*

INSTITUTA LACONICA.

Lepide sane et prudenter Wyttenbachius:

„De hoc libro item censeo ut de antecedente; ut eum nec germanum nec spurium pronunciare firmiter audeam. Nam materia quidem est Plutarchea, collecta maximam partem ex Vita Lycurgi: idque vel ab ipso Plutarcho vel postea ab alio homine; neque enim rationem video quominus vel alterutrum vel etiam utrumque fieri potuerit".

Haud tamen facile mihi persuadebitur Plutarchum e Vitis suis excerpta fecisse: dudum ea fecerat priusquam vel Vitas vel Moralia scribere inciperet; atque ad ea *aliquo modo* referenda esse et haec *Instituta Laconica* et varia illa *Apophthegmata* quis praefracte neget?

Multo vero minus mihi probatur id quod paulo post idem disputat: „illud fortasse haud leve sit auctoritatis indicium, quod in fine p. 239 E et seq. Lacedaemonii propter spreta ac deserta maiorum instituta reprehenduntur, eosque hoc nomine per quandam scriptionem a se reprehensos esse ipse profitetur Plutarchus in vita Lysandri (c. 17 fin.): *περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ δι' ἑτέρας που γραφῆς ἡψάμεθα Λακεδαιμονίων*". (Interiectis paucis paginis eadem recurrit disputatio ad 239 E).

Nam in hocce libello tota illa reprehensio una absolvitur pagina, at loco in vita Lysandri, si quid video, *integer* de eo argumento significatur liber.

Quid quod ipse se Wyttenbachius refutat ad 240 B docte sic disputans: „hic et sequens totus locus, nescio quomodo, alienus a Plutarchi auctoritate ac supposititius videtur. Nam ipse alibi Plutarchus ita loquitur quasi sua adhuc aetate viguerint instituta Lacedaemoniorum e. q. s.".

An forte caput 42 W. abiicere, cetera *ipsi Plutarcho* vult vindicare? Cui istud probabitur? Noster haud dubie hac in re Xenophontis Cyropaediam cum suo epilogo est secutus.

Quod autem dicit W.: „statum Graecorum sub Romanis δουλείαν dicere nec cum Plutarchi prudentia nec cum veritate satis congruit" id partim falsum est, partim verum. Non enim *Romanorum* imperium δουλείαν appellat, sed eo vocabulo respicit id quod modo dixit ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν, atque istis εἰς δουλείαν μετέστησαν hanc libelli adiicit clausulam: καὶ νῦν (i. e. aliquanto post istam δουλείαν atque τυραννίδα) ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο. Sed recte iudicat W. vel sic quae de Romano imperio hic legantur parum congruere cum aliis Plutarchi locis (praesertim in *praeceptis Reipublicae gerendae*), ubi felices praedicantur Graeci quibus *liceat* parere Romanis. Hoc vero verissimum: „oratio durior et praefractior videtur quam pro Plutarchi ratione et modestia".

Denique: et hunc libellum aliquanto post Plutarchum ex eius libris excerpsit magister aliquis. Sed et ipse Plutarchus haud dubie in suum discipulorumque usum sedulo eiusmodi syllogas composuit; diu post mortem eius in manibus eae erant docentium discentiumque, quorum illi eas in suos receperunt libellos. Quod quomodo fecerint iam diiudicari nequit. Hoc unum intelligimus: sic factum esse ut genuinae Plutarchi syllogae perirent.

Ad huiusce libelli orationem quod attinet, omnino parum distat a Plutarchea; barbariem redolet quod bis (240 A et B) μεταξύ ponitur pro ἔπειτα, et alia quaedam vocabula serioris aetatis videntur. Quae sedulo colligere quid attinet? Vel sic intelligimus libros per multa saecula magistrorum puerorumque tritos manibus varias contraxisse maculas.

De singulis locis haec observo:

235 E δοκιμαζομένου μάλιστα παρ' αὐτοῖς τοῦ μέλανος λεγομένου ζωμοῦ, ὥστε μὴ κρεαδίου δεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους, παραχωρεῖν δὲ τοὺς νεανίσκους.

Solitum in Plutarchi textu vitium recte sustulit Turnebus τοῖς νεανίσκοις legendo.

238 D τῶν δὲ ταφῶν ἀνεῖλε (Lycurgus) τὴν δεισιδαιμονίαν .... πλησίον ἔχειν τὰ μνημεῖα τῶν ἱερῶν συγχωρήσας.

Mirum consilium! Fraudi fuit magistello vox *ἠρίον* in *ἱερόν* corruptum. Auctor eius scripserat *πλησίον ἔχειν τὰ ἠρία σ.* Licebat cuique civium suum sibi sepulcrum habere prope aedes suas.

Eodem modo iudico de libello c. t.

LACAENARUM APOPHTHEGMATA.

240 F Gyrtiadis dictum *οὐ δεῖν τοὺς ἀγαθοὺς βοᾶν ἀλλ' ἰατρεύεσθαι* non intelligo. Corruptum videtur ultimum vocabulum.

241 A *ἄλλη ἀκούσασα τὸν υἱὸν ἐν παρατάξει πεσόντα ἔφη· „δειλοὶ κλαιέσθωσαν· ἐγὼ δέ σε, τέκνον ἄδακρυς καὶ ἱλαρὰ θάπτω τὸν καὶ ἐμὸν καὶ Λακεδαιμόνιον".*

Expunctis verbis *καὶ ἱλαρά* sat bellum restat distichon; novicia forma *κλαιέσθωσαν* antiquum vocabulum sua expulit sede.

241 D *Χίων φυγάδες ἐλθόντες εἰς Σπάρτην πολλὰ Παιδαρήτου κατηγόρουν· μεταπεμψαμένη δὲ αὐτὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ Τελευτία κτέ.*

Immo vero *αὐτούς*. In classe remanebat Paedaretus eique *scripsit* mater se turpia de eo ex legatis audivisse.

MULIERUM VIRTUTES.

Hinc intellegitur quales fere fuerint *συναγωγαί* illae quas se, quamdiu mentibus hominum curandis dederit operam, sedulo parasse Plutarchus aut diserte testatur aut tacitus significat. Nam licet *librum* hunc de mulierum virtutibus unius de suo grege mulieris causa composuerit, materiem diu in promptu habebat, sive iam ante praeclara mulierum facta collegerat sive ea nunc ex ampliore excerpsit volumine virtutis fortitudinisque exempla complexo. Hoc ergo primum liber hic habet cur inter Plutarchi scripta insignem obtineat locum. Alterum ad totam antiquitatem pertinet. Christianorum de virtute opinionem (sive, ut docto utar vocabulo, *philosophiam moralem*) magnopere discrepare ab ea quam gentilium magistri tradere sint soliti, sciunt omnes et quaevis fere pagina Latine Graeceve scripta docere potest. Sed nescio an nusquam magis illud quam hic appareat. Certe equidem non memini me usquam legere hanc doctrinam tam aperte (et paene dixerim tam impudenter) propositam:

„bonum et laudabile sit id quo tendis, qua via eo pervenias parum refert''. Etenim dummodo patria liberetur, tyrannus occidatur, hostes vincantur, omni fraudis, fallaciae, crudelitatis genere uti licere haud pauca exempla hic a Plutarcho collecta docent clamantque. Nolo tamen eam rem bono meo pastori vitio vertere: bona fide quod ipsi erat persuasum gregi suo tradidit, cuius commodis prospicere ex animi sententia cupiebat. Ergo ne ob eam quidem causam eum reprehendo quod de „suicidio'' (sic enim loquimur vocabulo parum Latino) tam diversa a nostra religione docuerit. Damnat illud fides Christiana et tam severe quidem olim damnavit ut siquis vivus rogo traditus de industria fumum ore excepisset ut intercluso spiritu suffocaretur potius quam flammis cum diro cruciatu absumeretur, omnem martyrii amitteret gloriam [1]). Plutarchus de eo idem semper statuit quod Stoici, quorum dictum illud: „propinquus est portus, huc dirige naviculam tuam quassatam'' ei in deliciis fuisse videtur, sed hic tamen sententiam suam planius quam usquam alibi profert. Cum summo enim contemptu (p. 263 B) loquitur de tyranno illo qui ad incitas redactus *ἔπαθεν ὅμοια πολλοῖς τῶν κακῶν καὶ ἀνοήτων· τὸν μὲν γὰρ θάνατον ἐφοβεῖτο, τῷ βίῳ δ' ἤχθετο· βουλόμενος δὲ μὴ ζῆν, προέσθαι δὲ τὸ ζῆν μὴ δυνάμενος* (leni se tabescere morte passus est). Conferri possunt quae de morte Ciceronis Plutarchus dicit.

Ad proprium huius libri redeo consilium. Docere vult Plutarchus *μίαν εἶναι καὶ τὴν αὐτὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἀρετήν*, sed nusquam manifestius eum deprehendimus in illo vitio, quod neque omnino turpe mihi videtur et in mentium certe medico aequo animo ferendum puto: prae ea re quam consectatur, hominum salutem et prosperitatem dico, nihili facit omnem *ἀκρίβειαν* atque ipsam artem „logicam''. Recipit enim in hunc librum exemplum Stratonices quae, cum se sterilem esse intellexisset, ipsa ad maritum Deiotarum pellicem adduxit e qua successorem sibi procrearet prolemque ex ea natam materno amore est complexa. Eant viri et hoc exemplum imitentur!

Et scripsit librum Cleae, quam olim disputatione philosophica

---

1) Hoc me Naberus docuit literis illis de quibus narravi in praefatione libri c. t. „de Avondzon'' iterum editi.

consolatus est maerentem ob Leontidis mortem (sororem eam fuisse Cleae, licet non dicat Plutarchus, sponte intelligimus). Est eadem illa Clea, cui postea librum *de Iside et Osiride* misit. Postea, aio, nam tunc erat matura iam mulier, non solum initiata sacris Osiriacis sed etiam *regina* [1]) Thyiadum Delphicarum. Et perdoctam eam esse oportuit quae spissum illud volumen perlegere potuerit, quod nunc praeter doctos Aegyptologos vix ullum sit inventurum lectorem. At quo tempore nostrum accepit libellum vera erat mulier, venustatis et elegantiae amantissima. Lege mihi praefationem illam lepidissimam humanissimamque: concedes te numquam quidquam vidisse aptius ad animos mulierum virginumque captandos. Hinc illud quoque natum opinor quod tam limpido elegantique sermone liber scriptus est, fere nusquam haeres et si inspicis annotationem editoris criticam vix unquam haesisse alios, vix quidquam turbasse librarios videbis.

Denique licet Cleae nomen in fronte gerat, ab omnibus, quotquot erant in orbe terrarum viri mulieresque cultiores, legi librum suum voluit Plutarchus, a Romanis praesertim: ideo ex historia Romana tam multa sunt petita exempla.

De singulis locis haec annoto: cur tam pauca iam norunt qui meam de toto libro legerunt disputatiunculam.

243 F Censebant Troianae *εὖ τε καὶ καλῶς πράττουσιν ἀνθρώποις* longis navigationibus praestare sedem certam. Iusto verecundius editor emendationem suam *κακῶς* in calce paginae posuit: in textum oportuit receptam, item ut Dinsii illam p. 244 C *τοὺς Φωκεῖς αὐτοὺς μὲν .... τὰς δὲ γυναῖκας* pro *μὲν αὐτούς*, et p. 245 B *συναγανακτούντων καὶ συμπαροξυνόντων* pro *συμπαρόντων*. Haec quoque editoris Graeci aptissima medicina. Idem rectissime 247 F *αὑτούς* pro *αὐτούς* coniecit.

249 D Milesiae, ne nudae efferrentur, suspendio finire vitam desierunt. De ea re sic disputat philosophus:

μέγα δὴ τεκμήριον εὐφυΐας καὶ ἀρετῆς ἡ τῆς ἀδοξίας εὐλάβεια, καὶ τὸ πρὸς τὰ δεινότατα τῶν ὄντων, θάνατον καὶ πόνον, ἀδεῶς

---

1) p. 364 E codices habent *ἀρχικλὰ μὲν οὖσαν ἐν Δελφοῖς τῶν Θυιάδων*. Pro primo vocabulo Naberus legere vult *ἀρχιβασίλειαν*, sed, ni fallor, *ἀρχιβασιλέα* eam dicere licet, quae vox lectioni traditae est quam simillima.

ἐχούσας, αἰσχροῦ φαντασίαν μὴ ὑπομεῖναι μηδ' ἐνεγκεῖν αἰσχύνης μετὰ θάνατον ἐσομένης.

Non cohaerent haec, sed exime istud plane inutile *αἰσχροῦ*, sententiolam habebis lepidissime tornatam.

In textum receptas oportuit has emendationes: 251 D *ἐπεφαίνοντο* pro *ἐπεφέροντο* (Cobeti), 253 C *αὐτῇ* pro *αὐτῷ* (Dinsii), *ταὐτά* pro *ταῦτα*, deleto *ὅμοια* (Cobeti), 253 E *αὐτῆς* pro *αὐτήν* (editoris), 254 A *ἤρετο* pro *ἐνενόει* (Cobeti), 254 C [*ἔχων καὶ*] *πεπιστευμένος ἔρυμα* (Cobeti), 254 E *καὶ θεασαμένη* (insertum ab editore), 255 C *ἐξεκάλεσαν* pro *ἐξεκαλέσαντο* (Cobeti), 255 D *κατέλαβον* pro *κατελάβοντο* (editoris), 258 E [*ἀμαθὴς καὶ*] *ἀκρατής* (Cobeti), 261 F *κομᾶν* pro *κόμαις* (M.).

258 C Cognito venenum se bibisse tyrannus *ἐπέβη μὲν ὀχήματος ὡς σάλῳ καὶ τιναγμῷ χρησόμενος, ἐξέστη δὲ παραχρῆμα καὶ μεταβὰς εἰς φορεῖον ἑσπέρας ἀπέθανε.*

De voce *ἐξέστη* dubito; non enim eam significare posse credo: *reliquit* (vehiculum) quod dat interpres.

259 C Carnifex cum vidisset adolescentem sibi traditum pretiosa indutum veste:

ἀποδύων ἀ τ ρ έ μ α τὸν νεανίσκον κτἑ.

Vehementer gavisus sum ex ann. crit. cognoscens hic *ἠρέμα* a Cobeto propositum. Ipse enim identidem aliis locis eandem suasi emendationem.

259 F Alexander Thrax crudelis in urbe sua opera expugnata Timocleam sibi nubere iussit

ἀλλὰ καὶ χρυσὸν ἐζήτει καὶ ἄργυρον, εἴ τις εἴη κεκρυμμένος ὑπ' αὐτῆς, τὰ μὲν ὡς ἀπολῶν τὰ δὲ ὡς ἕξων διὰ παντὸς ἐν τάξει γυναικός.

Si *ἀπολῶν* esse potest „dissipaturus", recte editor eam lectionem recepit (sensu cassa est altera *ἀπειλῶν*).

260 B Duxit ergo eum Timoclea ad puteum aqua carentem, in quo latere thesaurum a se defossum finxit. Laetus accurrit barbarus, descendit:

στυγερὰ δ' ἡγεῖτο Κλωθὼ τιμωρὸς ὑ π ὸ τῆς Τιμοκλείας ἐφεστώσης ἄνωθεν.

Immo vero *ὑπέρ*.

261 C *χαλεπαίνοντος δ' ἐκείνου* (Amasis ille est) *καὶ διανοουμένου πολεμεῖν τοῖς Κυρηναίοις, συνέβη τὴν μητέρα τελευτῆσαι καὶ ταφὰς αὐτῆς ἐπιτελοῦντος, ἀναγγέλλοντας ἐλθεῖν παρὰ τοῦ Ἀμάσιδος.* Pro *παρά* B. legere vult *τὰ παρά*. Melius totam vocem delebimus. Part. enim *ἀναγγέλλοντας* pertinet ad eos qui Amasidem Cyrenem arcessunt. Iunge ergo *ἐπιτελοῦντος τοῦ Ἀμάσιδος*.

CAPUT VII.

Αἴτια Ῥωμαϊκά
Αἴτια Ἑλληνικά
Συναγωγὴ ἱστοριῶν παραλλήλων Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν.

Una hi libri considerandi sunt non quod deinceps legantur in editionibus sed ut appareat quid distent aera lupinis. Et de duorum priorum titulo primum videamus. Ineptissime is in codicibus a verbis κεφαλαίων καταγραφή incipit, quem non libri sed *indicis* titulum esse iam perspexit Wyttenbachius. Ista ergo

Κεφαλαίων καταγραφή
Ῥωμαϊκά

et

Κεφαλαίων καταγραφή
Ἑλληνικά

reddamus librariis et ipsum Plutarchum sequamur. Nam quae apud illum etiamnunc est diversitas, ea, ut opinor, nullo negotio tollitur. Quae enim vulgo *Quaestiones Romanae* dicuntur, ad eas bis *Vitarum* suarum lectores relegat; Rom. c. 15 ubi omnes codices ἐν τοῖς Αἰτίοις exhibent, et Cam. 19 ubi legi solet ἐν τῷ περὶ Αἰτιῶν Ῥωμαϊκῶν. Equidem quin illud τοῖς Αἰτίοις, neutrius generis, unice verum sit non dubito; nolim ergo cum Coraë ἐν ταῖς Αἰτίαις legere, sed altero loco, accentu tantummodo mutato ἐν τῷ περὶ Αἰτίων Ῥωμαϊκῶν reponam, quae certe

est lenissima emendatio. Et videtur eiusmodi librorum Αἴτια legitimum quodammodo esse nomen, quod quid sibi velit ipsae hae *Quaestiones Romanae* luculenter docent. De his enim primum separatim agendum videtur.

In *Vitis*, non saepe quidem sed tamen bis, *Quaestiones Romanae* citantur. Ergo si, id quod veri simillimum est, usque ad certum quoddam aetatis suae tempus Plutarchus disputationes illas scripsit, quas communi *Moralium* nomine appellare solemus, deinde se ad *Vitas* scribendas contulit — eas autem sat brevi tempore ab eo esse perfectas luce clarius apparet [1]) — *Moralia* ante *Vitas* composuit. Quod ita esse quidni lubenter credamus? Quid Vitis illis, quod quidem ad scribendi artem pertinet, perfectius? Egregium hic cernimus artificem qui quae olim sermone incompto plerumque *docuit*, nunc in praeclaris *spectanda* exhibet tabulis. Sed haec hactenus; nam quod quae de *furcifero* leguntur Q. R. 280 E etiam traduntur Coriol. 24, nullum duo hi loci praebent indicium unde uter prius scriptus sit appareat.

Tamen hic quoque libellus, ut plerique eorum qui Moralium comprehenduntur voluminibus, a *seniore* iam Plutarcho scriptus est editusque. Aliquot iam annos post Domitiani mortem praeteriisse diserte, si quid video, hic testatur locus (276 E):

οὐδ' ἀποπέμψασθαι (τὴν γυναῖκα) πρότερον ἐξῆν (sc. flamini Diali), οὐδὲ νῦν ὡς ἔοικεν ἔξεστιν, ἀλλ' ἐφ' ἡμῶν ἐπέτρεψεν ἐντευχθεὶς Δομετιανός.

i. e. memini hoc semel flamini petenti permisisse *priorem imperatorem* Domitianum, nunc quo modo ea res se habeat, *qui diu Romae non fuerim*, pro certo affirmare non possum.

Et scriptus est Chaeronensium ceterorumque *Graecorum* causa:

267 D διὸ καὶ παρ' ἡμῖν ἐν Χαιρωνείᾳ πρὸ τοῦ σηκοῦ τῆς Λευκοθέας ὁ νεωκόρος λαβὼν μάστιγα κηρύσσει „μὴ δοῦλον εἰσιέναι μὴ δούλαν".

271 D καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν ἐν Βοιωτίᾳ κάουσι πρὸ τῆς θύρας τὸν ἄξονα τῆς ἁμάξης (currus quo vecta est sponsa ad mariti aedes), ἐμφαίνοντες δεῖν τὴν νύμφην ἐμμένειν ὡς ἀνῃρημένου τοῦ ἀπάξοντος.

Parum, ut opinor, Romani curarunt Boeoticarum nuptiarum ceremonias, nedum Chaeronensium curarint formulas in recondita

1) Sed quamvis sit luce clarius, sub finem huiusce capituli demonstrare conabor etiam.

quadam rei sacrae parte adhiberi solitas. Consentaneum ergo est de Romanis tamquam de hominibus hic agi qui a scriptore lecturisque longe sint remoti:

266 A διὰ τί παρὰ γαμβροῦ καὶ παρὰ πενθεροῦ λαβεῖν ἐκείνοις κεκώλυται δῶρον;

276 F ὅ λέγουσιν ἔνιοι Ῥωμαίων.

Neque mirum insignia dare scriptorem documenta ... quam sit Romanorum *sermonis* imperitus. Saepe in iis quae de illo tradit ridicule erravit, nescio tamen an in nullo libro saepius apertiusque quam in hisce *Romanis* quaestionibus. Notum est et decantatum illud „σίνε πάτρις" οἷον ἄνευ πατρός, neque multo praestat quod legitur 280 A: τὸ δὲ δεσμεύειν „ἀλλιγᾶρε" λέγουσιν οἱ πολλοὶ Ῥωμαίων, οἱ δὲ καθαρεύοντες ἐν τῷ διαλέγεσθαι „λιγᾶρε". Quam suaviter risissent Cicero Varroque si quem audivissent docentem elegantius *ligare* quam *alligare* dici! Gravior tamen error quod (269 D) „κηλᾶρε" τὸ λανθάνειν dicitur. Hoc vero gravissimum quod nobis p. 281 D E F exhibetur, quodque tamen nusquam, ubi de Plutarchi studiis Latinis ageretur, me legere memini. Totum percurramus locum. Hanc quaestionem proponit:

διὰ τί μικρᾶς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο Σέρβιος Τούλλιος ὁ βασιλεὺς ἣν „βρέβεμ" καλοῦσι;

At, o bone, μικρὰ Τύχη Latine non *brevis* sed *parva* Fortuna diceretur. Hinc illae lacrimae quae iam sequuntur. Sic enim fere disputat philosophus ut doceat Servium Tullium, cum intellexisset in *omnibus* rebus magnam esse Fortunae vim, multas excogitasse Fortunas, quas variis, iisque nonnumquam satis iocosis, ornavit nominibus. Tum sic disputationem illam claudit:

ὅρα δὴ μὴ καταμαθὼν τὸ παρὰ μικρὸν ἀεὶ τῆς Τύχης μέγα δυνάμενον καὶ ὅτι τῷ γενέσθαι τι μικρὸν ἢ μὴ γενέσθαι τι πολλάκις ὑπῆρξεν ἐνίοις τυχεῖν ἢ διαμαρτεῖν τῶν μεγίστων, μικρᾶς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο, προσέχειν διδάσκων τοῖς πράγμασι καὶ μὴ καταφρονεῖν διὰ μικρότητα τῶν ἐντυγχανόντων.

Unde primum apertum vitium est tollendum: dele alterum istud τι ut verborum τῷ γενέσθαι ... τῶν μεγίστων haec sit sententia: „multis accidit ut maximas res aut obtinerent aut non obtinerent prout parva aliqua aut accidisset aut non accidisset."

Quod est verissimum, nemo tamen ideo ipsam *Τύχην* appellet *μικράν* quod *τοῖς μικροῖς* sit obnoxia, et ne sic quidem Latinum illud „brevem" explicet illustretve. Nostine de quo numine Romano aliquid fando audiverit Plutarchus, quod hic tam perverse tradat? De *Occasione*, ut opinor, de qua hunc habemus mythum Phaedrianum:

Cursu volucris, pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudus corpore,
Quem si occuparis, teneas, elapsum semel
Non ipse possit Iuppiter reprehendere,
Occasionem rerum significat brevem.

Cui invito poeta hoc est additum epimythium:

Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis

non minus obsurdum quam antiquus est titulus *Tempus*, pro quo dudum reposuerunt editores *Occasio depicta*. Sed in urbe, ubi Fortuna *virilis*, *muliebris*, quin etiam *viscata* colerentur, etiam inter Fortunas receptam esse Occasionem sed mutato nomine *Fortunam brevem* dictam quid mirum?

At sermonem Latinum parum curat Plutarchus. Quid quod ne ipsum quidem argumentum in quo nunc totus esse videtur, ei curae est. Omnis ei sordet doctrina et *ἀκρίβεια* doctorum prae re quam semper et ubique iure maximi fecit: mores hominum emendare studet; dummodo *meliores* fiant, doctiores eos fieri quid refert? Sic fit ut liber hic tam pauca praebeat, quae vitam Romanorum privatam publicamque illustrent, cuius tamen rei causa scriptum eum primo coniicias aspectu. Servavit nobis sat multa Plutarchus quae Fenestella, Nigidius Figulus, aliique, quorum scripta perierunt, antiquarii de Romanorum tradiderunt ritibus, ceremoniisque minus notis, sed quae ipse ad ea explicanda profert, ea vir doctus, qui „Antiquitatibus Romanis" dat operam, suo iure nullius esse pretii declaret. Quemadmodum enim Callimachus — ut uno exemplo totam illam poetarum Alexandrinorum describam *αἰτιολογίαν* — cum sibi hanc posuisset quaestionem: „quid sibi vult in templo Dianae, castissimae deae, malum illud quod Veneri sacrum esse solet?" non hoc egit ut e reconditis doctrinae latebris eius rei originem historiamque erueret, sed satis habuit narratiunculam de Acontio et

Cydippe comminisci, quae illum mali cultum lepide illustraret, sic noster mentium medicus postquam rogavit: „unde illud apud Romanos nomen natum est, cur illi in republica vel re sacra mirum hunc illumve morem sequuntur?”, aliaque ex eo genere, non tabularia publica, inscriptiones ceterosque historiae fontes perscrutatur, sed ipse secum solus deliberat possitne rem ita explicare ut utile aliquod inde praeceptum protrahat morale. Hoc illud est cur *Αἴτια* unice verum esse putem nostri libri titulum: multorum et olim et fortasse etiam tunc terebantur manibus *Αἴτια Καλλιμάχου*, his sua quodammodo opposuit *Αἴτια* Plutarchus, quorum ut diversum consilium ita cognatum et simile artificium.

Possum longam enumerare locorum seriem, Plutarchi unde consilium cognoscatur, sed tribus ero contentus exemplis, quae eodem spectant. Omnino quaecunque hoc libro tradit de Romanorum ritibus aliisque eiusdem generis rebus, in iis nihil est quod contemnat vel rideat vel vituperet, sed multa quae ei summa laude digna videantur et admiratione. Prae ceteris vero omnibus ei placuisse non sine causa suspicor Romanorum usu receptas leges quae capitibus 37, 39 et 75 tractantur.

Capite 37 quaeritur cur ex omnibus rebus, quae dis immortalibus sint dedicatae, sola tropaea non licuerit sarcire [1]), sed tempori ea delenda reliquerint Romani. Duo dantur responsa quorum philosopho nostro hoc magis placet: noluisse Romanos ab hominibus restitui ea inimicitiae documenta quae ipsa aetate consumantur. Mirum videtur eum hic non citare notissimum versum:

ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλασσε θνητὸς ὤν.

Capite 39 rogat cur solis militibus — non emeritis, lixis, calonibus — licuerit hostem ferire. Hanc quoque duplici modo solvit quaestionem sed ita ut hanc ei solam veram videri *λύσιν* sentias: sola necessitas ius dat hominis interficiendi, quod qui sine illa facit caedem committit.

Capite 75 cur Romani ignem exstinguere soliti non sint

---

1) *μήτε προσκυνεῖν μήτ' ἐπισκευάζειν.* Illud *προσκυνεῖν* sibi *sanum* videri annotat Graecus editor. Scire pervelim quid ei insanum videatur. Incerta emendatio, sed requiri aliquid quod *τῷ ἐπισκευάζειν* aliquo modo sit cognatum quis non videt?

rogat et respondet: „aut quia iis nefas visum est quidquam sua privare vita aut ut ita assuescant homines rei, qua ipsi iam non utantur, facultatem praebere aliis". Utrum sibi verisimilius videatur non definit, ut opinor quia utroque modo aeque commendari *humanitatem* putat. Nam cum omnino omnes illas quaestiones ita solvit ut legentibus praeceptum aliquod morale tradat, tum praesertim eos sic ad *clementiam*, *mansuetudinem*, quaeque illis sunt cognatae virtutes, adducere studet.

Neque hic omittendum aliquid quod Graecis et praesertim Chaeronensibus suis ad vitam suam emendandam utilissimum philosopho nostro visum est.

Platoni quae causa visa sit cur Athenae interierint novimus omnes: „pro terrestri maritimum earum fecit imperium Themistocles, quique eum sunt secuti duces". Probe hanc novit sententiam Plutarchus, sed parum probat, quemadmodum haec eius docet disputatio (Them. 4): „corruperitne annon Themistocles veram reipublicae rationem, cum nautas pro militibus fecerit Athenienses, diiudicent homines me acutiores [1]); sed tunc Graeciae a mari venisse salutem ipse documentum dedit Xerxes, qui, licet salvae eius essent copiae terrestres, in fugam se dederit cum classem amississet." Gravior haec ei videtur causa (non tamen gravissima; ea enim in civitatum Graecarum quaerenda est perpetua discordia) quod Graeci palaestrae gymnasioque nimis indulserint. In ea re Romanis adstipulatur qui

τοῖς Ἕλλησιν οἴονται μηδὲν οὕτως αἴτιον δουλείας γεγονέναι καὶ μαλακίας ὡς τὰ γυμνάσια καὶ τὰς παλαίστρας (p. 274 D).

Vidit enim, et in aliis Graeciae civitatibus et in suo oppidulo, nulla re mores hominum corrumpi magis quam si semet ipsos tamquam equos exerceant ut quam robustissimi fiant velocissimique, et omnino si de corpore suo curando nimis sint solliciti. Hoc enim esse illud

propter vitam vivendi perdere causas.

Igitur suos Chaeronenses a vita illa palaestrica, quae praeterea et aliorum vitiorum, impudicitiae avaritiaeque, mater est, abducere, adducere ad Romanam militiam, militandi equitandique,

---

1) Traditum est: *ἔστω φιλοσοφώτερον ἐπισκοπεῖν*, sed legendum esse *φιλοσοφωτέρων* res ipsa clamat.

conatur. Sic totus ille Quaestionum Romanarum liber, quamvis sit egregius, praeter ea quae ex aliis sunt scriptoribus excerpta, nihil fere *docet* sed plerumque tantummodo

prudenti vitam consilio *monet*.

Quae de singulis locis observem pauca sunt. Admodum enim integer ad nos liber hic pervenit:

p. 272 C ὅπου γὰρ ἀναισχυντοῦσι γέροντες, ὥς Φησιν ὁ Πλάτων, ἐνταῦθ' ἀνάγκη καὶ νέους ἀναισχυντοτάτους εἶναι.

Quam lepide hic positivus et superlativus eiusdem adiectivi inter se opponerentur non vidit qui istud καί addidit: ubi senes sunt *impudentes* ibi iuvenes *impudentissimi*. Nam *praedicatum* esse ἀναισχυντοτάτους εἶναι, non simplex εἶναι cuius subiectum sit νέους ἀναισχυντοτάτους, sed νέους esse subiectum, docet verbum ἀναισχυντοῦσι in priori membro: ἀναισχυντότατον εἶναι est superlativus τοῦ ἀναισχυντεῖν.

280 E διὰ τί τοὺς ἀπεγνωσμένους ἐπὶ κλοπαῖς ἢ δουλικοῖς τισιν ἄλλοις ἁμαρτήμασι „Φουρκίφερας" καλοῦσιν.

Receptam oportuit certissimam Wyttenbachii emendationem κατεγνωσμένους. Ea enim fuisse opinor Romanos prudentia ut *condemnatos* ignominia afficerent, non absolutos, id est *insontes*.

284 E Qui dicat diei et noctis tum adesse initium cum centrum solis tangit horizontem, dicat aliquid quod falsum esse ipsi oculi testentur: συμβήσεται γάρ, ἔτι πολλοῦ Φωτὸς ὑπὲρ γῆν ὄντος καὶ τοῦ ἡλίου καταλάμποντος ἡμᾶς, μηδέπω ἡμέραν ὁμολογεῖν ἀλλ' ἔτι νύκτα εἶναι.

Prius illud ἔτι aut deleatur aut in ἤδη mutetur. Iam duplex illud ἔτι ingratum et ex omnibus apparet de diei *initio* hic agi.

285 B Multis enumeratis causis cur Romani uxores mense Maio ducere soliti non sint, sic disputationem suam *claudit* philosophus: οὐ γαμοῦσιν οὖν ἐν τῷ Μαΐῳ.

Claudit aio, ergo legatur οὐ γαμοῦσι δ' οὖν ε. τ. Μ.: quocunque modo ea res se habet, mense Maio uxores non ducunt.

287 E Videtur huius libri librarius quid interesset inter γιγνώσκειν, καταγιγνώσκειν, ἀπογιγνώσκειν et ψηΦίζεσθαι, ἀποψη-

ζεσθαι parum intellexisse. Postquam enim auguri ideo abrogare sacerdotium fas non fuisse dictum est quod auguratus non honor esset sed ars, sic nunc pergitur:

ὅμοιον οὖν τῷ τὸν μουσικὸν ἀποψηφίσασθαι μουσικὸν μὴ εἶναι καὶ τὸν ἰατρὸν ἰατρῶν τὸ κωλύειν μάντιν εἶναι τὸν μάντιν.

Legatur ψηφίσασθαι, non enim *absolvendi* sed *decernendi* verbo opus hic est.

Egregius hic est *Quaestionum Romanarum* liber, egregius et plane Plutarcheus: quaecunque enim in eo λύσεις proponuntur eae omnes *moribus* aequalium emendandis inserviunt. Quanto ab eo discrepat ille cui *Graecarum* est nomen quaestionum! Multo etiam magis nobis Alexandrinorum in mentem vocat poesin aetiologicam: totus ex illa profectus schola videtur; res continet quam maxime reconditas ex ignotis collectas poetis. Quid sibi eo conflando proposuerit scriptor exputare, immo vero fingere, vix possum. An artem poeticam *docentium* causa est compositus, quemadmodum multo antea Cornelii Galli causa Parthenius sua collegit παθήματα ἐρωτικά, excerpta e poetis, unde elegias Romanas faceret discipulus? Sed Plutarchi esse illa αἴτια Ἑλληνικά vehementer dubito et dubitasse etiam videtur Wyttenbachius. Nihil hic invenitur quo ulla alatur sustenteturve *virtus*, nisi illud *fortasse* quod p. 303 D legitur: ad nomen τὴν Δεξικρέοντος Ἀφροδίτην explicandum et alias fingit scriptor — atque adeo e poetis suis refert — narratiunculas et hanc: „Dexicreon mercator Cyprum navigaturus, cum navem suam oneraret, a Venere iussus (in somnio, ut opinor) nihil praeter aquam secum ferre, paruit et aqua totam implevit navem; deficientibus autem ventis tam diu in tranquillo mari detinebatur illa ut omnes qui ea vehebantur siti laborare inciperent; tum Dexicreon sua aqua ingentem fecit quaestum, unde deae simulacrum faciendum curavit, eamque de suo appellavit nomine." Adiicitque hanc disputationem: „hoc si verum est, apparet deam non unum hominem locupletare voluisse, sed multos per unum servare". Sic aut admonentur legentes ut fidem habere somniis prodigiisque ne dedignentur, aut falsa liberantur opinione divitias a diis tamquam magnum aliquod bonum dari piis hominibus. Sed praeterea totus liber mera est doctrinae ostentatio, eiusque quam

maxime abstrusae reconditaeque, Chaeronensi mentium medico prorsus indigna.

Duo tamen ex eo vitia eluere velim, utrumque ad versiculos pertinet citatos.

p. 295 E ex Aristotele citatur oraculum:

πῖν' οἶνον τρυγίαν, ἐπεὶ οὐκ 'Ανθηδόνα ναίεις
οὐδ' ἱερὰν 'Υπέραν, ὅθι γ' ἄτρυγον οἶνον ἔπινες.

Legatur *ὅθι κ' — ἔπινες* ut existat *sententia conditionalis*. Totum enim oraculum est huiusmodi: „contentus esto tuae patriae vino; bonum postulare vinum posses si Anthedone vel Hyperae habitares".

p. 299 B. Haec scilicet cantilena refertur qua mulieres Eleenses Bacchum invocare sint solitae: *ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε, 'Αλείων ἐς ναὸν ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσιν ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.* Sic restituantur versiculi:

ἔλθ' ἥρω Διόνυσε [1])
'Αλείων ἐπὶ ναὸν : ἐς ναόν
ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσι
τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.

Scholion versui secundo adscriptum post versum tertium in textum receptum praecipuas dedit turbas.

Hoc vero iam metuendum non est ne unquam quisquam existat tam traditorum tenax tamque ingenio, atque adeo ingenii infirmitate, conservator ut Plutarcho vindicet istam *συναγωγὴν ἱστοριῶν παραλλήλων 'Ελληνικῶν καὶ 'Ρωμαικῶν*, qua nunquam quidquam vidi ineptius absurdiusque, nisi forte illum „*De Fluviis*" librum. Difficile hercle est quo mentis morbo insani isti homunciones laboraverint describere; an utrumque idem conflavit? sic altero tanto credibilior tota res fieret.

Iam statim quid suis „Parallelis" voluerit latet. Scripturum se esse declarat de miraculis Romanis ut sic fidem addat Graecis: antiqua enim fieri credibilia magis si etiam postea simile aliquid accidisse demonstratum sit. Sed ita te verbis suis impedit ut vix te extrices. Incipit autem a quatuor hominibus, qui hoc inter se commune habuerunt quod ... omnes manum vel ma-

---

1) An: *ἐλθεῖν ὦ Διόνυσε*?

nus amiserunt. Tum ad finem libri usque semper de uno Graeco homine unoque Romano eandam rem iisdem fere narrat verbis. Atque pleraque omnia aut comminiscitur ipse aut ex aliquo poeta, quam tamen sibi stultitia similem invenire potuit, excerpit. Iam in ipso initio absurdissimum, ut mihi quidem videtur, omnium nobis exhibetur exemplum: legimus enim p. 305 D de Agesilao fratre Themistoclis qui eodem quo Mucius Scaevola facto inclaruit. An etiam absurdius quod paulo post (306 BC) legitur de Misthynio Amblireno qui se in *furculis Caudinis* alterum praebuerit Othryadem? Pro quo nomine, Romano scilicet, quod doctus criticus *Postumium Albinum* coniecit operam et acumen perdidisse videtur. Fere omnia enim quae hic legimus Romanorum nomina tam sunt absurda ut unde nata sint non dispicias.

Sed nihil insanius quam sermo quo nebulo iste utitur. Sic p. 313 E de muliere, quae caedem perpetravit ipsa, cum viris ut id facerent persuadere non posset, haec legimus: *αὐτὴ τῷ μύσει τὰς χεῖρας ἔχρισε*, p. 314 A pulchrum habes participium *καταλείψας* pro *καταλιπών*, statimque postea *βρόχῳ τὸ ζῆν ἀνήρτησε* hoc sensu: „suspendio vitam finivit".

Quod autem coniiciebam eundem et *Parallela* haec et *De Fluviis* scripsisse, omnino mihi incredibile videbatur tam insanos nasci potuisse duos homines etiam multorum saeculorum spatio; sed peculiare aliquid accedit: absurdum istud *ὁ προειρημένος* sensu pronominis, quod est *is*, quod toties nobis in libro *de Fluviis* offertur etiam hic deprehenditur. Paulo longiorem citabo locum, qui nobis ineptiarum praebet acervum (315 D):

ἐν Αἰγεστῇ τῇ πόλει τῆς Σικελίας ἐγένετό τις ὠμὸς τύραννος Αἰμίλιος Κενσωρῖνος. οὗτος τοὺς καινότερα βασανιστήρια κατασκευάσαντας ἐδωροδόκει. εἷς δέ τις Ἀρούντιος Πατέρκουλος δημιουργήσας ἵππον χαλκοῦν τῷ προειρημένῳ δῶρον ἔδωκεν.

Quis praeterea sic isto *προειρημένος* usus sit nescio.

Dicebam Vitarum *unum* esse opus eodem consilio susceptum et ad finem perductum ideoque mihi videri continua serie non ita longo temporis spatio peractum id huiuscemodi est. Saepe in hanc sententiam de *Vitis* suis Plutarchus loquitur (e. c. in praefatione *Timoleontis, Demetr.* c. 1, *Dion* c. 21) sed nusquam disertius quam in praefatione libri *de Theseo et Romulo*:

„Quemadmodum" ait „docti geographi quaecunque parum nota habent in tabularum suarum coniiciunt angulos adscribuntque: ultra deserta sunt plena beluarum, vel paludes infinitae, vel Scythicum frigus Oceanique gelu contracti, sic ego nunc, cum in *Vitis parallelis* scribendis ad ultimos pervenerim eius regionis fines, in qua doctrina certa firmiter insistat, de ceteris omnibus haec poteram affirmare: ultra iacet regio miraculorum fabularumque plena, poetae ibi pascuntur, sed nil certi invenias vel credibile. Sed quoniam de Lycurgo et Numa narraveram, haud absurdum mihi videbatur huic Romulum addere eique opponere Theseum".

Venustissima profecto ea est praefatio, sed omnis eius lepor perit nisi nobis ante oculos ponimus Vitarum opus unum in se teres atque rotundum et neque multis neque longis interiectis annorum spatiis perfectum.

CAPUT VIII.

DE FORTUNA ROMANORUM.

En librum, quem a *iuvene* Plutarcho scriptum esse inde a Wyttenbachio omnes statuunt viri docti et recte statuunt. Neque quo sit *consilio* scriptus ulla esse potest controversia. Hac enim *oratione* se philosophus noster commendavit omnibus, qui sibi liberisque suis praeceptorem quaerebant, a quo vitae recte instituendae discerent rationem, sed ante ceteros omnes *Romanis*. Vix enim cogitari quidquam potest aptius ad persuadendum illis auditoribus rem sibi esse cum viro simul et sapientissimo et disertissimo ... atque in sua historia versatissimo.

Fragmentum esse, cui ultima pars desit, statim vides. Quae quanta fuerit de ea re a communi virorum doctorum discrepo sententia. *Parvam* enim eam fuisse opinor. Fortunae oratio iam fere ad finem pervenit, quodque vulgo creditur, post eam surrexisse Virtutem, quae eadem verborum ubertate adversariam suam refelleret id mihi parum probatur. Si bene tornata aliqua „peroratione" Fortunae orationem clauserit, nomen suum solvisse Plutarchus videri possit. Qui enim in initio libri inducuntur bellatores strenui lacera sua membra monstrantes clamantesque:

„Fortunaene an Virtutis hoc opus est?" supervacuam reddunt Virtutis orationem amplam elaboratamque. An forte id agitur ut *philosophica* aliqua quaestio ab omni parte accurate consideretur tandemque docta solvatur definitione? Immo vero contentus erit orator si auditoribus persuaserit apte se tractare posse argumentum difficile. Et difficile esse argumentum: „imperii Romani effectrix Fortuna fuit" statim intelligunt omnes, cum vel obiter admoniti sunt Mucii Scaevolae, qui invicta *virtute* dirissimos pertulit cruciatus, Horatii Coclitis qui corpus suum opposuit ingruentibus hostium copiis, Marii praesertim robusti illius militis cui nihil tam *adversum* fuisse dixeris quam ipsam Fortunam.

De *oratore* hic loquor *auditoribusque*. Etenim mire errem nisi oratio haec sit, eaque Romae habita a Graeco, qui eo venerit ad suas merces ostentandas, id est ad demonstrandum quanta sua sit doctrina, quod in lepido excogitando „paradoxo" acumen, quae copia in defendenda sententia aliqua inaudita.

„Imperium illud Romanorum ingens non sapientia et virtute conditum, certe non illis solis, sed ante illas fortuna" nonne hoc qui primum audiat ad coelum manus tollat? Sed documenta dat idonea orator bene se paratum ad causam accedere: in promptu habet totam historiam Romanam eamque apte dispositam. Quodque identidem inde protrahit aliquid quod severam reformidet trutinam (velut illud est quod Aemilius Scaurus obscurissimo dicitur loco natus, quod victoriam incruentam reportasse Aemilius Paulus, quod una Carthaginiensium clade de Africa actum) talia sibi indulgere potest orator, qui semel benevolos sibi auditores reddiderit, cum praesertim eiusmodi mendaciuncula permagnam habeant persuadendi vim. Et *artem* se oratoriam plane callere quavis ostendit pagina: quotiescunque divagatur ad aliquam rem quae ipsi magnopere placeat quamque placituram audientibus expectet, si eam ad propositum argumentum parum pertinere sentit iam statim sententiola qualis haec est: „fortasse haud alienum fuerit de hac re fusius disputare" nimis morosum refutat iudicem. Longam dederit enumerationem, quam in praesentia requirat nemo (velut quoties quandoque Iani templum clausum fuerit), paucis eam absolvit verbis e quibus appareat necessariam eam fuisse. Nimis diu se

in aliquo substitisse loco intellexerit, „nequis me putet ...” ait et se convertit alio. Et ne unquam languescat auditor, in tempore eum lepido aliquo exhilarat flosculo. Annon lepidissime Romuli Remique lupam sic alii cuivis opponit beluae, suae naturae obtemperanti legibus: „magis quem aleret quam quo aleretur requirebat”? Nonne egregium hoc ἐνθύμημα: „publica Pompeium extulit fortuna, privata deiecit”? Cumque ad eum locum poetis rhetoribusque dilectissimum pervenit de Pompeio confugiente ad Aegypti regem illum summi beneficii crudelissime immemorem, paratam habet sententiolam et aptissimam argumento et ad admirationem omnium quibus quaesitissima quaeque maxime placeant excitandam quam maxime idoneam: „sic Pompeio moriendum fuit, sic cadendum ut non cruore eius manus suas commacularet Caesar”. Sed neque nimis longe petita ista sunt artificia, neque ita abundant ut in sophistarum declamationibus. His adnumerari minime noster velit sentitque adesse nunc periculum ne illud fiat. Ergo qua primum potest occasione utitur invehendi in λόγους, σοφίσματα, στωμυλίας (318 E), idque ita ut statim sentiant omnes quid ista velit acerbitas. Contra *doctum* se haberi gestit, doctrinaeque ostentat tantum quantum fert oratio etiam ad indoctos habita. Iam statim quam illa *doctum philosophum* decet Xenophontis imitatio, qua Fortunam in scenam producit (p. 317 E): τῆς δὲ Τύχης ὀξὺ μὲν τὸ κίνημα καὶ θρασὺ τὸ φρόνημα καὶ μεγάλαυχον ἡ ἐλπίς, φθάνουσα δὲ τὴν Ἀρετὴν ἐγγύς ἐστιν (cf. Xen. Men. II, 1, 23). Tum largam effundit rerum ex historia Romana petitarum copiam, sed ita ut numquam audienti legentive taedium moveat, auctoremque suum non solum illum nominat qui in deliciis est omnibus Romanis paulo cultioribus, Livium aio, sed etiam impense doctum illum Polybium, cuius illi soli evolvere solent paginas qui se totos historicis dederunt disquisitionibus. Profecto non propter quisquilias rhetoricas hic laudari cupit orator sed propter veram solidamque eloquentiam. Narrationibus suis nos detinet: illam iam tum, ut opinor, decantatam de anseribus Capitolium servantibus, nemo tam bene Romanis exhibuit quam Graecus hic. Sed prae ceteris splendent fulgentque sententiae graves illae magnificaeque quibus audientium animos amore implet patriae: potentia, libertas, imperium Romanorum hic

sermone celebrantur late sonante nec tamen nimis fucato. Quodque maiestatis Romanae splendidissimum hoc ipso tempore exstitit monumentum, Capitolium Domitiani, prae quo Lutatii Catuli illud vile erat sacellum [1]), hoc vero praestantissimum oratori praebet totius disputationis ornamentum; omnis enim laus Fortunae, cui tantum debet Roma, tandem in hanc exit perorationem: „nisi Fortuna adfuisset, nos nunc Capitolio careremus Romani imperii templo quam maxime venerando". Etenim cur libri nostri non ita multa desiderari credam et haec causa est, quod Capitolii laus sub finem demum suum sibi locum habet.

Quam quod praestantissimum disputationis ornamentum dixi, verba considerabam magnifica lateque sonnantia. Nam ad inventionem quod attinet, praefero etiam prooemium illud lepidissimum, quo haud facile quidquam venustius excogitatum invenias: „nunc antiquum illud Virtutis et Fortunae certamen ad exitum perducetur, certatur enim de Romae potentia. Nunc ergo finis imponetur vulgaribus de utraque sermonibus: instabilem aiunt esse Fortunam .... quid si illa aeterni illius imperii Romani effectrix exstitit? Et Virtutis praeclarum nomen sed exiguas vires: quid si illa Romam condidit terrarum orbis dominam". Quantum isto prooemio audito silentium fuisse putemus senatorum illorum, iurisconsultorum, oratorum, poetarum, philosophorum, qui convenerant ad Graecum illum audiendum, cui opulentus aliquis Imperatoris amicus suum praebuerat auditorium. Neque dubito quin ad finem usque orator eos detinuerit sententiolis suis acutis, ornamentis splendidis, narrationibus iucundis, enthymemasin lepide tornatis. Nemo, ut opinor, inde abiit quin domum reversus narraret: „en, invenimus cui liberos nostros educandos committamus, quem de rebus gravissimis consulamus, ad quem confugiamus dubii, anxii, afflicti". Et iam statim in initio operam dedit orator ut omnes scirent ubinam terrarum esset quaerendus cum Roma profectus esset. Illud „apud nos Chaeroneae" satis edocet audientes non vitae tabernacula Romae positurum oratorem sed simulatque satis ibi innotuerit rus suum repetiturum ubi tranquillus quietusque saluti hominum prospicere pergat scribendo docendoque.

---

1) Mart.: *et laudant Catuli vilia templa senes.*

Denique totus mihi hic liber in philosophi nostri vita tam insignem tenere locum visus est ut in libro vernacule scripto de Plutarchi vita scriptisque integram eius darem interpretationem [1]). Quam Graece nescientium causa scriptam etiam docti poterunt consulere philologi, qui Belgice scripta legunt. Ceterorum causa de singulis locis haec observo.

316 D Ἴων μὲν οὖν ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην αὐτῷ γεγραμμένοις Φησὶν ἀνομοιότατον πρᾶγμα τῇ σοφίᾳ τὴν τύχην οὖσαν ὁμοιοτάτων πραγμάτων γίγνεσθαι δημιουργόν.

Acute Abreschius ista πρᾶγμα et πραγμάτων delevit. Sed insulsius etiam restat emblema. Quis enim unquam sic locutus est: δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην? Solum ultimum vocabulum maneat!

317 C Νυνὶ δέ μοι δοκῶ τοῦ προβλήματος ὥσπερ ἀπὸ σκοπῆς καθορᾶν .... τήν τε Τύχην καὶ τὴν Ἀρετὴν βαδιζούσας.

Egregie hic Duebnerus σκοπιῆς restituit. Pro τοῦ προβλήματος B. proponit πρὸ τοῦ βήματος vel, id quod equidem non intelligo quid sit, πρό του βήματος, atque illud coniungere vult cum sequenti βαδιζούσας. Oraculi instar ista lectio. Mihi displicet πρό, quod in ἀπό mutatum in textum hiatum introducat. Plutarchum eleganti hac structura usum opinor: ὥσπερ ἀπὸ σκοπιῆς τοῦ βήματος, qua ut semper ita vel maxime dum hunc scriberet librum delectatum eum esse efficias ex his locis: (321 C) καθάπερ ἐν κλύδωνι θολερῷ τῇ τῶν προσοίκων ἔχθρᾳ et (323 E) ὥσπερ εἰς τόπον ἀμαυρὸν τὸν παλαιὸν χρόνον.

318 F καὶ τάχα που τῇ τύχῃ τὴν ἀνδρείαν παρωνόμασεν, ᾗ πλεῖστον εἰς τὸ νικᾶν τύχης μέτεστι.

H. παρωνόμασαν legit ut haec evaderet sententia: (Romani) ei dederunt nomen *fortitudini* simile (*fortuna* a *fortis*). Sed refellit eum quod 322 D legitur: τὸ τῆς Ἀνδρείας Τύχης ἱερὸν ὑπὸ Μαρκίου Ἄγκου .... ἱδρυθὲν καὶ ὀνομασθέν. Utrobique Ancus Martius dicendus est *Fortunae Virili* templum struxisse. Et ut *fortis* et *fortitudo*, ita *virilis et virtus* inter se sunt cognata vocabula (intelligenda autem ἀνδρεία). Sed pertinacius etiam

---

1) De Avondzon des Heidendoms, 2e druk I p. 341—356.

obsto quominus post μέτεστι cum Bruhnio inseramus locum 9 linearum, quae nunc p. 319 A legitur. Etenim *Virili Fortuna* commemorata *continuo* sequi debet quod de *Fortuna Muliebri* dicitur: τὸ δὲ τῆς γυναικείας Τύχης κατεσκευάσαντο κτέ. [1]).

319 B περὶ δὲ Γαΐου Καίσαρος ᾐδέσθην ἂν εἰπεῖν, ὡς ὑπ' εὐτυχίας ἤρθη μέγιστος εἰ μὴ τοῦτ' αὐτὸς ἐμαρτύρησε.

Haec Bruhnius delet, ut opinor quia in proxime praecedentibus de Caesare actum iam sit. Sed vix iis carere possumus, nam apte cum his iungitur sequens narratio ἐπεὶ γάρ κτέ. non cum commemorato Fortunae templo in Caesaris hortis aedificato. Ut tamen scrupulus ille Bruhnio eximatur, pro δέ legamus γάρ et, ne deinceps duae sententiae eodem claudantur modo, in praecedentibus deleamus verba ὡς αὐτὸς ἐμαρτύρησε quibus nullus locus.

Statim sequitur: ἐπεὶ γὰρ ἀπὸ Βρεντεσίου Πομπήιον διώκων ἀνήρθη .... Immo vero ἀνήχθη, *vela dedit.*. Cf. C ἐτόλμησεν εἰς ἀκάτιον μικρὸν ἐμβὰς .... ἀναχθῆναι. Ipsa corruptela verba a Bruhnio damnata vindicat: ἀνήρθη enim solito in Plutarchi textu errore natum est e vicino ἤρθη.

319 D Augustus deos precatus est ut nepoti suo darent ἀνδρείαν μὲν .... τὴν Σκιπίωνος, εὔνοιαν δὲ τὴν Πομπηίου, τύχην δὲ τὴν ἑαυτοῦ.

Pro εὔνοιαν, quod hinc alienum, fortasse legendum est εὐλάβειαν.

320 A Antonium, cum in ludendo semper victus ab Octaviano discederet, et aliis verbis ut desineret monebat amicus divinationis peritus et denique his: ἐὰν μὴ μακρὰν ᾖς, οἰχήσεται μεταβᾶσα πρὸς αὐτόν (tua Fortuna).

Immo vero ἴῃς.

321 D Navis recens facta aliquantisper requiescere debet ἕως οἵ τε δεσμοὶ κάτοχοι γένωνται καὶ συνήθειαν οἱ γόμφοι λάβωσιν.

Pro συνήθειαν fortasse recte B συνάφειαν coniecit. Non dubitarem, si de *tabulis*, non de *clavis* hic esset sermo.

---

1) Sententiam hic mutavi: in libro vernaculo contrarium legitur.

323 F ἡ δ' εὔροια τῶν πραγμάτων .... οὐ χερσὶν (μόνον) ἀνθρώπων οὐδ' ὁρμαῖς προχωροῦσαν ἡγεμονίαν, θείᾳ δὲ πομπῇ καὶ πνεύματι Τύχης ἐπιταχυνομένην ἐπιδείκνυται.

Inserendum mihi μόνον videtur.

324 B οὐδὲ ταχὺ παυσάμενος ὡς ὁ Κολοφωνίων (μέγας δαίμων).

Praeclara est Naberi emendatio Φωκέων (Mnem. 1900 p. 131 et 1896 p. 369). Nihil enim de imperio quodam Colophoniorum maritimo innotuit.

324 F Veiis Romani Camillum dictatorem creaverunt: ἵν' οὖν μὴ καιρῷ δοκῇ νόμῳ δὲ λαμβάνειν ὁ ἀνήρ, μηδ' ὡς ἀπεγνωκὼς τὴν πόλιν ὅπλοις ἀρχαιρεσιάζῃ τὰ τοῦ στρατοῦ a senatu in Capitolio incluso probari eum oportebat.

Deleatur ὅπλοις quibus nullus hic locus: opponuntur inter se comitia populi (τὴν πόλιν) et exercitus.

325 A Nuntius ille Veiis missus Capitolini montis usus saxis eminentibus venit πρὸς τὸ ἀντιπέρας.

Egregie Emperius πρὸς τὸ ἄνω τῆς πέτρας. Non enim, ut opinor, fluvium tranatat.

325 B Sed hostes vestigiis eius observatis τῆς νυκτὸς τὸ ἐρημότατον διαφυλάξαντες ἀνέβησαν.

Lubenter assentior Graeco editori hic ἠρεμώτατον requiri, nam *nox deserta* nihili est. Sed magis etiam alia opus est emendatione. An illi prius per noctem vigilant, deinde, *ubi illa praeteriit*, adscendunt? Immo vero: exspectant donec nox venerit, tum *statim* adscendendi initium faciunt. Lege ergo pro composito simplex φυλάξαντες.

326 A Antiqua Romanorum historia latet in tenebris τῷ καὶ τὰ πράγματα διαφθαρῆναι τῶν Ῥωμαίων καὶ συγχυθῆναι τοὺς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμούς.

Ingeniose Abreschius verba διαφθαρῆναι et συγχυθῆναι inter se transposuit. Simul delendum arbitror ὑπ' αὐτῶν quod structuram reddit absurdam.

ib. ἐγὼ δὲ τίθεμαι καὶ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτήν.

Verba sensu cassa sanavit editor Graecus τύχην ante τίθεμαι inserendo. Cf. 319 P ἐγὼ δὲ καὶ Κλεοπάτραν αὐτὴν τύχην Καίσαρος τίθημι.

Utrumque, τίθημι et τίθεμαι, dici videtur in hac locutione. Praetulerim tamen τίθεμαι. Cf. notum illud: οἰωνὸν ἐθέμην καλλίνικα σὰ στέφη.

DE ALEXANDRI MAGNI FORTUNA AUT VIRTUTE.

Ex eodem sunt genere hi libelli atque ille *de Fortuna Romanorum*. „Sunt ergo" dixerit aliquis morosior „sophisticae disputatiunculae, quales eo tempore permultae habebantur ab utriusque populi declamatoribus, idque ita ut bellum inter se gererent rhetoricum Romani Graecique: hi Romanum imperium Fortunae, illi Virtuti deberi solebant demonstrare; sic Fortuna magnum factum esse Alexandrum Romani contendebant, Virtute Graeci". Lubenter concedo non esse inventum a Plutarcho novum quodpiam literarum genus, sed usum eum sui temporis esse more; addoque ipsum illum temporis morem et ab aliis et a Plutarcho ipso introductum, qui sui temporis pars magna fuerit. Sed non hoc solum est inquirendum in quem literarum historiae loculum liber aliquis sit condendus, multo maioris est momenti intelligere qua ratione argumentum aliquod, quamvis sit decantatum, scriptor, de quo agitur, tractaverit; sic enim ipse qualis fuerit intelligere possumus. Commendare se Romanis Plutarchus studebat; Romam enim venerat ut ingenuis pueris prima „philosophiae" suae traderet elementa, adultos praeceptis suis sustentaret solareturque. Opera ergo ei danda erat ut suae daret facundiae documenta: scire debebant Romani nobiles et opulenti cui magistro pueros suos, cui mentium medico semet ipsos essent commissuri. Atque initium ei erat faciendum ab ea re quae communis est omnium hominum doctorum literatorumque: oratio erat habenda non ad reum defendendum accusandumve vel ad legem suadendam aut dissuadendam. Qui poterat peregrinus et ignotus subito se in medias res et in ipsam populi vitam

iniicere? Sed controversia aliqua erat tractanda, ex illarum nimirum numero quae tunc in usu essent — non opus est doctis doctorum annotationibus id quae nos doceant — declamatio habenda de argumento grato acceptoque omnibus qui non essent in literis hospites, in ficta aliqua causa aut patroni aut accuratoris fungendum partibus. Hoc est quod omnes illi Graeci, qui dicendo docendoque victum quaerunt, inter se habent commune sive philosophos se sive sophistas appellari malunt. Hoc est cur saepe non ita facile dictu sit utri aliquis generi sit adnumerandus [1]), hoc cur qui philosophi nomine se dignos aut esse aut aliquando futuros sperant tam anxie caveant ne auditoribus sophistae esse videantur. Neque unquam quemquam magis ille tenuit metus quam Chaeronensem nostrum. In oratiuncula *de Romanorum fortuna et virtute*, quae prima ei est oblata occasio invehendi in futilia ista sophistarum artificia, lubenter ea utitur (318 E), in hisce declamatiunculis *philosophum* fuisse Alexandrum magnum demonstrare studet, nam non eum revera philosophum esse qui de nugis subtilibus acutas scripserit disputatiunculas, sed qui vitae emendandae dederit operam. Inspice mihi quae leguntur p. 328 A:

περὶ συλλογισμῶν οὐδὲν οὐδὲ περὶ ἀξιωμάτων ἔγραψεν (Alexander), *οὐδ' ἐν Λυκείῳ περίπατον συνέσχεν οὐδ' ἐν Ἀκαδημείᾳ θέσεις εἶπεν· τούτοις γὰρ ὁρίζουσι Φιλοσοφίαν οἱ λόγον αὐτὴν οὐκ ἔργον νομίζοντες.*

Et 332 E:

κἀμοὶ δὴ ταῖς Ἀλεξάνδρου πράξεσιν ἔπεισιν ἐπιφωνεῖν ἀεὶ „Φιλοσόφως·" ἐν τούτῳ γὰρ πάντ' ἔνεστι.

Ex eodem genere hosce esse libellos dicebam atque illam *de Fortuna et Virtute Romanorum.* Aliquid tamen, neque id parvi momenti, interest. Totos consideremus. *Oratiunculas* esse has quoque statim apparet. Secunda enim ab his verbis orditur: „heri commemorare negleximus", utraque ergo ad eosdem habita est auditores, et nescio an in eodem auditorio. Itaque de priore otiosi secum deliberare illi potuerunt, in crastinum enim diem dilata erat altera. Profecto non sibi quam levissimum

---

1) Vide locum Philostrati de Dione „chrysostomo", et libri mei „de Avondzon" vol. I, p. 334 sq. (2ae ed.).

imposuit onus orator; immo ipse facultatem dedit peritis inter auditores de arte oratoria iudicibus secum statuendi quid iam secundum illius artis praecepta sequi debeat; quos si exspectatio fefellit, de oratoris fama actum est [1]). Ergo ut in libro *de Fortuna et Virtute Romanorum,* sic hic quoque ante omnia *facundiae* opus est dare documenta, non tam quid dicat orator quam quo modo dicat quaeritur, magis illi sunt permulcendae aures quam sanandae mentes. Eodem modo se in proximo libello res habuit, sed quemadmodum iam dixi, est quaedam inter hosce et illum, neque ea levis, discrepantia. Oratio *pro Fortuna Romanorum* habet quod admirationem quandam moveat. Licet enim ibi Fortuna non caeca illa dea sit, quae res humanas ludibrio habet, sed potius numen aliquod *divinae providentiae* haud dissimile, tamen a viro, quem praecipue tamquam lenem sed simul et gravem mentium medicum suspicimus veneramurque, hanc defendi sententiam „Fortuna non Virtus Romanum condidit imperium" vix aequo ferimus animo, atque ut tamen aliquo modo explicemus illud potissimum ab eo electum argumentum, huc confugimus ut dicamus eum, cum *artis oratoriae* dare documenta vellet, intellexisse eiusmodi paradoxon uberrimam sibi praebere ingenii ostentandi materiem. At nunc in eo genere iam satis innotuit inclaruitque, ergo nunc id agitur ut quid de rebus gravissimis disertus ille vir sibi habeat persuasum cognoscant homines. Sunt ἐπιδείξεις libelli de Alexandro item ut oratio de Fortuna Romanorum, sed multo minus est eorum fucata et polita oratio, nulla artificia rhetorica, nulli in iis occurrunt flosculi; ab initio ad finem vir maturus prudensque hanc defendit sententiam sapientissimam: et in Alexandri et in uniuscuiusque vere magni viri vita multo maiores esse virtutis quam fortunae partes. Neque *bellicam* hic praesertim spectari virtutem vel maxime hinc apparet quod in clarissima ponuntur luce eae res quibus Alexander pudoris, pudicitiae, integritatis, innocentiae dedit documenta, praecipueque ostenditur illi regi nihil fuisse cordi magis quam veram humanitatem. Darii uxori, captivae factae, adeo

---

1) Cff. lepidissima haec Plinii in epistola ad Tacitum (I, 20): „suae quisque inventioni favet et quasi fortissimum amplectitur, cum ab alio dictum est quod ipse praevidit. Omnibus ergo dandum est aliquid quod teneant, quod agnoscant".

pepercit ut, veritus ne sibi imperare non posset, non solum propius ad eam accedere non auderet sed etiam se praesente formam eius laudari vetaret; quam adamabat virginem eam iustam uxorem reginamque fecit; populos a se subactos diros suos crudelesque coegit ponere mores; totius orbis terrarum factus est magister, qui moribus hominum emendandis daret operam; denique, si usquam in vita, hic habemus regem illum philosophum quem sibi Plato informavit. Legite mihi pulcherrimum illum locum (329 DEF) de nuptiis Asiae Europaeque Alexandro auspice celebratis, pectus fuisse quod disertum hunc faceret oratorem agnoscetis. Denique licet hic quoque puro venustoque studuerit sermoni Plutarchus, non tirocinia haec sunt quibus audientium captat favorem, sed maturioris iam viri virilis oratio qua virtutem iis moresque puros sincerosque commendat.

Tamen et hic identidem quiddam invenies quod primo aspectu rhetoricum, ne puerile dicam, videri possit, opinor quia prae re gravissima quam tractabat speciem ornatumque neglexit orator. Wyttenbachium id fugisse miror, nam est neque obscurum neque parvi momenti. Iam loquentem induxit ipsum Alexandrum (326 F: οἶμαι δ' ἂν αὐτὸν εἰπεῖν) et tamen ad auctores provocat, Onesicritum, Aristotelem alios, in secunda oratione rarius, in priore frequenter. Absurdum hoc dicerem vitium, nisi in deliciis hunc oratorem haberem.

Ad singulos locos verbaque quae annotem paucissima sunt.

Or. I 326 F. De rebus a se gestis et alia declamat Alexander et haec:

ἐγὼ δ' εἰς Σοῦσα δι' Ἀρβήλων ἀναβέβηκα.

Venuste hoc fere sensu: „Arbela mihi aperuerunt viam quae Susa ducit'', Arbela pro victoria Arbelis reportata. Sed corrupit metaphoram sciolus inserendo νικῶν post Σοῦσα.

327 B τὰ λοιπὰ δ' Ἰνδῶν πληγαὶ καὶ βίαι θυμῶν.

Pro ultimo vocabulo Herw. proposuit θηρίων. Nomen *populi* equidem praetulerim.

327 D Puer etiamtum Alexander se orbem terrarum subacturum speravit

τοῖς τρισμυρίοις, οἴεσθαι, πεζοῖς καὶ τετρακισχιλίοις ἱππεῦσι πιστεύσας.

Vox *οἴεσθαι* editori delenda videtur. Unde ergo intulit pedem? Reiskii *πῶς οἴεσθε* nimis est comicum pro huius loci gravitate. Ecquid *οἶμαι*? Egregie *contemptum* ea vox significat.

328 E *Ἀλέξανδρος δ' ὑπὲρ ἑβδομήκοντα πόλεις βαρβάροις ἔθνεσιν ἐγκτίσας καὶ κατασπείρας τὴν Ἀσίαν Ἑλληνικοῖς τέλεσι, τῆς ἀνημέρου καὶ θηριώδους ἐκράτησε διαίτης.*

Pro vocabulis sensu cassis *Ἑλληνικοῖς τέλεσι* editor coniecit *Ἑλληνικαῖς πόλεσι*, quae ingratissima est repetitio. Nonne *ἤθεσι*: „Graecis per Asiam sparsis moribus ferum victum superavit"?

333 C Ipsa indoles ad virtutem ducit homines,

οἱ δὲ Φιλόσοφοι τῶν πολλῶν διαφέρουσι τῷ τὰς κρίσεις ἔχειν ἐρρωμένας παρὰ τὰ δεινὰ καὶ πεπηγυίας· ἐπεὶ οὐ μετὰ τῶν τοιούτων προλήψεων „εἷς οἰωνὸς ἄριστος κτέ."

Pro *ἐπεὶ οὐ* aliud quid requiritur, nam veri philosophi certe proficiscuntur a sententiis qualis haec Hectoris est et altera quae subiungitur: *πέρας μέν ἐστιν ἅπασιν ἀνθρώποις ὁ θάνατος.*

Or. II 333 E Bono sed egeno poetae quidam dixit:

ἀλλ' εἰ κατ' Ἀλέξανδρον ἐγένου, κατὰ στίχον ἄν σοι Κύπρον ἢ Φοινίκην ἔδωκεν.

Nimium hoc tam Alexandro quam laudatori eius, sed quid sit rescribendum nescio.

334 C Postquam narravit de rege qui equi hinnitum optimi tibicinis praeferret arti, sic exclamat:

τίς ἂν οὖν παρὰ τοιούτοις βασιλεῦσιν αὔξησις ἢ τιμὴ τέχνης γένοιτο καὶ Μούσης τοιαύτης; ἀλλ' οὐδὲ παρὰ τοῖς ἀντιτέχνοις ἐθέλουσιν εἶναι κτέ.

Ultima sana esse iure contendit editor. Sed non intellexit interpres qui sic vertit: „quin etiam non ferunt si quis aliqua

arte superet". Sententia enim est: „neque apud illos qui se artificum aemulos esse volunt". Sequitur: „hi enim iis invident". Notetur in sequentibus ὀψιμαθία pro *stultitia* et *stupore* positum.

335 A οὕτω παρέστη καὶ διεφλέχθη τὸν θυμὸν ὑπὸ τῶν μελῶν. Nonne οὕτως ἐξέστη?

335 B Λυσίππου δὲ τὸν πρῶτον Ἀλέξανδρον πλάσαντος κτἑ. Recte πρῶτον delevit Abreschius.

336 B εἰ μὲν γάρ, ὥς φησιν Ἐπίχαρμος „νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει" κτἑ.

Non sequitur apodosis. Receptam oportuit Wyttenbachii emendationem εὖ pro εἰ.

338 E Darii uxorem mortuam Alexander οὕτω βασιλικῶς ἐκόσμησε καὶ συμπαθῶς ἐδάκρυσεν, ὥστε ἄπιστον αὐτοῦ τὸ σῶφρον ἐν τῷ φιλανθρώπῳ γενέσθαι καὶ λαβεῖν ἀδικίας ἔγκλημα τὴν χρηστότητα. Δαρεῖος γὰρ οὕτως ἐκινήθη πρὸς τὴν ἐξουσίαν αὐτοῦ καὶ τὴν ἡλικίαν.

Dele ἐν: „Alexandri humanitate incredibilis reddebatur eius pudicitia"; deinde aut pendebit ultima pars sententiae aut cum Reiskio ὑπόπτως pro οὕτως est legendum.

339 D καὶ μὴν καὶ Φιλώτας ὁ Παρμενίωνος τροφόν τινα τῶν κακῶν ἔσχε τὴν ἀκρασίαν.

Pro τροφὸν Madvigius τρόπιν coniecit, metaphora inaudita quaeque istud τινα non admittat; Reiskius τρόπον τιν' αἰτίαν, sed quis veniam petit ut sibi decantata locutione αἰτίαν κακῶν uti liceat? Etiam in proxime sequentibus parum probabilem commentus est metaphoram Madvigius: μαλακίᾳ δ' ὁ σιδάρεος ἐχῖνος πεπαινόμενος οὐκ ἐκράτει τῶν λογισμῶν ἐν ταῖς ἡδοναῖς pro μάλα. καὶ δὴ ὁ σιδάρεος ἐκεῖνος κτἑ. Praeterea illo μάλα non possunt carere praecedentia quin sensu cassa fiant. Ad quem poetae versum alludat auctor suo ὁ σιδάρεος nos fugit; iusta cur quidquam mutemus causa non adest. Sed rectissime idem

in hisce (340 B): πῶς γὰρ οὐχὶ τὸν ἄτρωτον, ὦ Ζεῦ, τὸν ἀναίμακτον, τὸν ἀστράτευτον, ὃν χρεμετίσας ἵππος εἰς τὸν Κύρου θρόνον ἐκάθισεν; delevit ὅν.

341 F Elaboratam periodum hic turbant et pessumdant accusativi isti Βάκτρα, Μαράκανδα, Σογδιανούς. In margine adscriptos fuisse suspicor.

ib. Parum abfuit quin Fortuna Alexandrum spoliaret fama quae Iovis eum fecit filium: τίς γὰρ ἂν ἐκ θεῶν γεγονὼς ἐπισφαλεῖς οὕτω καὶ πολυπόνους καὶ τλήμονας ἐξεμόχθησεν ἄθλους πλὴν ὁ Διὸς Ἡρακλῆς;

Satis perspicuum esse opinor nullum hic esse particulae ἂν locum.

DE GLORIA ATHENIENSIUM.

Hic quoque libellus insignem in *vita* Plutarchi locum tenet. *Orationem* esse statim sentis: in ipso enim initio lepidam narrationem de Themistocle iuniores copiarum duces refutante verbis, quibus ipse dies festus dies insequentes refutavit, nostro ingenio supplere debemus, sed adiuvante contextu facile possumus. *Exciditne* ergo illa? Numquam a Plutarcho *hic scriptam* fuisse censeo: *ex tempore* eam erat traditurus. *Athenis* habitam haec vocabula disertissime docent (345 F):

πολλῶν μὲν δὴ καὶ ἄλλων ἡ π ό λ ι ς ἥ δ ε μήτηρ καὶ τροφὸς εὐμενὴς τεχνῶν γέγονε.

Quam autem in ea notat Wyttenbachius *iniquitatem* in scriptores, quodammodo praecipua eius virtus dicenda est, utpote quae luce clarius ostendat quid sibi hic orator velit. Iam saepius in aliqua doctorum literatorumque prodiit contione, metuit tamen etiam ne falsa de se aut nascatur aut nata iam sit hominum opinio. Strenue ergo dat operam ne quisquam posthac sibi in illo oratorum grege locum assignet quos prae ceteris omnibus contemnat oderitque.

Dixeris haec inter varicosos centuriones
Continuo crassum ridet Pulfennius ingens
Et centum Graecos curto centusse licetur.

Verba haec sunt adolescentuli, atque adeo paene pueri Persii, inter manus matris et materterae educati, qui in umbra vitam degens nunquam cogitaverit quantum et ceteri omnes et ipse cum magistro suo et tota Stoicorum domo fortibus illis viris debeant qui in limite imperii Romani continua gerant bella cum imminentibus barbaris, quique omne morborum genus contraxerint dum ingentes tolerant labores pro illorum securitate, qui otiosi domi residere malint vel propter corporis infirmitatem debeant. Sed nunc non Stoicos orator noster impugnat, posthac satis acriter cum iis digladiabitur ne ipse unquam cuiquam Stoicus esse vel fuisse videatur; cum alio genere umbraticorum et scholasticorum ei res est, non minus ineptorum absurdorumque, quibus ne adnumeretur periculum esse modo sit expertus, sophistarum aio rhetorumque. Quam vehementissime ergo in eos invehitur, atque etiam iniquissime, sic vult genus ipsum orationis *ex ipsa vita* sumptae verosque animi spirantis affectus. Cum militibus comparat scriptores poetasque, illos extollit hos deprimit, illos praeclare de patria meritos, horum nullum unquam a civibus perceptum fructum demonstrat. Potuitne, obsecro, *non* fieri iniquus qui mente animoque totum se tali dedisset argumento, quod ad suam famam, ad suam inter homines conditionem pertinere penitus sentiret? Nolo enim eo confugere ut dicam *partem* tantummodo orationis superesse: quamvis multa interierint, nulla est causa cur credamus Plutarchum adversus scriptores, de quibus in parte superstite altum esse silentium Wyttenbachius queritur, iustiorem fuisse aequioremque coniiciamus. Immo vero clausam fuisse oratiunculam — nam quin cum *brevi* oratione nobis res sit non dubito — lepida aliqua clausula qua non, ut solent sophistae, se suumque genus audientibus commendaverit Plutarchus, sed adversarios suos, totumque illum gregem *κηφήνων σοφιστιώντων* profligarit concideritque censeo. Nam facetum hic iocosumque prodiisse oratorem et alii multi loci docent et haec verba clamant quibus ostendit Atheniensibus suas artes literasque pluris constitisse quam bella pro libertate suscepta:

ἂν γὰρ ἐκλογισθῇ τῶν δραμάτων ἕκαστον ὅσου κατέστη, πλέον ἀνηλωκὼς φανεῖται ὁ δῆμος εἰς Βάκχας καὶ Φοινίσσας καὶ Οἰδίποδας καὶ Ἀντιγόνην καὶ τὰ Μηδείας κακὰ καὶ Ἠλέκτρας, ὧν

ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας καὶ τῆς ἐλευθερίας πολεμῶν τοὺς βαρβάρους ἀνάλωσεν.

Sophistas impugnat, ducem vero eorum patremque pertinacissimo persequitur odio, Isocratem senem illum, qui senex *natus* videatur et tamen miserae istius vitae tam anxie semper tenax fuerit, qui sententiolis limandis poliendisque illud fere integrum dederit saeculum quod crudeliter ludens ei fatum concessit, nihilque tanto opere reformidarit quam ne vocalis in vocalem incideret aut periodo deesset syllaba. Audite nostri oratoris indignationem:

πῶς οὖν οὐκ ἔμελλεν ἄνθρωπος ψόφον ὅπλων φοβεῖσθαι καὶ σύρρηγμα φαλάγγων [1]) ὁ φοβούμενος φωνῆεν φωνήεντι συγκροῦσαι καὶ συλλαβῇ τὸ ἰσόκωλον ἐνδεὲς ἐξενεγκεῖν;

intelligetis quanti sit hic momenti locus in omni de *scriptore* Plutarcho disputatione. De quo nunc nihil amplius dico nisi hoc: luce clarius hinc apparere ipsum identidem aliquid scripsisse in quo *non* vitaretur hiatus, perverseque agere criticos qui Plutarcho aliquem abiudicent librum *illo solo argumento* quod in eo, quamvis multi manifestique, hiatus inveniantur.

Denique legite mihi pulchram illam narrationem de equestri Atheniensium cum Epaminonda sub Mantineae moenibus proelio, non *invidia* ductum πᾶσίν Ἰσοκρατιδεῦσιν indixisse bellum hunc oratorem sentietis.

Ad singulos locos quae annotem pauca sunt leviaque.

345 E Ξενοφῶν μὲν γὰρ αὐτὸς ἑαυτοῦ γέγονεν ἱστορία, γράψας ἃ ἐστρατήγησε καὶ κατώρθωσε καὶ Θεμιστογένει [περὶ τούτων συντετάχθαι] τῷ Συρακοσίῳ[, ἵνα πιστότερος ᾖ διηγούμενος ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἑτέρῳ] τὴν τῶν λόγων δόξαν χαριζόμενος.

Non solum illud Θεμιστογένει τῷ Συρακοσίῳ (in codicibus sunt accusativi) a Turnebo sumo, sed praeterea inclusa deleo; sic demum apta nascitur sententia apteque continuo haec opponuntur: οἱ δ' ἄλλοι πάντες ἱστορικοί .... ἀλλοτρίων γεγόνασιν ἔργων ὥσπερ δραμάτων ὑποκριταί. Lepide nunc solus historicorum laudatur Xenophon, utpote qui copiarum ducem se haberi voluerit, scriptoris famam sit aspernatus. Qui a Xenophonte diversum

---

1) Sic cum Abreschio legendum pro φάλαγγος.

statuunt Themistogenem nescio quem, in densis nos tenebris errare malunt quam cum Plutarcho ipsam veritatem dispicere.

346 A *ὥσπερ Εὐφράνωρ τὸν Θησέα τὸν ἑαυτοῦ τῷ Παρρασίου παρέβαλε.*

Nullo iure hic istud *ὥσπερ* ponitur; alio modo haec sunt annectenda praecedentibus.

ib. *γλαφυρῶς ὁ Παρρασίου γέγραπται καὶ πεποίηται καί τι προσέοικε.*

Corruptum esse *πεποίηται καί τι* W. sensit. Editor coniecit *πεποιηφαγηκότι*. Iocari voluisse virum egregium suspicor.

346 D Epaminondas *ἐπεφαίνετο τοῖς Μαντινεῦσιν ἀπροσδόκητος, καὶ διαβουλευομένοις αὐτοῖς ἀκμὴν τοῦ πέμπειν τὴν εἰς Λακεδαίμονα βοήθειαν, εὐθέως ὁπλίζεσθαι προσέταξε τοῖς Θηβαίοις.*

Recte *τοῦ* W. delet et ante *εὐθέως* inserit *καί*. Praeterea et *αὐτοῖς* deleverim, cui nullus hic locus.

346 E Eodem tempore advenerunt Athenienses, pauciores quam Thebani et ex itinere fessi; sed

ὅμως εὐθὺς εἰς τάξιν καθίσταντο τοῖς πλείστοις.

Nemo non admonitus sentit corruptum esse ultimum vocabulum. Quod quomodo sit emendandam ex iis quae statim sequuntur apparet: *οἱ δ' ἱππεῖς διασκευασάμενοι καὶ προεξελάσαντες κτἑ.*

Lege ergo *τοῖς ὁπλίταις.*

347 E Scriptoribus *εὐαγγέλιον ὀφείλουσιν οἱ πρώτως ἐντυγχάνοντες [καὶ ἱστοροῦντες].*

Inclusa abiicienda sunt.

348 A *δειξαμένου δὲ τῇ Κορίννῃ, γελάσασα ἐκείνη κτἑ.*

Medium istud quid sibi velit me latet.

349 B. Non *ἐπίσπεισμα τῶν ἐκκεχυμένων βίων* hic cum Reiskio legendum sed perficienda emendatio Wyttenbachii coniectura *ἐπίδειγμα.*

349 C Ἀρήιος ὁ κῶμος οὗτος [ἐκ γῆς] ἅμα φάλαγξι καὶ στόλοις [ἐκ θαλάττης] καὶ μεμιγμένοις σκύλοις καὶ τροπαίοις βεβριθώς.

Deleantur inclusa.

349 F Nullas instituerunt ferias Athenienses ὅτε Καρκίνος Ἀερόπῃ συνῆν.

Acute περιῆν Emperius. Certe absurdissimum est istud συνῆν.

350 B ἐπί τε Σαλαμῖνι καὶ Μυκάλῃ καὶ Πλαταιαῖς ὥσπερ ἀδαμάντινοι στηρίξαντες τὴν ἐλευθερίαν τῆς Ἑλλάδος παρέδοσαν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις.

Lege ἀδαμαντίνην.

ib. At ludicra res poesis si cum re militari comparatur: οἱ δὲ ῥήτορες ἔχουσί τι παραβαλλόμενοι πρὸς τοὺς στρατηγούς κτέ.

L. παραβάλλεσθαι.

350 C ὀμόσας τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, οὐ τοὺς ἐν ταῖς σχολαις τὰ μειράκια προδιδάσκοντας.

Immo προδιδάξαντας.

351 B Prudenter hic editor Graecus supplet emendatque; ἢ ὅτι ὅτε τοὺς ἐπιτροπικοὺς ἔγραψε, τὴν ἡλικίαν ταύτην Ἀλκιβιάδης ἔχων Μαντινεῖς καὶ Ἠλείους ἐπὶ τὴν Λακεδαίμονα συνέστησε.

Denique loco, quem paulo ante citavi (349 A), pro τοὺς βαρβάρους cum M. legendum est τοῖς βαρβάροις, ut ille dativus pendeat a verbo πολεμῶν.

CAPUT IX.

DE ISIDE ET OSIRIDE.

Haud dubie primarium hoc opus docti theologi et philosophi nostri, sive, ut accuratius loquar, docti philosophi „cui theologia philosophiae fuerit τέλος''. Qui liber non Aegyptologis solum permulta praebet dignissima quae perpendantur, sed nobis quoque utilis esse potest ad intelligendum quem locum tunc Plutarchus inter illius temporis homines tenuerit. Dedicatus enim est Cleae, mulieri nobilissimae doctissimaeque, cui haud paucis, ut equidem opinor, annis ante suum *de mulierum virtutibus* misit librum. De quo, simulque de ipsa Clea et de toto hoc *collectionum* genere, satis mihi dixisse videor in Mnem. v. XLI p. 106 sqq. Ad eandem ergo mulierem, cuius olim facetissima illa urbanissimaque praefatione captavit benevolentiam, nunc spissum hoc mittit volumen quod ut est plenum reconditae doctrinae, omni caret suavitate atque dulcedine. Quod lubenter quidem evolvent quicunque religionis dant operam historiae philosophiaeque; nam multarum rerum ad Aegyptiorum rem sacram pertinentium unicus hic fons est; ducem vero lubentissime sequentur quicunque illas amant inquisitiones Plutarchum; nam quamvis sit verisimile saepe eum parum accurate a suis auctoribus edoctum, saepe etiam turpiter deceptum esse, ipsum fuisse ab omni mentiendi fallendique consilio remotissimum quavis sentis pagina. Sed quaecunque hic de Iside et Osiride ceterisque diis Aegyptiis

legimus nullam nobis praebent voluptatem: sedulitate, ne pertinacia dicam, opus est ad ista omnia paulo accuratius perlegenda; non aetate solum sed etiam doctrina admodum provectam esse consentaneum est mulierem illam, quam olim tam blande sit allocutus philosophus noster, quamque nunc sibi eligat patronam libri tam docti tamque laboriosi. Quem minime „pulchris" quas dicimus adnumerandum „libris", neque delectandi sed tantummodo docendi causa scriptum nusquam magis quam sub finem apparet.

Etenim — id quod saepe in aliis Plutarchi disputationibus non sine admiratione quadam observamus — ubi materiem suam exhausit, subito silet scriptor, de „peroratione" aliqua addenda ne cogitat quidem; nullus hic est orationis flosculus, immo — id quod tot perlectis paginis nobis iure nostro postulare videmur — ne comprehenditur quidem longa illa narratio sententiola aliqua libri consilium clare enuntiante. Iure nostro, aio, id nobis postulare videmur, quia *elegantiae* iubeant leges. Nam *perspicuitati* sic quoque satis consultum libenter agnoscimus. Quid enim *docere* hic velit Plutarchus, id quivis lector paulo diligentior statim dicet. Et — id quod iam dixi — quin docere velit nemo dubitabit, non Cleam solam, mulierem omnibus instructam rebus ad philosophiam pertinentibus, sed omnes quotquot sunt toto terrarum orbe cultiores homines, praecipue vero illos qui Romae vivunt, ubi iam diu Aegyptiorum religio multos, atque adeo multas, sibi teneat devinctas. Atque omnis illa doctrina hisce comprehendi potest verbis: „pium esse hoc est scire".

Quam sententiam abominaturos opinor quicunque bene didicerint „rationalismo" et „intellectualismo" nihil esse vitandum magis. Sed Plutarchus cum monet: „si pius esse vis fac doctus fias", nil cogitat quod humi repat hominemque sursum tollere cor vetet. Immo vero sublimia tum quoque spectat, seque hic quoque virum praestat non solum res theologicas indefessa perscrutantem industria sed etiam mente bene praeparata ad eas accedentem. „Philosophiae historia errorum quaedam est historia" Bavius clamat, succinitque Maevius: „et religionis dogmatumque historia nil nisi fraudes continet sacerdotum". At qui de rebus illis diu multumque cogitavit longe aliter iudicat: „dogmata" is

dicet „formulae quaedam sunt, quibus nihil melius accuratiusque excogitare potuerunt praestantissimi omnium saeculorum homines ad suam de rebus sanctissimis opinionem enuntiandam", atque veri gravisque hoc esse theologi officium sentiet: e vulgaribus indoctae plebis verbis, quae nunc saepe admodum absurda videantur, sublimem quandam et aeternam eruere veritatem, unde illa tamquam e divina stirpe nata sint. Hoc clamat Plutarchus diserte declarans „impii est dira ista et crudelia, quae multa Aegyptiorum habet religio, sic accipere ut nobis traduntur" tecteque toto suo libro monens: „sed pii est bene intelligere et sentire pietatem populi qui suam Isidem suumque Osiridem cultu veneretur a nostris moribus tam diverso".

Denique persuasissimum nobis habere possumus theologo Chaeronensi nullum meliorem exstare potuisse ducem omnibus qui, ut Clea nostra, theologicis studentes disquisitionibus et doctrinam peterent et mentis requiem sanitatemque.

Ad singulos autem locos hic paucissima tantum annoto. In libro enim vernacule scripto („de Avondzon des Heidendoms") integram dedi tractatus Plutarchei interpretationem (secundae editionis, quae sub finem proximi anni hic apud S. C. van Doesburgh prodiit pag. 125—182), sic me bene mereri ratus de Aegyptologis nostris, quorum unus et alter Belgice quam Graece scripta legere malit, et si qua se vel olim obtulerat vel mihi vertenti offerebat quaestio critica, quid mihi legendum videretur et qua causa in calce paginae significavi. Quas annotationes consulere etiam ii poterunt qui in nostro sermone plane sunt hospites. De tribus tantum locis hic observationes quasdam proferam, quarum duae ne meae quidem sunt sed ex eo numero virorum, quorum praecipue causa gravem illum parumque gratum vertendi laborem susceperam.

C. 32 (p. 363 E) *καὶ θρῆνός ἐστιν ἱερὸς ἐπὶ τοῦ Κρόνου γενόμενος, θρηνεῖ δὲ τὸν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς γιγνόμενον μέρεσιν ἐν δὲ τοῖς δεξιοῖς φθειρόμενον.*

De hoc loco duae ad me pervenerunt sententiae virorum in rebus Aegyptiis versatissimorum, quorum hic traditam lectionem *Κρόνου* defendit, utpote quo nomine deus Seb significetur, alter Squirii (Wyttenbachii) probat emendationem *'Οσίριδος*. Non est meum in hac lite arbitrum agere, hoc dico, nisi hic aut *'Οσίριδος*

legatur aut Νείλου, nullo inter se vinculo cohaerere quae inde a capitis initio legantur. Sed idem sentio esse hanc emendationem ex eo genere quod suo „Καλλίστρατος, legendum videtur Φιλωνίδης" ridere solebat Cobetus. Multo certe minus est violenta Strydii, acutissimi viri, coniectura: θρῆνός ἐστιν ἱερὸς ἐπὶ τῷ ἐκ Κρόνου γεγενημένῳ, sed neque credibile est γεγενημένῳ in γενόμενος abiisse et intactum relinquitur sic quoque quod in tradita lectione est molestissimum: θρῆνος θρηνεῖ. Utrique malo mederis pro ἐπὶ τοῦ Κρόνου γενόμενος legendo τοῦ Κρόνου λεγόμενος. Saepe λεγόμενος et γενόμενος inter se confunduntur et hic praeterea (ut sexcenties in Plutarchi textu) sequens γιγνόμενον ultro illud vitum provocabat. Atque sic obtinemus eandem illam sententiam quam Strydius restituere volebat elegantissime enuntiatam: si enim Κρόνος inducitur Osiridem lugens, sponte intelligimus hic Osiridis eum dici patrem. Quod utrum iure an iniuria Plutarchus fecerit videant docti Aegyptologi. Quodsi in sententia, qualem ego restitui, error aliquis latet, eiusmodi tamen ille est ut a Plutarcho potuisse committi minime sit incredibile.

C. 39 (p. 366 E). Βοῦν γὰρ Ἴσιδος εἰκόνα καὶ γῆν νομίζουσι. Pro καὶ γῆν Marklandi recepi coniecturam αἰσθητήν. Sed admonet me Völterus, collega Amstelodamensis, verisimilius esse istud καὶ γῆν semidocti esse annotationem et una litura delendum. Verum vidisse vir acutissimus videtur.

C. 69 (p. 378 E) καὶ Βοιωτοὶ τὰ τῆς Ἀχαίας μέγαρα κινοῦσι. Locum hunc saepe tentatum sic idem ille sanandum censet κ. Β. κατάγαια μέγαρα κτίζουσιν, provocatque ad Atheniensium in Thesmophoriis usum. Ingeniosissima certe haec est coniectura; subdubito tamen annon „subterranea" Graece ὑπόγαια potius dicendum sit.

DE E DELPHICO.

Deinceps nunc in Plutarchi editionibus tres leguntur disputationes quas eodem fere tempore a Plutarcho conscriptas veri-

simillimum est; etenim ad argumenta inter se cognatissima pertinent et referuntur in iis colloquia apud templum Apollinis Delphici habita. Quarum qui decursum cognoscere cupit is Volkmannum adeat, egregie illum, ut solet, enarrantem, sed potius ipsum Plutarchum legat quem hic αὑτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον sibi visum non temere coniicimus: de rebus enim agit quas maximi facit et in quibus est versatissimus. Pauca tamen de hocce libello Volkmanni addere enarrationi velim. Dedicatus est Sarapioni, viro, ut opinor, Aegyptio natione, sed doctrina Graeco atque fortasse etiam civitate donato Romana; magnus ille fuisse videtur mathematicus, nam quae in illo colloquio ab ipso sunt disputata Plutarcho ea omnia ad maiorem pertinent Pythagoricae ἀριθμητικῆς μυστικῆς (sic enim illam appellare possumus disciplinam) gloriam. Poetam eum fuisse et Athenis habitasse libri qui sequitur (de Pythiae oraculis) docet locus p. 396 D et paulo post (p. 402 F) eum de philosophicis quaestionibus fecisse carmina cognoscimus. Etiam in Quaestionibus Convivalibus (p. 628A) de eius arte legimus haud parvi momenti quaedam: ille enim est qui in certamine, cuius sumptus Antiochus tulit Philopappus, reportavit praemium; Aegyptiorum mores habet cognitos (p. 400A), et Stoicorum doctrinam sequitur. Nunc a Plutarcho edocetur de colloquio illo habito quo tempore Nero in Graecia erat, i. e. a. 66 (p. 385 B) Tum Plutarchus admodum etiam erat adolescens sed iam perdoctus. Postquam enim multa perite et Pythagorice de numeris disputavit, sic Ammonius, magister eius, incipit: οὐκ ἄξιον πρὸς ταῦτα λίαν ἀκριβῶς ἀντιλέγειν τοῖς νέοις, unde iure efficitur eum a. 47 natum esse. Neque multo aut maior aut minor frater eius Lamprias, quod apparet ex hisce quorum nescio an nondum vera sit perspecta sententia. Literam illam E templo Delphico affixam sic Lamprias explicat: „sapientes illi qui dicuntur revera non septem fuerunt sed quinque, sed nomen illud affectaverant etiam duo tyranni, Cleobulus et Periander ut sapientiae gloria inclarescerent. Quos ceteri cum palam fraudis arguere non auderent, in loco conspicuo illam posuerunt literam, sic deum ipsum veritatis testem advocantes: E enim quinque significat". Sequuntur haec: ὁ μὲν οὖν Ἀμμώνιος ἡσυχῇ διεμειδίασε. Cur leniter subridet Ammonius? Delectatur, ut opinor, adolescentulo lepide historiolas fingente, sed urbane simul significat

se istud *αἰτιολογίας* artificium haud magni facere, poetarum enim illud esse non philosophorum. Cum Platone enim suo magister Plutarchi monet: „poeticis figmentis delectentur pueri et adolescentuli, adultos philosophia et vera doctrina decet".

Sed nunc, cum Sarapionis causa colloquium illud chartae mandat, iam longa effluxit annorum series: *πάλαι ποτὲ* ait *καθ' ὃν καιρὸν ἐπεδήμει Νέρων ἠκούσαμεν Ἀμμωνίου καὶ τινων ἄλλων διεξιόντων.* De *antiqua*, ut ita dicam, historia se agere sentit, quapropter ego hunc quoque libellum, ut tam multa scripta „moralia", anno fere 107 scriptum editumque statuo.

Adolescentuli ergo, cum illud colloquium habebatur (anno 66), erant et Plutarchus et Lamprias sed aliquanto maior illis Theon, licet eum *ἑταῖρον* appellet Plutarchus p. 385 E. Nam Lampriae *αἰτιολογίαν* leniter, ut lusum puerilem, ridet Ammonius, Plutarchi doctrinam Pythagoricam laudat quidem sed vix ullam eius habet rationem; ipse quoque Plutarchus quo tempore colloquium chartae mandat, illam tantum non contemnit. Legimus enim p. 387 F: *τηνικαῦτα προσεκείμην τοῖς μαθήμασιν ἐμπαθῶς, τάχα δ' ἔμελλον εἰς πάντα τιμήσειν τὸ „μηδὲν ἄγαν" ἐν Ἀκαδημείᾳ γενόμενος.* Hic voce *μαθήμασιν* ipsa illa sapientia Pythagorica significatur. At Theon iam tamquam par cum paribus certat et, minime metuens ne arrogans videatur, adversus Nicandrum dilectam suam dialecticam defendit. Eodem et alii loci ducunt, ubi Theon commemoratur, praesertim vero *Q. Conv.* VIII, 4, 5 (p. 724 D) ubi Theonis filius Caphisus satis iam est maturus ut cum viris doctis ei disputare liceat; VIII, 6, 1 (726 A), ubi Plutarchi filii iuniores a Theonis filiis reprehenduntur; *de facie i. o.* l. 7 (923 F), ubi ipse Plutarchus Theone magistro utitur. Semper mihi oritur suspicio Theonem Plutarchi fuisse in sacerdotio Delphico *decessorem.* Quae si falsa non est, Plutarchus aliquamdiu tamquam *summus sacerdos* toti oraculo praefuit. Theon enim illud senescens iam et paene neglectum suscitavit refecitque. Inspiciamus locum eo pertinentem: *de Pythiae oraculis* p. 409 B.C. Ipsius haec Theonis verba sunt:

Φιλῶ μὲν ἐμαυτὸν ἐφ' οἷς ἐγενόμην εἰς τὰ πράγματα ταῦτα πρόθυμος καὶ χρήσιμος μετὰ Πολυκράτους καὶ Πετραίου, Φιλῶ δὲ τὸν καθηγέμονα ταύτης τῆς πολιτείας γενόμενον ἡμῖν καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐκΦροντίζοντα καὶ παρασκευάζοντα.

In quibus quo modo πολιτεία dici possit res de qua agitur non video. Cetera, ex quo Wyttenbachius acute perspexit semet ipsum hic Plutarchum tecte et verecunde significare, quam maxime sunt perspicua et vitae plena. Sua auctoritate tres seniores, Theon, Polycratus, Petraeus, quorum Theon princeps, rem eo perduxerunt ut ii, penes quos ea res erat, oraculum ad pristinum esse revocandum honorem decernerent, in ipso vero opere perficiendo primas Plutarchus partes egit seque sic dignum praestitit qui mox Theoni succederet.

Est autem libellus egregius, verae sapientiae plenus, ad legendum iucundissimus, utilissimus ei qui Plutarchum eiusque aetatem bene cognoscere studet. Sed una in eo legitur sententia propter quam ego non dubito quin primarius quidam ei locus inter omnia Plutarchi scripta sit tribuendus. Et pronuntiat quidem eam Ammonius (392 A), sed ita pronuntiat ut statim sentias ipsum Plutarchum ambabus arripere manibus suamque facere hanc venerandi praeceptoris opinionem: „E istud" ait „syllaba est εἶ, secunda verbi εἰμι persona, quam qui ibi posuit ea utentem facit unumquemque qui sacram aedem intrat ut salutanti quodammodo deo respondeat: *nosce te ipsum* deus inquit, respondetque homo: equidem prorsus non *sum* sed fio, mutor, pereo, verum *esse* Tu solus habes, Numen supremum".

En, rem in omnibus Graecorum Latinorumque literis rarissimam veram pietatem, eam pietatem dico, quam Christiani quoque eo solent appellare nomine. Equidem nunquam in hunc locum incido quin statim in mentem mihi veniat rei, qua nulla unquam inter homines ad mentes commovendas aptior evenit. Consederat magnifica illa Catharinae Medicaeae aula assidebantque summi Ecclesiae publicae sacerdotes; intrabant aliquot Hugenoticae sectae pastores: stantibus his concedebatur causam suam agere. Cumque iis data esset dicendi facultas, quid eos fecisse putas? Gravemne et doctam de quaestionibus theologicis habuisse orationem? Immo vero praeunte Theodoro Beza omnes procubuerunt atque ex Bezae ipsius ore immortalia haec fluxerunt verba: „Domine Deus, pater aeterne et omnipotens, agnoscimus Tuaeque sanctae fatemur maiestati miseros nos esse peccatores". Numquam maior est homo quam cum ad aeternum Deum tollens oculos parvum

se et debilem sentit. Hoc sibi penitus esse persuasum Plutarchus illo proclamat loco.

Ad singulos locos quae annotem haec sunt:

385 B ἠκούσαμεν Ἀμμωνίου καί τινων ἄλλων διεξιόντων, ἐνταῦθα τῆς αὐτῆς ἀπορίας (sc. de isto E) ὁμοίως ἐμπεσούσης.

Notetur hic Plutarcheum illud ἐνταῦθα pro ἐνθάδε. Est enim: *hic, Delphis.*

385 C Referuntur haec Ammonii verba:

ἐπεὶ δὲ τοῦ φιλοσοφεῖν ἔφη τὸ ζητεῖν τὸ θαυμάζειν καὶ ἀπορεῖν, εἰκότως τὰ πολλὰ τῶν περὶ τὸν θεὸν ἔοικεν αἰνίγμασι κατακεκρύφθαι, καὶ λόγον τινα ποθοῦντα διὰ τί καὶ διδασκαλίαν τῆς αἰτίας.

Egregie et ipsi sententiae et eius structurae prospexit Bernardakis ἀρχή legendo pro ἔφη. Sed eaedem eximi iubent particulam καί, quae nunc ante λόγον legitur.

386 A ὁ μὲν οὖν Ἀμμώνιος ἡσυχῆ διεμειδίασεν, ὑπονοήσας ἰδίᾳ τὸν Λαμπρίαν δόξῃ κεχρῆσθαι, πλάττεσθαι δ' ἱστορίαν καὶ ἀκοὴν ἑτέρων πρὸς τὸ ἀνυπεύθυνον.

Passivi illius πλάττεσθαι rationem non perspicio; si πλάττειν legeretur, hoc secum Ammonius diceret: „Lamprias utitur eo quod ipsi in mentem venit sed se fando audivisse simulat ne ab ipso ratio reposcatur".

386 C „Vocabulum εἰ" Ammonius ait „τάξιν ἡγεμονικὴν ἐν τοῖς ἐρωτήμασιν ἔχει τῶν χρωμένων ἑκάστοτε καὶ διαπυνθανομένων, εἰ νικήσουσιν, εἰ γαμήσουσιν κτέ.

Rectissime hic Stegmannus particulam καί delet, dummodo ante τῶν χρωμένων ponatur virgula. Sequuntur haec:

τοῖς δὲ διαλεκτικοῖς χαίρειν ἔλεγε σοφὸς ὢν ὁ θεός, οὐδὲν οἰομένοις ἐκ τοῦ „εἰ" μορίου καὶ τοῦ μετ' αὐτοῦ ἀξιώματος πρᾶγμα γίγνεσθαι, πάσας τὰς ἐρωτήσεις ὑποτεταγμένας τούτῳ καὶ νοῶν ὡς πράγματα καὶ προσιέμενος.

Atra nocte haec obscuriora, et fortasse perfecto dialectico opus est ad haec vel illustranda vel emendanda. Qui donec inveniatur ego hoc propono: pro ἐκ legatur ἄνευ et totus locus sic accipiatur: dialectici putant *nihil esse* (οὐκ εἶναι πρᾶγμα) sententiam ab εἰ pendentem *nisi addatur apodosis* (ἄνευ τοῦ „εἰ" μορίου καὶ

τοῦ μετ' αὐτοῦ ἀξιώματος), sed deus, qui illis multo est sapientior, etiam sententiolas qualis est haec: *ὁ δεῖνά σε ἐρωτᾷ εἰ νικήσει tamquam plenas perfectasque* (*ὡς πράγματα*) intelligit admittitque.

386 D „Praeterea" ait idem „*εἰ* precantis est, in *εἴθε* secunda syllaba abundat". Hic recte B addit *ὥσπερ καὶ τὸ θήν*, citantur enim versus in quibus illa legitur particula: *ἐν δὲ τῷ „εἰ" τὸ εὐκτικὸν καὶ ἀποχρώντως δηλοῦσθαι* (putant homines quibus aliqua cum oraculo ratio). Deleatur *καί*, quoniam haec est sententia: ad preces significandas simplex *εἰ* sufficit, non opus est longiore *εἴθε*.

386 E Rogat Ammonium Theon *εἰ διαλεκτικῇ παρρησίας μέτεστιν οὕτω περιυβρισμένῃ ἀκηκουῖα.*

Sic traditum est; verba haud dubie corrupta in hunc modum sanare tentat B: *οὕτω περιυβρισμένης αὐτῆς ἀκηκουίᾳ.* Quod nimia verbositate languidum videtur. Duas equidem olim lectiones extitisse suspicor, vel unam lectionem et eius interpretationem: *οὕτω κακῶς ἀκηκουίᾳ* et *οὕτω περιυβρισμένῃ*, easque sic coaluisse in unum ut aliquid excideret.

387 D Theon ergo, strenue pro sua dialectica pugnans, hanc revera esse ait tripodem illum quem iuvenis etiam et incultus sustulit Hercules *καταγελῶν τοῦ „εἰ" τὸ πρῶτον τὸ δεύτερον.*

Egregie haec sic supplet Emperius: *καταγελῶν τοῦ „εἰ τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον".* Egregie enim sic tota dialectica significatur. In textum recipiendae erant, ut opinor, palmares emendationes qualis haec est, et quales fere omnes sunt Emperii, illius Reiskii redivivi. Ex eodem genere et haec est eiusdem critici:

388 B „Si numerum parem" Theon ait „in duas partes dividimus, medium fit vacuum; si imparem, restat aliquid ibidem". Ultima Graece sic traduntur: *περίεστι τῆς νεμήσεως γόνιμον.* Rectissime Emp. pro ultimo vocabulo *μόριον* restituit. Ut sexcenties in Plutarchi textu, sic hic quoque vicinum vocabulum (*γονίμου* C) vitium perperit.

Praecedunt autem de pari numero haec:

διιστάμενος ὑπολείπει τινα δεκτικὴν ἀρχὴν οἷον ἐν ἑαυτῷ καὶ χώραν.

Isto οἷον quid faciam nescio. Si μέσην eo loco legeretur, egregie omnia cum sequentibus concinerent.

388 B „Omnes numeri" sic Plutarchus adolescens ratiocinatur „si multiplicantur, in fine alium numerum habent exceptis 6 et 5. Sexies enim sex fit 36 et quinquies quinque 25, ceteris ergo numeri hi praestant; at longe praestantior 5 quam 6, etenim: ὁ μὲν τῶν ἓξ ἅπαξ τοῦτο ποιεῖ καὶ μοναχῶς αὐτὸς ἀφ' ἑαυτοῦ τετράγωνος γιγνόμενος· τῇ δὲ πεμπάδι καὶ τοῦτο μὲν συμβέβηκε κατὰ πολυπλασιασμὸν, ἰδίως δὲ τὸ κατὰ σύνθεσιν ἢ ἑαυτὴν ἢ τὴν δεκάδα ποιεῖν παρὰ μέρος, καὶ τοῦτο γίνεσθαι μέχρι παντός.

Haec quoniam haudquaquam intellexit interpres apud Wyttenbachium, sic accipienda esse moneo: „numero sex semel tantum hoc evenit, cum ex se ipso quadratum facit, at numerus 5 et in multiplicando idem habet ($3 \times 5 = 15$, $7 \times 5 = 35$) et praeterea si ipse sibi additur aut 5 aut 10 alternis prodit: 5, 10, 15 et sic in infinitum". Post παρὰ μέρος etiam traditur ἐπιβαλλούσης αὐτῇ, pro quo Emperius, ad sensum recte, ἐπιβάλλουσαν αὐτῇ, Madvigius vero, si recte refert B., ἐπιβαλλούσῃ αὐτῇ, quod et sensu cassum et turpi laborat hiatu. Equidem duo ista vocabula una litura delenda statuo; satis enim perspicuum est κατὰ σύνθεσιν.

388 F Quid attinet bonas emendationes in annotatione commemorare et in textu relinquere quae a nemine possunt intelligi? Velut hic particulam δέ exemit Emperius (lenis sane ea medicina), qua remanente omnia sunt τοῦ χάους instar.

389 A Theologi Bacchi φθοράς τινας καὶ ἀφανισμοὺς οἱ τὰς ἀποβιώσεις καὶ παλιγγενεσίας ... περαίνουσι.

Quorsum editor istud οἱ refert, qui non recipiat certam Stegmanni emendationem εἶτα δὲ (pro οἱ τάς)? Et potestne dubitari quin iure Herwerdenus pro ἀφανισμούς legi ἐμφανισμούς iusserit? An credamus Plutarchum consulto omisisse aliquid, quod necessario esset dicendum, ut aliam rem bis enuntiaret?

390 C Sic denique suam numeri 5 laudationem concludit noster:

θαυμαστή τις, ὡς ἔοικε, διανομὴ γέγονε τῶν πέντε πρὸς τὰ πέντε καὶ σύλληξις.

Satisne absurda haec? Et num quidquam aptius excogitari potest quam Wyttenbachii coniectura *τῶν πάντων πρὸς τὰ πέντε* quae in recentissima editione ne commemoratur quidem? Huc enim tota Plutarchi redit disputatio: in quinque partes pleraque omnia posse dividi et commune aliquid cum eo numero habere.

391 C *τεκμαίρομαι δὲ ταῦτ' ἐκείνων ὥσπερ εἰκόνας λέγεσθαι.*

Ne quis hic erret annoto *ταῦτα*: *τὰ ἐν Φιλήβῳ*, *ἐκείνων*: *τῶν ἐν Σοφιστῇ*.

ib. In utroque ergo libro Plato quinque *ἀρχὰς* ponit. *Πυθόμενος, Φήσει δή τις, ταῦτα πρότερος συνιδὼν Πλάτωνος, δύο* E *καθιέρωσε τῷ θεῷ.*

Pro *δύο* recte W. — nam nullus hic duobus E locus — restituit *δοκεῖ*, quo recepto, ut opinor, etiam *καθιερῶσαι* erit legendum. In ceteris utrum *Φήσει* legas an *Φησι* vel (cum W.) *Φασι* parum refert, nam sic quoque manent obscura; neque multum proficimus Wyttenbachii coniectura *εἷς πειθόμενος*, quoniam duo participia *πειθόμενος* et *συνιδὼν* simul hic ferri non possunt. Lege *Πύθιος δέ τις ταῦτα πρότερος συνιδὼν, δοκεῖ* E *καθιερῶσαι τῷ θεῷ.* Lepide hic Pythium (i. e. sacerdotem Apollinis Delphici) infert, nam subito se ad Nicandrum convertit, qui nunc eo munere fungitur.

Ad Nicandrum ergo conversus haec dicit: *τῇ γὰρ ἕκτῃ τοῦ νεοῦ μηνὸς ὅταν κατάγῃ εἰς τὴν Πυθίαν εἰς τὸ πρυτανεῖον . . .*

Pro *κατάγῃ εἰς* lege cum W. *κατάγητε* sc. *ὑμεῖς οἱ Πύθιοι.* Quae sequuntur frustra emendare conatur W., neque ipse meliora excogitare possum.

391 E Denique sic finem suae narrationi a se adolescente habitae Plutarchus imponit:

τοιοῦτο μὲν καὶ ὁ τῶν ἀριθμητικῶν καὶ ὁ τῶν μαθηματικῶν ἐγκωμίων τοῦ E *λόγος, ὡς ἐγὼ μέμνημαι, πέρας ἔσχε.*

Ut fieri solet in Plutarchi textu, vicini genitivi novum geni-

tivum pepererunt: pro *ἐγκωμίων* enim legendum est *εἰς ἐγκώμιον*. Ad maiorem enim illius literae gloriam illa erat habita oratio. Praeterea videndum annon pro *ἀριθμητικῶν* legendum sit *διαλεκτικῶν*. Hactenus enim dialecticorum et mathematicorum (i. e. Pythagoreorum) opiniones sunt expositae, a Theone et a Plutarcho. Cur hic praeterea arithmetici nominentur non video.

392 F „Vocabula" ait Ammonius „qualia sunt et alia et *ἔσται* et *γέγονε*, sunt confessiones *τοῦ μὴ ὄντος· τὸ γὰρ ἐν τῷ εἶναι τὸ μηδέπω γεγονὸς ἢ πεπαυμένον ἤδη τοῦ εἶναι λέγειν ὡς ἔστιν, εὔηθες καὶ ἄτοπον.*

Luce clarius est secundum illud *τὸ* esse eiiciendum. Sic enim decurrit sententia: *εὔηθές ἐστι λέγειν ὡς ἔστι τὸ μηδέπω γεγονὸς ἐν τῷ εἶναι ἢ κτέ.*

ib. Quod vero vocabulis *ἐνέστηκε, νῦν, πάρεστι* significamus *τοῦτ' αὖ πάλιν ἅπαν ἐκλυόμενος ὁ λόγος ἀπόλλυσι.*

Sic B. cum Eusebio, altera lectio est *ἐκδυόμενος*. E neutra aptus extundi potest sensus; sed lege *ἐνδυόμενος*, egregiam habebis imaginem: ratio enim *cuneus* quidam esse dicitur qui „praesens" istud dissipat, egregieque nunc continuo additur: *ἐκθλίβεται γὰρ εἰς τὸ μέλλον καὶ τὸ παρῳχημένον . . . ἐξ ἀνάγκης διιστάμενον.*

Loco quem vacuum reliqui legitur etiam *ὥσπερ ἀκμὴ βουλομένοις ἰδεῖν*. Pro *ἀκμή* apud Eusebium est *αὐγή* quod certe melius cum verbo *ἰδεῖν* iungitur. Sed mallem abessent quatuor illa vocabula omnia.

393 A *ὅθεν οὐδ' ὅσιόν ἐστιν οὐδ' ἐπὶ τοῦ ὄντος λέγειν, ὡς ἦν ἢ ἔσται.*

Deleatur secundum *οὐδέ*. Sententia enim est: de eo quod revera est (i. e. de Deo) dicere: „erat" vel „erit" nefas est.

Atque haec huius sententiae affertur ratio: „declinationes enim istae sunt eius rei, cuius haec est natura ut non permaneat in conditione quae *esse* nominari possit". Sic enim fere vertenda sunt verba: *ταῦτα γὰρ ἐγκλίσεις . . . μὴ πεφυκότος.*

393 D *τοὺς δ' Ἀπόλλωνα καὶ ἥλιον ἡγουμένους τὸν αὐτὸν ἀσπά-*

ζεσθαι μὲν ἄξιόν ἐστι καὶ φιλεῖν δι' εὐφημίαν, ὃ μάλιστα τιμῶσιν ὧν ἴσασι καὶ ποθοῦσιν εἰς τοῦτο τιθέντας τοῦ θεοῦ τὴν ἐπίνοιαν.

Istud δι' εὐφημίαν abesse vellem; nihil enim aliud significare potest quam: „quod ita loquuntur ut pios homines decet", quod idem inest in eo quod continuo sequitur. Et articulus fuerat addendus διὰ τὴν εὐφημίαν. Scioli annotationem esse puto.

Sequitur: ὡς δὲ νῦν ἐν τῷ καλλίστῳ τῶν ἐνυπνίων τὸν θεὸν ὀνειροπολοῦντας ἐγείρωμεν.

Haec sic vertuntur apud W.: „*in praesentia* autem eos Deum quasi in pulcherrimo omnium somniorum somnio imaginantes excitemus". Perverse, sic enim oportebat: „sed excitemus eos, *nam nunc* pulcherimum quidem de Deo somnium somniant, sed somniant tamen".

394 C Haud diu est ex quo tibia laetis adhiberi rebus ausa est: τὸν δὲ πρῶτον χρόνον εἵλκετο πρὸς τὰ πένθη.

Mire hic *trahi* tibia dicitur. Sed neque activum huius loci fuerit. Exspectes fere: ἐκάλει: ad luctus et lamentationes vocare et invitare solebat.

ib. Sic olim omnia suum sibi locum officiumque habebant εἶτ' ἐμίχθη πανταπᾶσιν.

Hic certe, quod multo saepius factum oportuit, praeclaram Emperii emendationem in textum recepit B.: πάντα πᾶσι. Quam hic commemoro quia in sequentibus recurrit vitium quod hic illam postulavit. Quid enim in tradita lectione minime erat ferendum? Quod verbum ἐμίχθη subiecto caret. Sequuntur autem haec: μάλιστα δὲ τὰ θεῖα πρὸς τὰ δαιμόνια συγχέοντες εἰς ταραχὴν αὑτοὺς κατέστησαν.

Qui quos? Partem vitii B. sustulit legendo αὐτούς pro αὑτούς, sed partem tantummodo. Nam obiectum habemus, subiectum cogitando supplere debemus, quod hoc loco, ubi summa requiritur perspicuitas, diserte erat enuntiandum. Equidem legendum puto: εἰς ταραχὴν ἄ ν θ ρ ω π ο ι κατέστησαν. Hoc requiri sensisse interpres videtur, qui haec habet: „magnaeque perturbationes *hominibus* inde obortae quod res deorum cum rebus geniorum permiscuerunt". Etiam e compendio $\overline{\text{ανοι}}$ (ἄνθρωποι) multae magnaeque obortae sunt perturbationes librariis.

DE PYTHIAE ORACULIS.

Sic enim insequens libellus latine nominari solet. Multo accuratius Graece: *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν.* Refelluntur enim ii qui eo argumento oraculo Delphico fidem et auctoritatem demere student quod non, ut olim, nunc versibus utatur Pythia. Vides argumentum cognatissimum illi quod praecedente libro tractatur, et eodem tempore utrumque scriptum mihi persuasum est. Primarias in colloquio quod hic refertur partes agit Theon, qui in libro de E Delphico tam strenue dialectices causam sustinuit. Colloquium cum habebatur, Pompeiorum Herculaneique clades recens etiamtum erat. Interea effluxisse hominis aetatem opinor. Nam *scribi* haec quae in colloquio de praesenti Pythia dicta sunt: „apud pauperes agricolas educata omni cultu caret" non potuerunt nisi multo post eius mortem, certe non ab homine decoris et honestatis amantissimo, qualis Plutarchus fuit.

A *Romanis* se lectum iri speravit Plutarchus, quod apparet ex hisce verbis in fine libri (p. 408 B): „res praesentes, de quibus consulitur deus, amo laudoque; usquequaque enim pax regnat otiumque; bellis finis est impositus, non pugnant inter se civitates, nullae iam turbae sunt, nulli tyranni, abierunt omnes illi morbi Graeci, qui olim multiplices requirebant medicinas".

Imperium Romanum auream reduxit aetatem: hoc Plutarcho persuasissimum est, hoc sine ulla adulationis specie proclamare potest ut dominis potentibus librum suum commendet.

Qui quomodo decurrat ipse Plutarchus accurate legentem edocebit, viae compendium quaerentibus praestantissimus dux Volkmannus praesto erit.

De singulis eius locis haec annoto:

394 E Expostulat Basilocles cum Philino quod eius culpa — nam totum insumpsit diem ad hospitem circum donaria Delphica ducendum — sibi tam diu illius fuerit exspectandus reditus. Sic se Philinus excusat:

βραδέως γὰρ ὡδεύομεν ... σπείροντες λόγους καὶ θερίζοντες εὐθὺς μετὰ μάχης ὑπούλους καὶ πολεμικούς, ὥσπερ οἱ Σπαρτοί, βλαστάνοντας ἡμῖν καὶ ὑποφυομένους κατὰ τὴν ὁδόν.

Hic ego primum *μετὰ μάχης* delendum censeo utpote moleste abundans sequente *πολεμικούς*. Deinde in *ὑπούλους* haereo, quod neque quomodo de sermonibus recte dicatur neque quomodo cum *πολεμικούς* iungi possit video. Vix dubito quin *ἐνόπλους* sit legendum; lepide tum sermones cum Spartis comparantur.

395 A Diogenianus est hospes ille, quem Philinus ut sapientiae studiosum magnopere laudat, additque haec:

ὥστε καὶ βραχὺ συγγενόμενον εὐθὺς εἰπεῖν· „τέκος ἀγαθοῦ πατρός". οἶσθα γὰρ Διογενιανὸν ἀνδρῶν ἄριστον.

Est ergo Diogeniani filius.

395 BC *τὸν μὲν γὰρ Κορίνθιον* (sc. *χαλκὸν*) *οὐ τέχνῃ ἀλλὰ συντυχίᾳ τῆς χροιᾶς λαβεῖν τὸ κάλλος.*

Iure hic *Φασιν* editor addit. Sequitur nota narratio de Corinthii aeris origine: incendium in aedibus quibusdam auri argentique sed multo maiorem aeris confudit inter se copiam, quo facto

ὄνομα τοῦ χαλκοῦ τῷ μείζονι τὸ πλῆθος παρέσχεν.

Corrupta haec esse ultro clamat editor sic interpretando scilicet: *τὸ πλῆθος τοῦ χαλκοῦ παρέσχεν ὄνομα* (*τοῦ χαλκοῦ*) *τῷ μείζονι* (sc. *μέρει τοῦ χαλκοῦ*)! Haud male sic emendat Stegmannus *ὄνομα τοῦ χαλκοῦ τὸ μεῖζον πλῆθος παρέσχε.* Sed neque unde nata sit vitiosa lectio apparet et suo sibi dativo verbum *παρέσχε* caret. Plutarchum equidem scripsisse opinor: *ὄνομα τοῦ χαλκοῦ τῷ παντὶ τὸ μεῖζον πλῆθος παρέσχεν.*

395 F Philinus amico narrans de colloquiis cum hospite, dum circumducebatur, habitis Theoni primas partes tribuit, qui acuta quadam Aristotelis commemorata coniectura de peculiari Delphici aeris colore, sic ad reliquam parat disputationem transitum:

ἂν οὖν καὶ αὐτοί τι τοιοῦτον ὑποθέσθαι δυνηθῶμεν, οὐ παντάπασιν ἀπορήσομεν ἐπῳδῆς καὶ παραμυθίας πρὸς τὴν ἀπορίαν.

Iam primo aspectu istud *ἀπορήσομεν . . . ἀπορίαν* suspicionem vitii movet illius in textu Plutarchi tam crebro recurrentis. Et re vel obiter considerata haec sana non esse elucet. Nihil enim iucundius hi philosophi norunt quam ipsas *ἀπορίας*, neque ullo praeterea delenimento opus est ut summam ex iis capiant de-

lectationem. Sed quid hic colloquiis est condiendum et suavius reddendum? Ipsa, ut opinor, res in qua cum maxime versantur; quae quantum habeat laboris probe norunt qui unquam maius aliquod imaginum statuarumque perlustrarunt museum; vix ulla excogitari potest *via* quae magis defetiget euntes. Lege ergo *πρὸς τὴν πορείαν*. Quam coniecturam egregie confirmat illustratque locus in initio libri *de cohibenda ira* (453 C). Ibi Sulla Fundanum rogat ut sibi rem quandam exponat *τῆς ὁδοιπορίας σχολὴν διδούσης*. Iam satis diu hi amici ambularunt, nunc paulisper requiescere iis licet.

396 C Aeris subtilitas (*λεπτότης*) non solum aeruginis causa est *ἀλλὰ καὶ τὴν χρόαν αὐτὴν ποιεῖν ἔοικεν ἡδίονα.*

Ecquid dubitari potest quin recte *αὕτη* scribi iusserit Emperius?

396 D „Saepe miratus sum" Diogenianus ait „tam ingratos saepe esse versus quibus oracula sunt concepta"

καίτοι μουσηγέτης ὁ θεός, καὶ τῆς λεγομένης λογιότητος οὐχ ἧττον αὐτῷ καλὸν ἢ τῆς περὶ μέλη καὶ ᾠδὰς εὐφωνίας μετεῖναι.

Ne contrarium dicat D. eius quod cogitat exime *ἤ*. Sic enim ei est disputandum: „Musarum dux est deus, decet ergo eum non minus esse participem poeticae artis quam sapientiae". Sequitur:

τοὺς δὲ πολλοὺς τῶν χρησμῶν ὁρῶμεν καὶ τοῖς μέτροις καὶ τοῖς ὀνόμασιν πλημμελείας καὶ φαυλότητος ἀναπεπλησμένους.

Ut recte procedant omnia, obtemperandum est Bernardakio post *ὁρῶμεν* addenti *εἶπε.*

396 F Commemorata lepida narratione de equo quem currentem pinxerat Pauso in equum qui se volutat converso ab eodem, sic disputare pergit Boethus geometra:

τοῦτό φησιν ὁ Βίων ἐνίους τῶν λόγων πάσχειν, ὅταν ἀναστρέφωσι.

Immo *ἀναστραφῶσι* cum Perizonio.

397 B „Non *dulces* esse oportet versus, sed *rectos*" monet Sarapio poeta et sic illam claudit disputationem: *ἡδονὴν γὰρ οὐ προσίεται τὸ ἀπαθὲς καὶ ἁγνόν, ἀλλ' ἐνταῦθα μετὰ τῆς Ἄτης ἐρρίφη καὶ τὸ πλεῖστον αὐτῆς καὶ ὡς ἔοικεν εἰς τὰ ὦτα τῶν ἀνθρώπων συνερρύηκεν.*

ἐνταῦθα Plutarcheo more *huc*, in terras. Recte enim interpres sic ultima vertit: „voluptas simul cum Noxa in hanc terram proiecta est, et maxima eius pars, ut apparet, in aures hominum confluxit". Sed ut haec evadat sententia, ultimum istud καί delendum est.

ib. „Sarapion" Theon ait „more suo disputavit":

ἡμεῖς δὲ κἂν ᾖ φαυλότερα τῶν Ὁμήρου ταῦτα τὰ ἔπη, μὴ νομίζωμεν αὐτὰ πεποιηκέναι τὸν θεόν.

Rectissime B. κἂν μὴ ᾖ. Non enim periculum est ne mali sed ne egregii versus a deo facti videantur.

397 C Boethum aliosque geometras Theon Ἐπικούρου προφήτας appellat: δῆλος γὰρ εἶ (ὦ Βόηθε) καὶ αὐτὸς ὑποφερόμενος.

Sensu cassa haec; insere ἐκεῖσε post αὐτός, aptissimam hanc habebis sententiam: „apparet te quoque ad illam delabi philosophiam".

397 D „Scire cupimus omnes" Diogenianus ait:

πῶς πέπαυται τὸ μαντεῖον ἔπεσι καὶ λόγοις χρώμενον.

Absurda haec: sic enim neque vincta neque soluta oratione utetur oraculum. Pro λόγοις R. ἄλλοις μέτροις, minus audacter quam videtur, nam p. 402 B haec legimus: τῆς αἰτίας, ἣ πέπαυκε τὴν Πυθίαν ἐν ἔπεσι καὶ ἄλλοις μέτροις θεσπίζουσαν.

397 EF Miraculum hoc commemorat hospes. Hieronis columna aerea collapsa est eo ipso die quo ille Syracusis occidit. „Tum ego" sic narrat Philinus „in memoriam redii aliorum miraculorum quae eodem modo instans aliquod malum praenuntiarunt". Atque ea enumerat, sed sic nobis sunt tradita ut haud leves oriantur dubitationes. Prima enim verba haec sunt:

οἷα δὴ τοῦ Ἱέρωνος μὲν τοῦ Σπαρτιάτου.

Iam hoc miraculi instar quod sic subito post Hieronem Syracusanum infertur Hiero Spartanus. Ad Xen. Hell. VI, 4, 9 nos relegat Bernardakius, et revera ibi Hiero quidam nominatur, sed ne hoc quidem apparet *Spartanum* illum fuisse. Legimus enim apud Xenophontem: οἵ τε μετὰ τοῦ Ἱέρωνος μισθοφόροι καὶ οἱ τῶν Φωκέων πελτασταί κτέ. Sed fac Spartanum fuisse, fac

alterius Hieronis nomine audito subito alterius memorem factum Philinum — quamquam id diserte fuerat significandum —, qualis est Xenophonteus ille Hiero et qualis hic Spartanus apud Plutarchum? Dux ille mercennariorum, ut antea bellatores illi de quibus in Anabasi legimus, at hic vir quidam amplissimus, pari cum ipso Lysandro dignitate, nam ut Lysander suam sibi *statuam* Delphis habebat. Sequuntur haec:

οἱ δὲ ἀστέρες ἠφανίσθησαν οὓς Λύσανδρος ἀνέθηκεν ἀπὸ τῆς ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίας.

Quid haec cum Hierone nostro? Tertium portentum huiuscemodi est:

ὁ δ' αὐτοῦ τοῦ Λυσάνδρου λίθινος ἀνδριὰς ἐξήνθησεν ἀγρίαν λόχμην κτέ.

Unde vides qualium sit virorum suam sibi Delphis habere statuam: regum et eorum qui regibus vix inferiores, ut Lysander fuit, non obscurorum praefectorum. Denique quid huic loco acciderit quaero etiam, quin aliqua acciderit calamitas nullus dubito.

398 A Publicis portentis privatum hoc adiungitur: corona aurea, quam Pharsaliae saltatrici donavit Philomelus Phocensium tyrannus, ipsam ludentem prope templum Apollinis (*ἐν Μεταποντίῳ* additur, nonne *Μεταπόντῳ* legendum?) occidit:

ὁρμήσαντες γὰρ ἐπὶ τὸν στέφανον οἱ νεανίσκοι καὶ μαχόμενοι περὶ τοῦ χρυσίου πρὸς ἀλλήλους διέσπασαν τὴν ἄνθρωπον.

Absurdum istud *οἱ νεανίσκοι* videtur. An forte *adolescentuli* natura hoc habent ut auro conspecto accurrant et spoliare mulierem, quae eo est ornata, incipiant? *Fures* ego illos et *latrones* appellaverim. Suspicor *avium* aliarumve *bestiarum* rapacium, quas fama Plutarchi aetate ferebat auri cupidas esse, hic latere nomen. Certe articulus *οἱ* erit delendus.

ib. Postquam Philinus donariorum Delphicorum praedicavit vim divinam

ὁ Βόηθος „ναί" εἶπεν „οὐ γὰρ ἀρκεῖ" κτέ.

Ne quis erret, Boethum „ironica" (ut nos loquimur) oratione uti moneo. Etenim parum abest quin geometra ille ad Epicureos transeat (399 D): certe iam nunc miracula omnia adunco suspendit naso.

398 B Eum sic refutat amicus:

εἶτα τύχη σοι δοκεῖ καὶ αὐτόματον τῶν τοιούτων (sc. miraculorum modo commemoratorum) *ἕκαστον ἐοικέναι.*

Non cohaerent haec; coniectura Bernardakii *πεποιηκέναι* pro *ἐοικέναι* Plutarchi manus restitui videtur.

Recte idem in sequentibus

καὶ πιθανόν ἐστι τὰς ἀτόμους ἐξολισθεῖν . . . μήτε πρότερον μηθ' ὕστερον, ἀλλ' ἢ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον κτέ.

illud *ἢ* inseruit.

398 D Prima Pythia, sicut ipsa canit, ne mortua quidem vaticinari desinet

ἀλλ' αὐτὴ μὲν ἐν τῇ σελήνῃ περίεισι τὸ καλούμενον Φαινόμενον γενομένη πρόσωπον.

Tria ista participia sic deinceps posita non concoquo; cum sententiae emolumento *καλούμενον* delebis.

398 E De urbibus terrae motu deletis loquens Philinus et alia commemorat et

πετρῶν καὶ Φλεγμονῶν ὑπὸ πνεύματος ἀναρρίψεις.

De *Φλεγμονῶν* dubito; interpres dat „massarum flagrantium"; sed estne haec vocabuli Graeci vis?

398 F Hisce omnibus rebus terribilibus, quas tamen praedixerat oraculum, commemoratis, sic disputationem suam concludit:

ταῦτα γὰρ εἰ γέγονε πιστεῦσαι χαλεπόν ἐστι, μή τί γε προειπεῖν ἄνευ θειότητος.

Deest aliquid et sic supplendum: *τ. γ. εἰ ἐπεὶ γέγονε πιστ. χ. κτέ.* Nam sententia est:

Si haec, etiam postquam evenerunt, vix credibilia sunt, certe praedici sine vi divina non potuerunt.

399 A „Sibyllae et Bacides" sic incredulus ille Boethus ratiocinatur „in tempus infinitum tamquam in Oceanum temere vocabula quaedam et nomina coniiciunt"

οἷς, γιγνομένων ἐνίων ἀπὸ τύχης, ὁμοίως ψεῦδός ἐστι τὸ νῦν λεγόμενον, κἂν ὕστερον ἀληθῶς, εἰ τύχοι γένηται.

Annotat B. „οἷς iungas cum *ὁμοίως*". Haud credo, sed aut *ὅμως* est legendum aut *ὁμοίως*, ut saepe, significat *nihilominus*: „vocabula ista, etiamsi forte fortuna quaedam eveniunt, tamen nihilominus quod cum maxime dicunt tamquam mendacium habent". Sic locum magister discipulo interpretetur. Nam *οἷς ἐστι* = *ἃ ἔχει*.

399 B Boetho sic respondet Sarapio: vere istud statuitur *περὶ τῶν ἀορίστως καὶ ἀνυποθέτως λεγομένων· „εἰ νίκη στρατηγῷ προείρηται, νενίκηκεν·" „εἰ πόλεως ἀναίρεσις, ἀπόλωλεν".*

Dubium non est quin utrumque *εἰ* sit eximendum. Boethus enim vulgi stultitiam refutavit sic ratiocinantis: „huic vel illi duci victoria est praedicta et vicit; urbis cuiusdam eversio est praedicta et eversa est illa urbs; ergo fides habenda est oraculis", hoc argumento usus: „longo tempore nihil non fit; necessarium ergo est aliquando res concinere cum dictis".

„Sed revera" ita pergit Sarapio „fit vaticinatio si non solum quid sit eventurum praedicitur sed etiam quando, quomodo cett."

καὶ ταῦτ' ἔστιν εἰς τὴν Ἀγησιλάου χωλότητα.

Ne non cohaerentia Sarapio loquatur, *ὧν* his est praemittendum.

399 D Tum enumeratis quibusdam plenis perfectisque vaticiniis haec addit idem:

ἐν τούτοις γὰρ οὐδὲν ἀτέκμαρτον οὐδὲ τυφλὸν ἀφεῖται, ὥστε τύχην ζητεῖν ἐν ἀπειρίᾳ· ὁ δὲ λόγος ἄλλα τε πολλὰ τῆς πείρας ἐνέχυρα δίδωσι καὶ δείκνυσι τὴν ὁδὸν, ᾗ βαδίζει τὸ πεπρωμένον.

Egregiam hanc lectionem e disiectis quae tradita sunt membris ingeniose reposuit Bernardakius; revera enim imperfecta oracula *ἐν ἀπειρίᾳ τύχην ζητεῖ* i. e. „in infinito tempore, quod futurum est, fortuitum consensum rerum cum iis quae praedicta sunt quaerunt".

400 B Sarapioni allegorice ranas in Corinthiorum donario insculptas interpretato ita ut artifex iis significaverit *τὴν ἐξ ὑγρῶν τροφὴν τοῦ ἡλίου* respondit Philinus:

ποῦ σὺ πάλιν, ὦ χρηστέ, τὴν Στοὰν δευρὶ παρωθεῖς καὶ ὑποβάλλεις ἀτρέμα τῷ λόγῳ τὰς ἀνάψεις καὶ ἀναθυμιάσεις, οὐχ ὥσπερ αἱ Θετταλαὶ κατάγων τὴν σελήνην καὶ τὸν ἥλιον.

Post *κατάγων* recte inseruisse *ἀλλ' ἀνάγων* Reiskium apparet ex iis quae continuo sequuntur: *ὡς ἐντεῦθεν ἀπὸ γῆς καὶ ὑδάτων βλαστάνοντας*. Deinde videndum annon hic quoque *ἠρέμα* pro *ἀτρέμα* sit legendum: sensim enim et clam ista Stoicus noster introduxit. Denique pro *ποῦ* aliud quid requiritur, opinor *πόθεν*.

400 B „Et tamen vos, Stoici, deridetis Empedoclem qui dixit *τὸν ἥλιον περὶ γῆν ἀνακλάσει φωτὸς οὐρανίου γενόμενον αὖθις ἀνταυγεῖν πρὸς ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις*".

Cur in textu hae retinentur insaniae, cum dudum vera sit inventa lectio: *περιαυγῆ* (Wytt.)?

400 D „Deinde Apollinem et Solem eundem esse deum opinamini". Hic Sarapio: *σὺ γὰρ οὐχ οὕτω νομίζεις ἀλλ' οἴει τὸν ἥλιον διαφέρειν τοῦ Ἀπόλλωνος;*

ἔγωγ', εἶπεν, ὡς τοῦ ἡλίου τὴν Σελήνην.

Miserum istud *εἶπεν* totum drama disturbat; lege *εἶπον*, nam Philinus ipse refert quaecunque in illo colloquio dixit. Recte interpres apud W. „omnino, *inquam*. sicut Luna a sole differt", sed in textu Graeco *εἶπεν* legitur!

400 E Novam quaestionem ducibus proponit Sarapio:

ἀπορίᾳ δ' αἰτίας ἐμοὶ γοῦν δοκεῖ σιωπώντων ἐκείνων, ἐπιγελάσας ἐγώ κτἑ.

Recte ante *ἐμοί* Reiskius *ὡς* inseruit, sed praeterea *δοκεῖ* in *ἐδόκει* erat mutandum: refert enim Philinus colloquium ante habitum. Mirum id non semper tenuisse editores.

ib. *Δελφοὶ μὲν οὖν ἔδοσαν ὡς δίκαιον καὶ συνεχώρησαν.*

Ecquid *ἔδοσαν* et *καί* eximenda? Numquam equidem sic *διδόναι* et *συγχωρεῖν* inter se iuncta vidi. Recte interpres solum *συνεχώρησαν* vertit: „concessisse".

401 D Bilem Crateti movit Praxiteles *τῇ ἐρωμένῃ τυχὼν αὐτόθι δωρεᾶς.*

Hic quoque obtemperatum oportuit Emperio *χώρας* reponenti. Vide 400 F: *„ἦν ἄρα τῆς αὐτῆς" ἔφη* (Diogenianus) *„πόλεως Ῥοδώπιδι μὲν χώραν παρασχεῖν, Αἴσωπον δ' ἀπολέσαι".*

Locum praebent Delphi Rhodopidi i. e. eius statuam in templo poni permiserunt, atque idem ab iis Praxiteles suae amasiae impetrat.

401 E Croesi novercam aiunt *φάρμακον δοῦναι τῇ ἀρτοποιῷ καὶ κελεῦσαι διαπλάσασαν ἄρτον ἐξ αὐτοῦ τῷ Κροίσῳ παραθεῖναι.*
Quomodo *fingi* possit panis *e veneno* non video.

ib. Tyranni Phocenses ex aureis argenteisque donariis nummos fecerunt et per urbes sparserunt; tum Opuntii *συναγαγόντες ὅσον ἀργύριον, ὑδρίαν ἔπεμψαν ἐνθάδε τῷ θεῷ καὶ καθιέρωσαν.*
Infelix est Madvigii coniectura *ὅσιον*, nam requiritur praeterea etiam articulus et *auri* mentio. Eiectis verbis *ὅσον ἀργύριον* omnia ordine procedunt: sparsos illos nummos undique collegerunt (denuo conflarunt et urnam confecerunt); hanc tum miserunt Delphos. Inclusa facile *ἐκ τῶν συμφραζομένων* supplentur.

402 A *πλῆκτρον ἀνέθηκαν τῷ θεῷ χρυσοῦν ἐπιστήσαντες ὡς ἔοικε Σκυθίνῳ λέγοντι* (sequuntur huius poetae versus).
Male interpres *ἐπιστήσαντες* vertit *obtemperantes*. Haud raro apud Plutarchus *ἐπιστῆσαι* hoc fere sensu legitur: *considerare aliquam rem*. Supplendum enim est *τὸν νοῦν*.

402 B *περὶ τούτων ἀκούσωμεν ἐνταῦθα καθίσαντες.*
En insigne exemplum *ἐνταῦθα* pro *ἐνθάδε* positi!

402 D *οὐκ ὀρθῶς οὖν Εὔδοξος ἐπίστευσε τοῖς Στυγὸς ὕδωρ τοῦτο καλεῖσθαι πεφήνασι.*
Quid in ultimo vocabulo lateat incertum, sed non quod B. proponit *γε φήσασι.*

402 E afferuntur versus duo, quorum prior est hexameter:
συμφέρετε πτερά τ', οἰωνοί, κηρόν τε, μέλισσαι.
Quidni, obsecro, editor obtemperat Emperio prius illud *τε* inserenti?
Alter sic traditur:
ὅτε τῷ θεῷ ἐπιδεᾶ γενομένην ἀποβαλεῖν τὸ σεμνόν
sed exempto *τῷ* et rescripto cum Benselero *θεῶν* bellus exsistit creticus.

Sic pergitur:
ὁ Σαραπίων . . . εἶπεν.
Ut ordine procedat narratio, post nomen insere *δέ*.

403 F Theopompus cum demonstrare vellet olim Pythiam semper versibus usam
παντάπασιν ὀλίγων χρησμῶν ηὐπόρηκεν, ὡς τῶν ἄλλων καὶ τότ' ἤδη καταλογάδην ἐκφερομένων.
Nemo nostrum, ut opinor, docendus etiam est pedestria oracula restare cum quae versibus sunt concepta excipiuntur. Ergo ne perdat verba Plutarchus, cum Herwerdeno legamus *τῶν πολλῶν* pro *τῶν ἄλλων*.

ib. *ἔνιοι δὲ καὶ νῦν μετὰ μέτρων ἐκτρέχουσιν, ὧν ἕνεκα καὶ πρᾶγμα περιβόητον πεποίηκε.* Sequitur iocosa narratio.
Recte pro *ὧν ἕνεκα* W. commendavit *ὧν ἕνα*, sed praeterea pro *καὶ πρᾶγμα* legendum est *τὸ πρᾶγμα* vel *αὐτὸ τὸ πρᾶγμα*.

404 A *οὐ μὴν ἀλλὰ δοὺς ἄν τις, ὡς οὐδὲν ἄνευ μέτρου θεσπίζεται καθ' ἡμᾶς* (magis haerebit cum quaeret quid sit quod olim oracula reddebantur modo versibus concepta modo metris soluta).
Veritati convenientius interpres: „enimvero dans hoc aliquis, nihil *cum numeris* hodie responderi", sed qui id e Graecis verbis efficit? Praeterea corruptum est *ἄν* (B. *αὖ*). Ipsa verba non praesto, sed requiritur fere: *θαυμάζων τις ὡς οὐδὲν μετὰ μέτρου.* Neque temere coniicio revera olim *μετὰ μέτρου* scriptum fuisse: facile ante *μέτρου* excidere *μετά* potuit, tum sciolus de suo *ἄνευ* addidit.

404 C *ὀργάνου δ' ἀρετὴ μάλιστα μιμεῖσθαι τὸ χρώμενον ᾗ πέφυκε δυνάμει καὶ παρέχειν τὸ ἔργον αὐτοῦ [τοῦ νοήματος ἐν αὐτῷ δυναμένη, δεικνύναι δ'], οὐχ οἷον ἦν ἐν τῷ δημιουργῷ καθαρὸν καὶ ἀπαθὲς καὶ ἀναμάρτητον, ἀλλὰ μεμιγμένον πολλῷ τῷ ἀλλοτρίῳ· καθ' ἑαυτὸ γὰρ ἄδηλον ἡμῖν, [ἕτερον δὲ καὶ] δι' ἑτέρου (δὲ) φαινόμενον ἀναπίμπλαται τῆς ἐκείνου φύσεως.*
Deleantur inclusa et *δέ* addatur.

ib. *καὶ κηρὸν μὲν ἐῶ καὶ χρυσὸν ἄργυρόν τε καὶ χαλκόν, ὅσα τ' ἄλλα [πλαττομένης οὐσίας εἴδη] δέχεται μὲν ἰδέαν μίαν [ἐκτυπουμένης ὁμοιότητος], ἄλλο δ' ἄλλην ἀφ' ἑαυτοῦ τῷ μιμήματι διαφορὰν προστίθησι.*

Inclusa e margine irrepserunt.

404 D *καὶ γάρ εἰσι* ** *οὐδὲν οὔτε μᾶλλον τὴν ἰδέαν ἔοικεν οὔθ' ὡς ὄργανον χρῆσθαι φύσει γέγονεν εὐπειθέστερον σελήνης,* sed remittit lumen solis mutatum.

Quo modo vitium natum sit obscurum est sed pro *εἰσι* cum W. reponendum est *ἡλίῳ*, tum nihil deest, ut recte statuit idem.

404 E Deus sententias suas monstrat *διὰ σώματος θνητοῦ καὶ ψυχῆς ἡσυχίαν ἄγειν μὴ δυναμένης μηδὲ τῷ κινοῦντι παρέχειν ἑαυτὴν ἀκίνητον ἐξ αὑτῆς καὶ καθεστῶσαν, ἀλλ' ὥσπερ ἐν σάλῳ ψαύουσαν [αὑτὴν] καὶ συμπλεκομένην τοῖς ἐν ἑαυτῇ κινήμασι καὶ πάθεσιν ἐπιταράττουσιν αὑτήν.*

Prius *αὑτήν* cum W. delendum censeo, sed quod idem pro *ψαύουσαν* legere vult *ψοφοῦσαν*, videndum annon multo rectius illud cum *συμπλεκομένην* iungatur.

404 F Non potes *κινῆσαι σφαιδρικῶς κύλινδρον ἢ κυβικῶς.* Malim cum Stegmanno *ἢ κυβικῶς* delere quam post *ἢ* inserere cum W. *σφαῖραν*, quod totum locum nimis verbosum reddit.

ib. *ἀλλ' οὐχ ἕτερον ὡς ἔοικε τὸ τεχνικῶς ἑκάστῳ χρῆσθαι καὶ τὸ ὡς πέφυκε.*

Alterum *τό* ego inserui. In sequentibus notetur dilectum illud Plutarcho *ἤπου* ad rem absurdam notandam.

405 A *μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ Ὅμηρος, αἰτίας μὲν „ἄνευ θεοῦ" οὐδὲν ὡς ἔπος εἰπεῖν ὑποτιθέμενος περαινόμενον, οὐ μὴν πᾶσι πρὸς πάντα χρώμενον ποιῶν τὸν θεόν.*

Isto *αἰτίας μέν* quid faciam non video. Interpres omittit, et libenter iis caremus. W. nihil annotat.

405 D *τὴν δὲ τῆς Πυθίας φωνὴν καὶ διάλεκτον ὥσπερ ἐκ* ** *θυμέλης, οὐκ ἀνήδυντον οὐδὲ λιτὴν ἀλλ' ἐν μέτρῳ καὶ ὄγκῳ καὶ*

πλάσματι καὶ μεταφοραῖς ὀνομάτων καὶ μετ' αὐλοῦ φθεγγομένην παρέχειν ἀξιοῦμεν.

B. supplet *χορευτῶν* sed fortasse nihil hic deest; ingeniose idem *παρηχεῖν* pro *παρέχειν* coniicit, quo recepto *φθεγγομένην* equidem deleverim.

406 A *ὅτι οὐδ' ὅσιον εἰπεῖν κτέ.*

Quoniam novum hic argumentum annectitur praecedenti, pro *ὅτι* cum R. *ἔτι δὲ* legendum erit.

406 D *οὐδὲ μαντικῇ κόσμου καὶ χάριτος ἐφθόνει ὁ θεὸς οὐδ' ἀπήλαυνεν ἐνθένδε τιμωμένην μοῦσαν τοῦ τρίποδος.*

Pro *τιμωμένην* Madvigius *ἠτιμωμένην* coniecit, equidem nil nisi *τὴν* reponere malim, non enim *perfecto* (*ἠτιμωμένην*) locum hic esse credo.

406 E *κατέβη μὲν ἀπὸ τῶν μέτρων ὥσπερ ὀχημάτων καὶ τῷ πεζῷ μάλιστα τοῦ μυθώδους ἀπεκρίθη τἀληθές.*

Pro *καί* B. *κἄν*, iniuria, ut opinor: pedestris oratio *effecit* ut vera a fabulosis secernerentur.

407 A Recte hic *οὐ μόνον* transponit R. ut ante *ᾐτιῶντο* legatur; sic ordine procedunt omnia.

407 B *Ὀνομάκριτοι δ' ἐκεῖνοι καὶ Ἡρόδοτοι καὶ Κιναίθωνες ὅσην αἰτίαν ἠνέγκαντο τῶν χρησμῶν, ὡς τραγῳδίαν αὐτοῖς καὶ ὄγκον οὐδὲν δεομένοις προσθέντες, ἐῶ λέγειν οὐδὲ προσίεμαι τὰς διαβολάς.*

In his *προσίεμαι* praeclara est Wyttenbachii emendatio pro *προσεῖναι*. Praecedentia sic reddit interpres: „taceo quantum criminis oraculis attulerint e. q. s.", quod nullo pacto e Graecis effici potest. Dele *τῶν χρησμῶν*, ut aptissima haec nascatur sententia: „quam susceperint infamiam". Proxime praecedit *τοῖς χρησμοῖς* ita ut *αὐτοῖς* satis sit perspicuum.

407 C Vehementer perstringuntur Magnae Matris et Serapidis circulatores *οἱ μὲν αὐτόθεν οἱ δὲ κατὰ κλῆρον ἔκ τινων γραμματείων χρησμοὺς περαίνοντες.*

Istud *κατὰ κλῆρον* interpres vertit: *forte quadam.* Equidem de

hereditate potius cogitandum censeo: plani isti aut fingebant oracula ipsi aut a parentibus accepta decantabant.

407 D Olim oraculum tantummodo a civitatibus magnisque regibus consulebatur

οὓς ἀνιᾶν καὶ παροξύνειν ἀπεχθείᾳ πολλὰ τῶν ἀβουλήτων ἀκούοντας οὐκ ἐλυσιτέλει τοῖς περὶ τὸ χρηστήριον. (Ideo obscure loquebatur Pythia).

Istud *ἀπεχθείᾳ* quid sibi vult? Deleto nihil desiderabimus. An forte *σαφηνείᾳ* legendum?

408 C „In hac pace Romana, qua fruimur omnes" Theo ait „etiam civitates non iam ut antea de bellis sed de levioribus oraculum consulunt rebus. Ergo nunc magnifica uti oratione

ἔργον ἐστὶ φιλοτίμου σοφιστοῦ καλλωπίζοντος ἐπὶ δόξῃ χρηστήριον."

Ultimum vocabulum abesse malim; certe articulus est addendus.

408 E *ὥστε ταυτὶ μὲν τὰ προγεγραμμένα κτέ.*

Pro *ὥστε* requiritur *εἶτα* aliave coniunctio in eandem sententiam. Novus enim hominum error perstringitur, praecedenti cognatus.

408 F Recta linea brevissima; ideo *ἡ τῆς Πυθίας διάλεκτος* non ambagibus usa sed *εὐθεῖα πρὸς τὴν ἀλήθειαν οὖσα* nunquam falsi est convicta.

Immo *ἰοῦσα*.

409 C „Strenue quidem" Theo ait „cum fideli adiutore (Plutarcho) operam dedi ut oraculo pristinus redderetur splendor"

ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἄλλως ὅτι τηλικαύτην καὶ τοσαύτην μεταβολὴν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ γενέσθαι δι' ἀνθρωπίνης ἐπιμελείας sine ipsius dei opera.

Locus saepe tentatus deleto *ὅτι* persanabitur; bene iunguntur *ἄλλως δι' ἀνθρωπίνης ἐπιμελείας*: sic temere, solo hominum labore.

DE DEFECTU ORACULORUM.

Absolvitur et perficitur hoc libello corpusculum illud „Delphicum" quod aut nullis aut brevibus intervallis a nostro philosopho et sacerdote scriptum mihi videri toties iam dixi, qua in causa nescio an neminem habeam adversarium, tam semet ipsa commendat. Hac una tamen re hic libellus a praecedentibus discrepat quod semet ipsum auctorem eius esse Plutarchus dissimulat. Etenim colloquium hic refertur multis abhinc annis habitum, et refertur non a Plutarcho sed a fratre eius Lampria, vide p. 413 D. E. (modo coeptum est colloquium):

ἡσυχίας δὲ γενομένης ἐπ' ὀλίγον, ὁ Ἀμμώνιος ἐμὲ προσαγορεύσας „ὅρα τί ποιοῦμεν" εἶπεν „ὦ Λαμπρία, καὶ πρόσεχε τῷ λόγῳ τὴν διάνοιαν" κτέ.

Atque ipse liber sic incipit:

ἀετούς τινας ἢ κύκνους, ὦ Τερέντιε Πρίσκε, μυθολογοῦσιν κτέ.

ergo Lamprias librum Terentio Prisco dedicat, is aut revera eum scripsit, aut — quod multo est verisimilius — scripsisse fingitur. Ille Terentius Priscus haud dubie nobilis quidam fuit Romanus, cuius patrocinio cum ipso libello commendantur oracula Graeca.

Est autem libellus lectu iucundissimus, vitae plenus et qui sua varietate legentes detineat; oratio multo est quam praecedentium limpidior. Et prae caeteris indolem plane Plutarcheam spirat. Ne multa afferam, observa quantopere hic scriptor Platonis dictum illud admiretur (430 D): *ὡς ἔχειν τὸ πᾶν εἰκός, οὗ θεὸς ἄπεστι*, quod libere et ex memoria hic citat, nam apud Platonem (in Timaeo 53 B) legitur: *ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν ἅπαν ὅταν ἀπῇ τινὸς θεός*. Vides in deliciis hoc fuisse scriptori nostro proverbium quod sic suum redddiderit. Sed magis ipse Plutarchus prodit ex iis quae p. 410 B legimus. Plutarchus enim unaquaque quam scripsit pagina omnibusque studiis suis tacitus declarat quaecunque quaerat investigetque ea omnia ideo sibi cordi esse quod ad ipsum Deum melius cognoscendum sic via muniatur. In hoc autem libro diserte declarat (p. 410 B) philosophiam theologiam *τέλος ἔχειν*, philosophiam si recte tractetur theologiae causa tractari. Ad quae verba Hirzelius in nobili

libro de Plutarcho haec annotat (suo sermone loquentem virum doctum induco): „wo indessen nicht Plutarch sondern Kleombrotos spricht, was man immer und immer *zu übersehen liebt*". Quod parum accurate dictum est nam haud dubie *loquitur* hic Plutarchus (vel quod eodem, ni fallor, redit frater eius Lamprias), sed citat Cleombroti dictum et tam libenter quidem tantoque cum assensu citat ut quod ipsi est persuasissimum sic disertius etiam declaret quam si suis ipse verbis uteretur. Quorsum autem mordax illud convicium quod in verbis *zu übersehen liebt* inest? Quisquamne tam iratis diis natus est ut hunc locum vel obiter adspiciens Cleombroti nomen non videat? Vel tam versutus fallaxque ut se non videre simulet? An scripta ea verba hoc sunt consilio ut legentibus suspicio nascatur esse nescioquem stolidum hominem fatuumque qui nunquam Plutarchi librum *de defectu oraculorum* inspexerit et tamen de eo scribere non sit veritus? Si hoc voluit Hirzelius, cur impostorem illum non nominat? Accedit aliquid cur certior etiam mihi stet sententia ipsius Plutarchi hanc esse opinionem, quam penitus hauserit pectore: φιλοσοφίας τέλος θεολογία. In libro *de* E *apud Delphos* semet ipsum adolescentulum inducit Plutarchus disputantem de numeri V vi atque significatione. Sed priusquam disputare incipiat eum interpellat Nicander *sacerdos* (v. 386 C) admonetque veram eius vim sacrosanctis esse involutam tenebris quas tollere nefas sit. „Ergo" sic subridens respondet adolescentulus (391 E): „in praesentia de ea re ceterorum coniecturis meas addam":

ἄχρι οὗ τἀληθὲς ἡμῖν ὁ θεὸς ἱεροῖς γενομένοις γνῶναι παράσχῃ.

Quibus verbis verecunde significat maturior iam *scriptor* Plutarchus interea se ἱερόν factum, id est ad summum evectum sacerdotium et ab ipso Deo edoctum de iis rebus quae vulgus mortalium lateant. In ea autem sanctissima sapientia summum hoc est ut scias isto εἶ hominem Deo respondere monenti γνῶθι σεαυτόν, et hoc quidem respondere: „ego omnino non *sum* sed fio, mutor, pereo; verum *esse* Tu solus habes". Nihil — iterum hoc mihi dicendum est — in scriptis Plutarchi praeclarius illa toties agitatae inscriptionis legitur interpretatione, quam tamen ipsam, ne quidquam sibi arroget, *magistro* suo commodat Ammonio. Sic in nostro libro tandem aliquando iam summo praeditus honore, iam ἱερός, iam Deo plenus pronuntiare audet id

quo omnis continetur philosophia: φιλοσοφίας τέλος θεολογία. Et ne hoc quidem suo pronuntiat ore sed alium virum ἱερόν monentem facit Cleombrotum Spartanum. Nunc demum intelligimus cur nostri libri scriptorem finxerit fratrem suum Lampriam; ideo hoc fecit quo melius post Cleombrotum illum latere posset ipse. Nihil ipsi, ipsi aio, Plutarcho magis unquam fuit persuasum quam ipsum illud, quod aureis affigendum literis eius censeo statuae:

φιλοσοφίας τέλος θεολογία.

Ad singulos locos haec annoto:

409 F Epimenidem aiunt cum fabulam de Delphis, orbis terrarum umbilico, apud ipsum deum refellere voluisset, ambiguo obscuroque accepto responso dixisse:

οὔτε γὰρ ἦν γαίης μέσος ὀμφαλὸς οὐδὲ θαλάσσης·
εἰ δέ τις ἔστι, θεοῖς δῆλος θνητοῖσι δ' ἄφαντος.

His ipse scriptor (sive Lamprias is est, sive, ut ego opinor, Plutarchus) addit:

ἐκεῖνον μὲν οὖν εἰκότως ὁ θεὸς ἠμύνατο, μύθου παλαιοῦ καθάπερ ζωγραφήματος ἀφῇ διαπειρώμενον.

Quo modo haec omnia sunt accipienda? Mihi Plutarchus respicere fabulam videtur, ut multos alios „vates" sic Epimenidem quoque caecum fuisse. Tum totius loci hoc est argumentem „oraculum rogavit Epimenides reverane ibi esset umbilicus terrarum; de more deus obscure ambigueque respondit; tum Epimenides irae impotens versus effudit quibus simul labefactaret oraculi auctoritatem (nitebatur enim illa eo fundamento quod Delphis umbilicus terrarum esse credebatur) et oraculorum obscuritatem derideret, sic fere: „si Dei dicunt hic esse terrarum umbilicum, id ita dicunt ut nemo mortalium possit intelligere". Hanc impietatem Deus ultus est eo modo quo norunt omnes; oculorum usu poetam privavit".

410 A Scire pervelim quinam annus significetur verbis Πυθίων τῶν ἐπὶ Καλλιστράτου.

410 B Ex Aegypto Cleombrotus retulit narrationem de lucerna semper ardente, quae cum semper olei minus consumat inde

efficere sacerdotes Aegyptios inaequales esse annos: inaequalitas enim ista semper breviorem reddit *τὸν ἕτερον (ἐνιαυτὸν) τοῦ προάγοντος βραχύτερον.*

Recte inter se opponuntur *ὁ προάγων* et, non *ὁ ἕτερος*, sed *ὁ ὕστερος*. Ergo hic *τὸν ὕστερον* pro *τὸν ἕτερον* legendum.

410D „Vos quoque, grammatici" Cleombrotus ait „saepe e parvo indicio magnam rem efficitis, veluti heroes cutem laevigare solitos docetis *ἐντυχόντες παρ' Ὁμήρῳ ξυρὸν ὀνομάσαντι*".

Dele importunam praepositionem *παρά*.

410E „Cumque legitis" *νύκτα θοήν·*

τοῦτ' ἐκεῖνό φατε, φράζεσθαι τὴν σκιὰν τῆς γῆς ὑπ' αὐτοῦ κωνικήν, οὖσαν ἀπὸ σφαιδροειδοῦς.

Sic B. edidit, sed secunda virgula post *αὐτοῦ*, non post *κωνικήν* est ponenda.

ib. Quodsi non licet magnis rebus componere parva, quis feret

πρὸς χοῦν καὶ κοτύλην ὕδατος τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος μετρούμενον;

Immo *ὡς ὕδατος*, vel *ὥσπερ ὕδατος*: tamquam si aqua esset Solem metiri heminis congiisve.

ἢ τῆς ἐνταῦθα πλινθίδος, ἣν ποιεῖ γωνίαν ὀξεῖαν κεκλιμένην πρὸς τὸ ἐπίπεδον, μέτρον εἶναι λεγομένην τοῦ ἐξάρματος, ὃ ἐξῆρται τῶν πόλων ὁ ἀεὶ φανερὸς ἀπὸ τοῦ ὁρίζοντος;

Cetera omnia sanissima et quam maxime perspicua, sed non *angulus* inclinatus est ad superficiem soli, verum laterculus inclinatus facit cum superficie soli acutum angulum. Lege ergo *κεκλιμένη*.

410F „Alio ergo genere argumentorum istam Aegyptiorum de aeterna lucerna refutemus narrationem *εἰ βουλόμεθα τῷ ἡλίῳ κατὰ τὰ πάτρια τὴν νενομισμένην τάξιν ἀπαράβατον ποιεῖν*".

Sic suam disputationem claudit Cleombrotus, qua demonstravit minime ineptire Aegyptios qui ex lucerna quotannis olei minus consumente efficiant sensim contrahi annorum spatium

παρὼν οὖν ἀνεφώνησεν Ἀμμώνιος ὁ φιλόσοφος „οὐ τῷ ἡλίῳ μόνον εἰπεῖν, ἀλλὰ τῷ οὐρανῷ παντί".

Corruptus locus, quem non restituit Herwerdenus *εἰπεῖν χρῆν*

legendo. Scripsit ut opinor Plutarchus: *ἀναφωνήσας .... εἶπεν*: „magna voce exclamans .... inquit".

411 B Acute Bern. ex inepto *τὴν ἀλαζονείαν τοῦ λόγου διελίττειν* fecit: *τ. ἀ. τ. λ. διελέγχειν*.

411 C *ἤδη γὰρ ἀκήκοα λεγόντων τινων περὶ τοῦ πυρός, ὡς ἐν χειμῶνι κάεται βέλτιον [ὑπὸ ῥώμης] εἰς αὑτὸ συστελλόμενον τῇ ψυχρότητι καὶ πυκνούμενον.*

Deleantur vocabula inclusa, quibus intempestive sequentium ratio redditur: ipsa enim praecedentium reddere rationem debent.

412 B *ὅπου* (sc. Tegyris) *καὶ γενέσθαι τὸν θεὸν ἱστοροῦσι, καὶ ναμάτων δυεῖν παραρρεόντων τὸ μὲν Φοίνικα θάτερον δ' Ἐλαίαν ἄχρι νῦν ὡς ἔνιοι λέγουσιν.*

Sic editur, lacunae signo ante *ὡς* posito, quo simul cum ipsa voce *ὡς* deleto reliqua sunt integerrima.

412 E Lepide *grammaticus* Demetrius ludibrio habetur. Dixerat hic: „quam composito disputatis vultu, opinor quia leviusculum tractatis argumentum". Respondet Heracleo: „ita est, non enim disputamus de ..." facetissimeque enumerat insanas quisquilias in quibus grammatici toti esse soleant. (Utilissimus hic locus est ad cognoscendam Plutarchi de suae aetatis grammaticis opinionem). Tum haec addit:
(talia enim disputantium contrahunt vultum) *τὰ δ' ἄλλα ἔξεστι τὰς ὀφρῦς κατὰ χώραν ἔχοντας φιλοσοφεῖν καὶ ζητεῖν, ἀτρέμα μὴ δεινὸν βλέποντας μηδὲ χαλεπαίνοντας τοῖς παροῦσιν.*

Omnia perturbat virgula hoc loco posita et apud B. et apud W. Post *ἀτρέμα* ponatur et pro *βλέποντας* legatur *ἐμβλέποντας*, ut hinc quoque pendeat sequens dativus, quod multo est elegantius quam si sic extra sententiae structuram ponatur *βλέποντας*.

413 A „Minime mirum est" exclamat Cynicus „in tanta hominum impietate tot obticuisse oracula; quaerendum potius videtur ....

πῶς οὐχὶ καὶ τότ' ἀπείρηκεν.

Madvigio digna emendatio certissima *τόδε*. Ceteris enim oraculis Delphicum hic opponitur.

413 C Nimiam Cynici acerbitatem sic inhibet Lamprias: *παῦε . . . παροξύνων τὸν θεόν εὐόργητος γάρ ἐστι καὶ οὐ πρᾶος.* Sic est apud W., unde quo consilio B. expulerit negationem me latet; errore eam excidisse suspicor: mire enim *εὐόργητος* et *πρᾶος* tamquam synonyma iunguntur.

ib. Non oportet putare *τὴν πρόνοιαν, ὥσπερ εὐγνώμονα μητέρα καὶ χρηστήν, πάντα ποιοῦσαν ἡμῖν καὶ Φυλάττουσαν ἐν μόνῃ μνησίκακον εἶναι τῇ μαντικῇ.*

Secunda virgula non post *χρηστήν* sed post *Φυλάττουσαν* ponenda est.

Et cur non oporteat sic demonstrat:

ὥσπερ οὐχὶ καὶ τότε (olim) *πλειόνων ὄντων ἐν πλείοσιν ἀνθρώπων πονηρῶν, ὅτε πολλαχόθεν τῆς οἰκουμένης χρηστήρια καθειστήκει.*

Languet istud *ἀνθρώπων πονηρῶν*. Lege *πλειόνων ὄντων ἐν πλείοσιν ἀνθρώποις τῶν πονηρῶν*: maior erat hominum numerus ergo et impiorum. Et *πολλαχόθεν* ex *πολλαχοῦ* corruptum videtur.

413 F Cynicus nobis deum fingit modo aversantem modo admittentem improbitatem

ὥσπερ εἰ βασιλεύς τις ἢ τύραννος ἑτέραις ἀποκλείων θύραις τοὺς πονηροὺς καθ' ἑτέρας εἰσδέχοιτο.

Sic recte W. Apud B. *εἰ* omittitur.

ib. *τοῦ δὲ μετρίου καὶ ἱκανοῦ καὶ μηδαμοῦ περιττοῦ πανταχῇ δ' αὐτάρκους, μάλιστα τοῖς θεοῖς πρέποντος ἔργου* (consentaneum est imminuto hominum numero etiam oraculorum numerum esse imminutum).

Deleatur et virgula, quae totum locum perturbat et *ἔργου*, vox hinc aliena, quae praeterea turpem parit hiatum: sequitur enim *εἰ*.

414 A Si quis dicat: minor hominum numerus pauciora requirit oracula *ἀκριβῶς ἂν αὐτῷ παράσχοιμι τῆς εὑρησιλογίας.*

Recte ante *παράσχοιμι* W. inserit *μαρτυρίαν*.

ib. Cui bono foret si nunc, ut olim, oraculum esset *περὶ τὸ Πτῷον ὅπου μέρος ἡμέρας ἐντυχεῖν ἔστιν ἀνθρώπῳ νέμοντι*;
Pro *μέρος ἡμέρας* Turn. *μεθ' ἡμέρας*. Ut omnia recte procedant lege: *ὅπου μεθ' ἡμέραν ἑνὶ μόλις κτἑ.*

414 B Ipsum oraculum Delphicum narrant *ὑπὸ θηρίου χαλεποῦ [δρακαίνης] πολὺν χρόνον ἔρημον γενέσθαι.*
Dele insulsum emblema.

414 C *ἔδει θαυμάζειν τὸν θεόν, εἰ περιεώρα τὴν μαντικὴν ... καθάπερ αἱ πέτραι ποιμένων [ἐν ἐρημίᾳ] καὶ βοσκημάτων φωναῖς ἀντηχοῦσαν.*
Inclusa pulcherrimum locum turpiter corrumpunt.

414 D „Concedisne ergo" Lampriam rogat *τὸ καὶ ποιεῖν [ταυτὶ] τὰ μαντεῖα καὶ ἀναιρεῖν τὸν θεόν*;
Facessat hinc vox inclusa: *in universum* hoc de oraculis rogatur.

ib. Ipsa materies *ἀναφεύγει πολλάκις καὶ ἀναλύει τὸ γιγνόμενον.*
Receptam oportuit praeclaram Xylandri emendationem *ἀνυφαίνει* pro *ἀναφεύγει.*

414 E *τὴν δ' οὐσίαν αὐτῶν καὶ δύναμιν ἐν τῇ φύσει καὶ τῇ ὕλῃ φασὶ δεῖν ζητεῖν.*
Egregie B. *δεῖν* pro *δεινούς* reposuit, sed emendationem non perfecit. Non enim *alii* hoc dicunt sed ipse Lamprias. Lege ergo *φημί* pro *φασί.*

414 F Difficile est *τὸ λαβεῖν καὶ διορίσαι πῶς χρηστέον καὶ μέχρι τίνων τῇ προνοίᾳ.*
Requiritur: *definire.* Lege ergo *διαλαβεῖν.*

415 A „Iure quidem" Cleombrotus ait „Plato dicitur sua philosophia multas difficultates sustulisse":
ἐμοὶ δὲ δοκοῦσι πλείονας λῦσαι καὶ μείζονας ἀπορίας οἱ τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θέντες θεῶν καὶ ἀνθρώπων καὶ τρόπον τινὰ τὴν κοινωνίαν ἡμῶν συνάγον εἰς ταὐτὸ καὶ συνάπτον ἐξευρόντες.
Recte B. illud *θέντες* inseruit, sed non absolvit emendationem:

ante *τήν* enim inserendum *τό* est: invenerunt *id quod* deos hominesque inter se coniungat.

415 B Ἡσίοδος δὲ καθαρῶς καὶ διωρισμένως πρῶτος ἐξέθηκε τῶν λογικῶν τέσσαρα γένη θεοὺς εἶτα δαίμονας (εἶθ' ἥρωας, τὸ δ' ἐπὶ πᾶσιν ἀνθρώπους, ἐξ ὧν ἔοικε ποιεῖν τὴν μεταβολήν, τοῦ μὲν χρυσοῦ γένους εἰς δαίμονας πολλοὺς κἀγαθοὺς τῶν δ' ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων).

Quae inclusi sic exstant apud Eusebium. In Plutarchi codicibus haec leguntur:

πολλοὺς κἀγαθούς, εἶθ' ἥρωας, εἶτ' ἀνθρώπους, τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων

multo, ut opinor concinnius rectiusque; malim tamen hic quoque *πολλοὺς κἀγαθούς* ut plane supervacaneum delere.

415 C *λέγει γὰρ* (Hesiodus) *ἐν τῷ τῆς Ναΐδος προσώπῳ καὶ τὸν χρόνον αἰνιττόμενος*

ἐννέα τοι ζώει κτἑ.

Facessat hinc *καί*, quo locus perturbatur.

417 D „Caerimoniis diris, quae fiunt, non deos sed daemones placari opinor" Cleombrotus ait *οὔτε μάτην ἀνέχονται βασιλεῖς καὶ στρατηγοὶ παῖδας ἑαυτῶν ἐπιδιδόντες καὶ καταρχόμενοι καὶ σφάττοντες*

sed sic malorum geniorum avertunt iram.

Optime haec decurrunt et sunt planissima; corrupit editor ex Eusebio pro *ἀνέχονται* recipiens *ἂν ἐδέχοντο.*

417 F In eiusmodi rebus quales sunt *πλάναι, κρύψεις, λατρεῖαι* simm. non dii sed daemones versantur:

καὶ οὔτ' Αἰσχύλος εἶπεν·
ἁγνόν τ' Ἀπόλλω φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν.

Ain vero? *Non* dixit hoc Aeschylus? Cur ergo versum hunc citas, aut cur verum poetam retices? Dubiumne esse potest quin recte X. post nomen illud poetae *ὀρθῶς* inseruerit? Cur insaniae retineantur in textu cum vera dudum lectio inventa est?

418 C *ἀλλ' ἵνα μὴ τὸ Ἐμπεδόκλειον ποιεῖν δόξω*
κορυφὰς ἑτέρας ἑτέρῃσι
προσάπτων μύθων, μ η δ ὲ λ ό γ ω ν ἀτραπὸν μίαν.

Sic legendum esse iam vidit W., postea docuit Emperius; quousque ergo nobis exhibebitur corrupta lectio *μήτε λέγειν*?

418 D Saepe cum ipsis daemonibus vis fatidica oracula relinquit:

εἶτα παρόντων αὐτῶν διὰ χρόνου πολλοῦ καθάπερ ὄργανα φθέγγεται τῶν χρωμένων ἐπιστάντων.

Quis semel admonitus (a Stegmanno) his adiici etiam *καὶ παρόντων* feret?

ib. Postquam sic multa de rebus arcanis disseruit Cleombrotus, Heracleo

„οὐδεὶς μέν" ἔφη „τῶν βεβήλων καὶ ἀμυήτων καὶ περὶ θεῶν δόξας ἀσυγκράτους [ἡμῖν] ἐχόντων πάρεστιν· αὐτοὶ δὲ παραφυλάττωμεν αὐτούς κτἑ.

Vel locus arguit illud *ἡμῖν* delendum esse. Non enim cum *ἀσυγκράτους* iungi potest: *δόξαι ἀσύγκρατοι* sunt opiniones *inter se repugnantes.*

419 E *ὁ δὲ Δημήτριος ἔφη τῶν περὶ τὴν Βρεττανίαν νήσων εἶναι πολλὰς ἐρήμους σποράδας . . . πλεῦσαι δ' αὐτὸς ἱστορίας καὶ θέας ἕνεκα . . . εἰς τὴν ἔγγιστα κειμένην [τῶν ἐρήμων].*

Quis non videt eiicienda esse inclusa?

420 B Contra Epicureos et alia et haec disputat Cleombrotus:

εἰ δὲ χρὴ γελᾶν ἐν φιλοσοφίᾳ, τὰ εἴδωλα γελαστέον τὰ κωφὰ καὶ τυφλὰ καὶ ἄψυχα, ἃ ποιμαίνουσιν ἀπλέτους ἐτῶν περιόδους ἐπιφαινόμενα καὶ περινοστοῦντα πάντῃ.

Egregie haec sanat B. pro *ἀπλέτους . . . περιόδους* coniiciendo *ἐν ἀπλέτοις — περιόδοις.*

420 C Indignantur Epicurei si quis dicit

εἶναι δαίμονας οὐ φύσει μόνον ἀλλὰ καὶ λ ό γ ο ι ς.

Recte quidem Stegmannus hic *λόγῳ* legit, sed nonne nunc *λόγῳ* et *φύσει* locum inter se mutare debent? Daemones illi

non solum oratione assumuntur, sed revera adsunt in rerum natura.

420 D λεγόντων. — ὡς οὐ δυνατὸν εἶναι κτἑ.
Cum B. ὡς exemerim.

423 E τὴν Φύσιν ὁρῶμεν τὰ καθ' ἕκαστα γένεσιν καὶ εἴδεσιν οἷον ἀγγείοις ἢ π ε ρ ι κ α ρ π ί ο ι ς σ π έ ρ μ α τ ο ς περιέχουσαν.

Acute W. ὥσπερ καρποὺς σπέρματι. B. sibi solum σπέρματος suspectum esse annotat. Scire velim quomodo ergo istud περικαρπίοις accipiat. Etiam sequentia recte mihi W refinxisse videtur, cuius Animadversiones consulantur. B. nullam ibi Wyttenbachii rationem habuit.

423 F εἰ γὰρ οὔτ' ἄνθρωπος εἷς οὐθ' ἵππος ἐν τῇ Φύσει γέγονεν ... τί κωλύει μηδὲ κόσμον ἕνα τὴν Φύσιν ἔχειν ἀλλ' ἢ πλείονας.

Aut me fugit quid intersit inter *nisi* et *sed*, aut ἀλλά hic legendum est, non ἀλλ' ἤ.

425 E Rogant Stoici πῶς εἱμαρμένη μία μ έ ν ε ι καὶ πρόνοια, καὶ οὐ πολλοὶ Δίες καὶ Ζῆνες ἔ σ ο ν τ α ι si plures erunt mundi.

Vides necessarium esse hic cum B. μενεῖ legere.

425 F Eos sic refutat Lamprias (ipse Plutarchus): τίς ἀνάγκη πολλοὺς εἶναι Δίας ἂν πλείονες ὦσι κόσμοι, κ α ὶ μ ὴ κ α θ' ἕ κ α σ τ ο ν ἄ ρ χ ο ν τ α π ρ ῶ τ ο ν κ α ὶ ἡ γ ε μ ό ν α τ ο ῦ ὅ λ ο υ θ ε ό ν.

Parum accurate de Wyttenbachii hic emendationibus refert editor. Sunt enim hae:

καὶ μὴ ἕνα ἄρχοντα πάντων καὶ ἡγεμόνα τοῦ ὅλου θεόν et
καὶ μὴ καθ' ἕνα τὸν ἄρχοντα πάντων καὶ ἡγεμόνα τοῦ ὅλου θεόν.

Quarum hanc non intellego, illa id ipsum praebet quod requiritur. „Nihil opus'' annotat editor, tamquam si sibi res esset cum institore merces suas obtrudente. Ergone ei verba tradita *non* corrupta videntur?

426 A οὐ γὰρ ἐνταῦθα μὲν ἓν συνίσταται σῶμα πολλάκις ἐκ διεστώτων σωμάτων ..., ἐν δὲ τῷ παντὶ δέκα κόσμους ἢ πεντήκοντ' ἢ ἑκατὸν ὄντας ἑνὶ χρῆσθαι λόγῳ καὶ πρὸς ἀρχὴν συντετάχθαι μίαν ἀδύνατόν ἐστι.

Immemor fuit Demosthenei *οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ* editor, cum ante *ἐν δὲ τῷ παντί* semicolon ponebat pro virgula. Quod autem pro *ἓν συνίσταται* Duebnerus *ἔνι συνίστασθαι* commendavit, recipiendum non opinor: quod enim illa coniectura praebet multo elegantius ipso vocabulo *πολλάκις* significatur.

427 A (Dixit Plato) *ὡς εἰκός ἐστι πέντε σωμάτων ἰσογωνίων καὶ ἰσοπλεύρων καὶ περιεχομένων ἴσοις ἐπιπέδοις, ἐγγενομένων τῇ ὕλῃ, τοσούτους εὐθὺς ἐξ αὐτῶν ἀποτελεσθῆναι κόσμους.*
Intelligi haec non possunt si retinetur virgula ista post *ἐπιπέδοις*, ea deleta omnia fiunt luce clariora.

427 C *ἐξ ὧν τὸ δωδεκάεδρον.*
Iure W. praepositionem delet, sententia enim est: eorum (quae supra sunt enumerata) unum est dodecaedrum.

427 E *πανταχοῦ τὸ προϋφιστάμενον ἀεὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις εὐπόρως παρέχειν τὴν γένεσιν ἐκ τῆς μεταβολῆς.*
L. *εὔπορον* (sc. *ἐστι*): quod prius existit *facultatem habet* cetera procreandi.

431 C „Nihil aliud'' Ammonius ait „daemon est quam anima *aëre induta*, ut cum Hesiodo loquar'':
ἐμοὶ μὲν γάρ, ἣν ἄνθρωπος ἔχει διαφορὰν πρὸς ἄνθρωπον ὑποκρινόμενον τραγῳδίαν ἢ κωμῳδίαν, ταύτην ἔχειν δοκεῖ ψυχὴ πρὸς ψυχὴν ἐνεσκευασμένην σῶμα τῷ παρόντι βίῳ πρόσφορον.
Verba *ψυχή πρὸς* a Xylandro inserta sunt, sed optimo iure W. aut praeterea post *ψυχή* inserendum *γυμνή* censet, aut pro *ψυχή* legendum *δαίμων*. Sed sufficitne simplex illud *ἄνθρωπος*, an huic quoque substantivo adiectivum (velut *ἄλλος*) est addendum?

431 E Invitatus ab Ammonio aliisque ut nunc accurate proponat quae olim raptim et negligenter cum hospitibus Lebadeae disputavit, sic incipit Lamprias (Plutarchus):
καὶ μὴν ἀπὸ τύχης τινός, ὦ 'Αμμώνιε, τοῖς τότε λόγοις αὐτὸς ἀρχήν τινα καὶ πάροδον ἐνδέδωκας.
Haec sic W. vertit: „iis, quae tum disputata sunt, ipse tu

casu quodam exordium occasionemque hic referendi dedisti". Et certe illa requiritur sententia, sed possuntne ista *hic referendi* ἐκ τῶν συμφραζομένων intelligi, an e textu exciderunt?

432 B Hominis memoria quidni futura praecipiat?
καὶ γὰρ ἐπιβάλλεται καὶ προτίθεται πρὸς τὰ μέλλοντα καὶ παρῳχημένων καὶ τέλος ἐχόντων ἀπήλλακται πλὴν τοῦ μνημονεύειν.
Sanavit haec Stegmannus πρός delendo et τῶν ante παρῳχημένων inserendo.

432 D Quod Euripides vatis esse ait *bene coniicere*, id hominis est bene ratiocinantis:
τὸ δὲ μαντικὸν ὥσπερ γραμματεῖον ἄγραφον καὶ ἄλογον καὶ ἀόριστον ἐξ ἑαυτοῦ, δεκτικὸν δὲ φαντασιῶν πάθεσι καὶ προαισθήσεων, ἀσυλλογίστως ἅπτεται τοῦ μέλλοντος, ὅταν ἐκστῇ μάλιστα τοῦ παρόντος.
Vel locus indicio est istud πάθεσι esse removendum: in margine adscriptum fuit ad ἐκστῇ explicandum.

ib. Causa huius rei est corpus τὸν ἐνθουσιασμόν accipiens:
αὐτὸ μὲν οὖν ἐξ αὑτοῦ τὸ σῶμα τοιαύτην πολλάκις ἴσχει διάθεσιν
immo οὐ πολλάκις quemadmodum et ipsa rei natura monet et id quod continuo sequitur: „sed terra huiusmodi affectus submittit".

432 F *ἅμα δ' ἄν τις οὐκ ἀλόγως καὶ ξηρότητα φαίη μετὰ [τῆς] θερμότητος ἐγγιγνομένην λεπτύνειν τὸ πνεῦμα.*
Inclusus articulus melius aberit.

433 B *τῆς μὲν πορφύρας ὁ κύαμος τῆς δὲ κρόκου τὸ νίτρον δοκεῖ τὴν βαφὴν ἄγειν μεμιγμένον.*
Cur in textu retineatur sensu cassum istud ἄγειν, pro quo W. αὔξειν reponi iussit?
ib. *περὶ δὲ τοῦ Κύδνου καὶ τῆς ἱερᾶς τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν Ταρσῷ μαχαίρας, ὦ φίλε Δημήτριε, σοῦ λέγοντος ἠκούομεν ὡς οὐχ ὕδωρ ἄλλο μᾶλλον ἐκκαθαίρει σίδηρον ἐκείνου.*
Sana haec et elegans est editoris Graeci lectio, ceteri commixtam annotationibus praebent.

433 E Analogici aiunt eandem quae intercedat inter mentem et visum intercedere inter solem et Apollinem rationem: *ἔκγονον ἐκείνου καὶ τόκον ὄντος ἀεὶ γιγνόμενον ἀεὶ τοῦτον ἀποφαίνοντες.*

Sanissima haec: „Apollo semper *est,* sol semper *nascitur*" cur corrumpit editor Graecus *ὄντως* legendo?

434 A *τῇ δ' ἐν Καρύστῳ πέτρᾳ χρόνος οὐ πολὺς ἀφ' οὗ πέπαυται μηρύματα λίθων μαλακὰ νηματιώδη συνεκφέρουσα.*

Parum curo utrum hic — id quod vult Stegmannus — inter duo ista adiectiva *καί* inseratur necne, sed desidero *dativum* aliquem a *σύν* in *συνεκφέρουσα* pendentem. Ecquid pro *λίθων* legendum *λίθοις*? Nam quaecunque *telae* sunt instar nihil cum *lapide* commune habent: quis unquam vidit *λίθων μηρύματα* eaque *μαλακά* vel videre potuit? Ex mea coniectura haec habebimus sanissima: „ante non ita longum tempus Carystia rupes simul cum lapidibus (marmore) proferebat aliquid subtili mollique telae simile".

434 C *ἐνταῦθά* (i. e. *hic,* Delphis) *φασι παραμένειν τ ὰ π ε ρ ὶ τ ὸ ν μ έ γ α ν σ ε ι σ μ ό ν.*

Insolite dicta ista hoc sensu: „vestigia magni motus", quemadmodum W. interpretatur. Recte tamen interpretari videtur.

434 D Praefectus Ciliciae in Mopsi oraculum *εἰσέπεμψεν ἀπελεύθερον οἷον εἰς πολεμίων κατάσκοπον ἐνσκευάσας, ἔχοντα κατεσφραγισμένην δέλτον, ἐν ᾗ τὸ ἐρώτημ' ἦν ἐγγεγραμμένον, οὐδενὸς εἰδότος.*

Hic quid sibi istud *ἐνσκευάσας* velit non video. Non enim, ut opinor, certus quidam est speculatorum vestitus.

Sequitur de responso ad obsignatam illam interrogationem reddito narratio quam Lampriae addit disputationi ab eo provocatus Demetrius. Tum sic pergitur (F.):

ὁ μὲν οὖν Δημήτριος ταῦτ' εἰπὼν ἐσιώπησεν· ἐγὼ δὲ βουλόμενος ὥσπερ τι κεφάλαιον ἐπιθεῖναι τῷ λόγῳ, πρὸς τὸν Φίλιππον αὖθις ἀπέβλεψα καὶ τὸν 'Αμμώνιον ὁμοῦ καθημένους. ἔ δ ο ξ α ν ο ὖ ν μ ο ι β ο ύ λ ε σ θ α ί τ ι δ ι α λ ε χ θ ῆ ν α ι κ α ὶ π ά λ ι ν ἐ π έ σ χ ο ν.

Ultima sic vertit W.: „videbanturque mihi velle aliquid di-

cere et rursum vocem *inhibere*". Perverse, si quid video. Sic enim narrat Lamprias: „in eo eram ut disputationi meae summam imponerem, cum ad Philippum et Antonium flexi oculos; quos cum viderem dicere aliquid velle, *ipse* vocem *inhibui*".

435 A „Primum" sic disputat Demetrius „pro diis daemones oraculorum fecimus, nunc denuo eos repellimus spiritum, vapores, exhalationes introducentes:

αἱ γὰρ εἰρημέναι κράσεις καὶ θερμότητες αὗται καὶ στομώσεις, ὅσῳ μᾶλλον ἀπάγουσι τὴν δόξαν ἀπὸ τῶν θεῶν ...

in sequentibus nihil est quod ad istud ὅσῳ referatur. Legendum suspicor ἔτι, ut haec sit sententia: longius etiam quam vapores, qui tamen oculis cernuntur, a diis abducunt „abstracta" ista: temperies, calores, contractiones.

435 B ἡμεῖς δὲ καὶ θύομεν καὶ προσευχόμεθα τί παθόντες ἐπὶ τοῖς χρηστηρίοις.

Deleatur ἐπί, additum ab eo qui usum interiecti τί παθών ignoraret.

436 A Perspexit Plato ὅτι τῇδε πῃ καὶ τὸ πᾶν αἰσθητὸν διακεκοσμημένον οὐ καθαρὸν δ' οὐδ' ἀμιγές ἐστιν.

Particulis καί et δέ eiectis demum omnia bene procedunt, explicanturque additis: ἀλλὰ τῆς ὕλης συμπλεκομένης τῷ λόγῳ λαμβάνει τὴν γένεσιν.

436 B καὶ μὴν τῶν γε μιμημάτων τούτων καὶ εἰδώλων ὁ ποιητὴς καὶ δημιουργὸς ἐπιγέγραπται·

γράψε Πολύγνωτος, Θάσιος γένος, Ἀγλαοφῶντος
υὸς περθομέναν Ἰλίου ἀκρόπολιν

ὡς ὁρᾶται γράψας· ἄνευ δὲ φαρμάκων συντριβέντων καὶ συμφθαρέντων ἀλλήλοις οὐδὲν ἦν οἷόν τε τοιαύτην διάθεσιν λαβεῖν καὶ ὄψιν.

Criticorum nemo vidit absurdum esse istud συμφθαρέντων. Et tamen unde potest minus nasci quidquam quam e rebus quae una *perierunt*? Quantocius repone συγκραθέντων. Sed istud ὡς ὁρᾶται γράψας multum exercuit omnes. Equidem corruptam hanc esse puto annotationem: ἃ ὁρᾶται γράψας. Revera quae nunc oculis cernuntur Polygnotus pinxit, quae antea facta sunt nemo iam videt.

438 A Nisi adest iustum temperamentum spiritus et divinandi facultatis *ἀνάγκη . . . τὸν ἐνθουσιασμὸν μὴ γίγνεσθαι ἢ γίγνεσθαι παράφορον καὶ οὐκ ἀκέραιον καὶ πρακτικόν.*

Pro ultimo vocabulo Turnebus reposuit *ταρακτικόν*, quod vulgo recipitur. Sed hoc non *confusum*, quo hic opus foret, significat, verum *confundens*. Hic quoque *κρακτικόν* legendum suspicor, ut suspicatus sum *Quomodo adulator* p. 74 A. Falsus ille enthusiasmus non loquitur sed *clamat* et voce quidem aspera. Egregie illud illustratur sequenti narratione: quondam, cum non rite habebant omnia, descendit quidem, sed invita in suum oraculum Pythia, *εὐθὺς δὲ περὶ τὰς πρώτας ἀποκρίσεις ἦν καταφανὴς τῇ τραχύτητι τῆς φωνῆς οὐκ ἀναφέρουσα δίκην νεὼς ἐπειγομένης, ἀλάλου καὶ κακοῦ πνεύματος οὖσα πλήρης.*

Comparationem istam cum nave vix intelligo, sed verbis *οὐκ ἀναφέρουσα* hoc dici perspicuum est: „Pythia sui compos non erat, ad se redire non poterat". Reiskius ergo pro *ἀλάλου* scribens *ἀλλ' ἀλαοῦ* particulam nobis praebet hinc alienam: non enim *opponitur* nunc aliquid, sed *ratio redditur* cur ad se redire non potuerit Pythia. Corruptum tamen esse *ἀλάλου* mihi constat, pro quo prorsus contrarium *λάλου* reponendum censeo: malus iste genius non loquebatur sed verba fundebat sensu cassa.

CAPUT X.

AN VIRTUS DOCERI POSSIT.

Quin haec quaestio Plutarcho cordi fuerit quid dubitemus? Sed hunc ab eo conscriptum libellum, id vero multo mihi videtur certum minus. Titulus disputationem in utramque partem habitam promittit; quid vero fit? Refutatur fictus aliquis adversarius qui virtutem doceri posse negat, immo vero minutis sententiolis, interrogationibus, versibus aliunde allatis conciditur. Nusquam placidum illum, lenem, loquacem agnoscis Chaeronensem, semper audis mordacem Σωκρατιδέα qui

εἰς τάχος παίει συνάπτων στρογγύλοις τοῖς ῥήμασι

hominem miserum, stultum, caecum cui non prorsus idem sit persuasum. Cum ceteris omnibus virtutibus longe ab isto libello exulat omnis lepor omnisque venustas. Quod satis iocoso demonstrare exemplo mihi posse videor; praeterea ne conabor quidem argumenta afferre: quid mihi legenti simulque de dilectissimo illo cogitanti scriptore in mentem venerit dixisse satis sit. Disputat noster de loco illo Platonis, ubi nullae graves lites nullaque bella nasci dicuntur διὰ τὴν τοῦ ποδὸς πρὸς τὴν λύραν ἀμετρίαν καὶ ἀναρμοστίαν, atque de suo et alia addit et hoc: οὐδὲ περὶ προσῳδίας ἔχει τις εἰπεῖν στάσιν ἐν πόλει γενομένην, quod uno illustrat exemplo πότερον Τελχῖνας ἢ Τέλχινας ἀναγνωστέον. Quam putidum hoc, quam longe arcessitum et ex remoto protractum angulo. Verus Plutarchus cum eiusmodi rerum exempla vult afferre in promptu habet lepidissima face-

tissimaque. Velut *de Def. Or.* 412 E. ludibrio habet grammaticos, qui quaestiunculis inanissimis semet ipsos „coquunt, macerant, defetigant". Quod autem affert exemplum? Quo nullum risui movendo aptius: „*βάλλω*" ait „futurum habet *βαλῶ*, internecivum ergo inter se gerunt bellum grammatici utrum prius an posterius *λ* exciderit". Sic refutat Demetrium grammaticum Heracleo Megarensis, cui quin magis quam adversario faveat Plutarchus sub fratris latens persona iam non est dubitandum.

De singulis locis neque lubet neque opus est quidquam annotare.

DE VIRTUTE MORALI.

Multo etiam philosopho Chaeronensi indignior hic libellus, quem, ut ad finem perlegas quantum tibi est taedii devorandum! Contra Stoicos eorumque perfectam virtutem puerulus iste, Aristotele praecipuo auctore usus [1]), demonstrat etiam esse quandam virtutem ex ratione affectus cohibente natam. Certe huc fere redit ineptae disputatiunculae argumentum. Oratio neque perspicua est neque ullo lepore commendatur. Quod alibi tam facete datur praeceptum: „ad ebrietatem vitandam non opus est *effundere* vinum, potes etiam *affundere* aquam" id hic ita corrumpitur ut nullo modo legentem monere, nedum delectare, possit. Annon ineptissima haec est sententiola (451 D):

οὔτε γὰρ οἶνον οἱ Φοβούμενοι μεθύειν ἐκχέουσιν οὔτε πάθος οἱ δεδιότες τὸ ταραχτικὸν ἀναιροῦσιν ἀλλὰ κεραννύουσι,

quae et sermonis laborat vitio eoque gravissimo. Iure enim roget quispiam: „quaenam sunt *illae res* quae hic miscendae dicuntur?" Aquam vino miscemus, sed quid admisceamus affectibus animum perturbantibus? Dixeris absolute hic *κεραννύναι* dici, *diluendi* (vernacule „aanlengen") sensu, quomodo et noto illo Aristotelis loco fiat (de A. P. c. 26 Vahl.):

(et aliis rebus tragoedia heroicum carmen vincit et) *τῷ ἐν ἐλάττονι μήκει τὸ τέλος τῆς μιμήσεως εἶναι· τὸ γὰρ ἀθροώτερον ἥδιον ἢ τὸ* [2]) *πολλῷ κεραννύμενον τῷ χρόνῳ. λέγω δ' οἷον εἴ τις τὸν Οἰδίπουν θείη τὸν Σοφοκλέους ἐν ἔπεσιν ὅσοις ἡ Ἰλιάς.*

---

1) Inde est illud *αὐτὸς Ἀριστοτέλης* quod 448 A legitur.

2) Articulum hic inserendum puto.

Ubi pertinacior aliquis contendere possit inter se misceri *tempus* et *carmen*. Sed verisimilius est hoc voluisse Aristotelem: „id quod, *quia longum tempus intercedit*, diluitur leniusque fit". Hic vero istud κεραννύουσι absolute positum ridiculi atque absurdi aliquid praebet. Quid enim? Boni esse mentium medici dixeris ab adolescente, quem curandum receperit, removere quidquid vehementiores afferat affectus, sensus stimulet, denique perturbet mentem moresque corrumpat. Quid vero ille quem nobis exhibet personatus Plutarchus? Discipulum, ut opinor, secum ducit ad mimum aliquem vel ad tragoediam, in qua Phaedra vel Canace primas agit partes, et sublato aulaeo diatriben habet plenam castitatis ..... atque taedii! Lubrica, hercle, educandi ratio! Accedit quod, ut imaginis constet ratio, ea diatribe habenda erit *dum fabula agitur*. Quo nihil aptius *ad animum purturbandum*, nam ad insaniam sic miser adolescentulus adigitur.

Sed disertius hoc exemplum flosculi inepte ex ipso sublati Plutarcho. In libro *de cohibenda ira* iucundissima quadam narratione docetur quam sit egregium parcere inimico qui in tuam pervenerit potestatem. Totus ille locus, qui et alio nomine permagni est momenti, sic decurrit (457 D sqq.):

Semper lego colligoque exempla continentiae, quae non philosophi dederint, quos qui ipsi mente carent felle carere aiunt, sed reges atque tyranni; velut illud est Antigoni qui, cum prope tabernaculum milites quidam ei maledicerent, exserto baculo, „heus vos, longius absistite si maledicere vultis" clamabat; atque illud Arcadionis et Philippi: Arcadion ille Achaeus semper conviciis in Philippum utebatur, quin etiam cives suos monebat ut fugerent

donec eo ventum, non notum nomen ubi istud.

Qui cum forte in Macedoniam venisset, amicis regem adhortantibus ne inultum abire sineret mordacem istum inimicum, rex eum amice salutavit, dona ei dedit hospitalia, deinde in Graeciam misit qui quibus nunc de rege verbis uteretur inter Graecos Arcadion inquirerent; cumque iam ab eo in coelum se tolli cognovisset „en" aulicis ait „quanto ego sim melior medicus quam vos". Cumque Olympiae multis esset laesus conviciis, essentque qui plorandum Graeculis istis dicerent qui multis ab eo affecti beneficiis nunc eum maledictis lacerarent „quales"

rogavit „eorum de me futuros opinamini sermones si malo eos affecero?" Praeclare etiam Pisistratus adversus Trasybulum se gessit, Porsenna adversus Mucium, adversus Philemonem Magas. Magas ille satrapa spectante populo a Philemone in quadam comoedia insigni erat affectus contumelia, in qua eum his erat allocutus quidam versibus:

Magas tibi a Rege, en, venerunt literae;
Non nunc dolet quod legere nunquam didiceris?

Aliquanto post Philemon, navi iter faciens, vento prope Paraetonium in litus est eiectus et sic in Magae pervenit potestatem. Quid tum ille? militem ad eum misit, quem iusserat destricto gladio collum eius leviter tangere, deinde poeta comiter salutato abire. Praeterea Philemoni pilam talosque quibus luderet misit. Grammaticum quondam, quem ut indoctum ludere volebat, Ptolemaeus rogavit: „quis Pelei pater?" Respondit ille: „dicam, si prius mihi quis Lagi pater dixeris", quibus verbis ei obscurum genus ita exprobrabat ut indignum et non ferendum clamarent qui aderant. Tum rex: „si non est regium iocum ferre posse, ne iocari quidem regem decet".

En lepidissimam narrationum syllogen, quas hic e scriniis suis profert Plutarchus, rei, de qua agitur, aptissimarum. Quarum haud dubie ceteris praestat de Maga illa: eleganter est enunciata et ut ceterae omnes egregie illustrat id quod demonstratur. At in libro *de virtute morali* nil nisi ipsius scriptoris demonstrat stultitiam. Capite enim X (p. 449 D sqq.) omnino inepte nugatur et sic ut ne hoc quidem bene intelligas quid tandem sibi velit — at multa eum proferre quae non huius loci, hoc vero luce clarius est — de Stoicorum paradoxo „paria sunt peccata". Ibi et hoc docet: „non omnium affectuum eadem est vehementia". Eandem esse nunquam, ut opinor, contenderunt Stoici. Atque sic declamat:

„quis dicat eadem ira Nicocreontem usum adversus Anaxarchum, qua adversus Philemonem usus est Magas, cum tamen uterque contumelia esset affectus? Pistillis ferreis Anaxarchum contudit Nicocreon, Philemonis cervices nudo tangi gladio deinde eum dimitti iussit Magas" [1]).

1) Absurde et in praecedentibus res inter se opponuntur, sed, quia paulo tamen minus absurde, hoc unum profero ceteris omissis.

Profecto tam stultus stolidusque nemo mortalium natus est qui idem esse dicat contundi et paulisper ludibrio haberi, neque quisquam Stoicorum fuit tam insanus qui id contenderet. Hoc vero prorsus incredibile stultitiae portentum non intelligere dilectum Stoicorum paradoxon illo exemplo ne leviter quidem moveri, nedum labefactari. Non enim inter se opponuntur duo mala facinora, sed crudele dirae ultionis *scelus* et praeclarae *virtutis* exemplum, quae in cohibenda adversus inimicum ira cernitur [1]).

Denique et libellum *an virtus doceri possit* et hunc *de virtute morali* insignia equidem duco exempla ineptissimae imitationis, qua ita Plutarchi personam sumit impostor ut ultro se indicet.

De singulis huius locis haec annoto:

440 D. Sic incipit:

περὶ τῆς ἠθικῆς λεγομένης ἀρετῆς καὶ δοκούσης, ᾧ δὴ μάλιστα τῆς θεωρητικῆς διαφέρει, τῷ τὸ μὲν πάθος ὕλην ἔχειν τὸ δὲ λόγον εἶδος, εἰπεῖν πρόκειται τίν' οὐσίαν ἔχει καὶ πῶς ὑφίστασθαι πέφυκε.

I et te ex hoc labyrintho expedi: „dicam qua re moralis virtus maxime differat a contemplativa" ... exspectas nunc de illa discrepantia paulo longiorem disputationem, sed statim decem verbis illa exponitur. Praeterea vehementer laborat syntaxis, nam ab *εἰπεῖν πρόκειται* primum pendet illud praecedens *ᾧ ... διαφέρει* deinde sequens *τίν' οὐσίαν ἔχει*. Et illa quidem lenissima sanari potest medicina, qua satis callide interpres latinus ita utitur ut quidquam ab eo mutatum vix intelligas: „de Virtute, quae cum appellatur tum videtur Moralis, *eoque* praecipue a contemplativa differt, quia pro materia animi motus, pro forma rationem rectam habet, propositum nobis est disserere, quaenam sit eius natura, quomodo subsistat". Sed si pro *ᾧ* scribis *ᾗ*, tantum abest ut disputationis absurditas tollatur ut etiam fiat manifestior: qui enim potes definire qua re a contemplativa differat ea virtus, cuius tibi etiam natura est describenda?

---

1) Fortasse hoc quoque alicuius in hac quaestione momenti quod hoc libello sententia Platonis *νεῦρα τῆς ψυχῆς ὁ θυμός refertur* tantummodo (449 F) at in libro *de cohibenda ira* (457 C) *refutatur*. Habemus enim et hic *inter eosdem libros* discrepantiam.

Et sic pergit:

καὶ πότερον οἰκείῳ λόγῳ κεκόσμηται τὸ δεδεγμένον μόριον αὐτὴν τῆς ψυχῆς ἢ μετέσχηκεν ἀλλοτρίου, καὶ εἰ μετέσχηκε πότερον ὡς τὰ μεμιγμένα πρὸς τὸ βέλτιον ἢ μᾶλλον ὡς ἐπιστασίᾳ τινὶ χρώμενον καὶ ἀρχῇ μετέχειν λέγεται τῆς τοῦ ἄρχοντος δυνάμεως.

Ut tamen aliquis hinc evadat sensus, ante *ἐπιστασίᾳ* inserendum *τό* est: „utrum ea pars mentis, quae eam recepit, propria sit praedita ratione, an particeps sit alienae, et si particeps est, utrum ita sit particeps ut ea pars quae cum meliore est mixta, an magis ita ut id quod aliquo principatu et imperio utitur particeps esse dicitur eius potentiae qui regit."

441 B Chrysippus item ut Menon ille Platonicus examen virtutum excitavit *κατὰ τὸ ποιὸν ἀρετὴν ἰδίαν συνίστασθαι νομίζων.*

Quis his addi *ποιότητι* ferat? Quod tamen inutile verborum *κατὰ τὸ ποιόν* interpretamentum nunc post *ἰδίαν* in textu legitur.

441 C Chrysippus ergo ille *πολλῶν καὶ ἀτόπων ὀνομάτων οὐδὲν δεομένην ἐμπέπληκε φιλοσοφίαν.*

Et sententia et syntaxis postulat ut *τὴν φιλοσοφίαν* legamus.

ib. Omnes illi philosophi virtutem esse dicunt ipsam rationem sibi consentientem, *καὶ νομίζουσιν οὐκ εἶναι τὸ παθητικὸν καὶ ἄλογον διαφορᾷ τινι καὶ φύσει ψυχῆς τοῦ λογικοῦ διακεκριμένον.*

Abesse hinc debere *ψυχῆς* senties si sequentia legeris: „sed eandem mentis (*ψυχῆς*) partem, quam rationem vocant, vel virtutem vel vitium fieri".

442 A Mentis humanae altera pars est *τὸ νοερόν* quod imperare debet *ἕτερον δὲ τὸ παθητικὸν καὶ ἄλογον καὶ πολυπλανὲς καὶ ἄτακτον ἐξ ἐπιστασίας ἑαυτοῦ δεόμενον.*

Sic W.; Graecus editor ... *καὶ ἄτακτον ἐξ ἑαυτοῦ δεόμενον,* quod prorsus sensu caret; Madvigius *ἐπιστασίας* post *ἑαυτοῦ* ponens tupem facit hiatum. E scripturae diversitate vides *ἐξ* et *ἑαυτοῦ* e margine irrepsisse in textum; inde remove, omnia erunt planissima.

ib. *τὸ μὲν ἀεὶ σώματι βουλόμενον συνεῖναι καὶ σῶμα θεραπεύειν*

πεφυκὸς ἐπιθυμητικὸν κέκληται, τὸ δ' ἔστι μὲν ᾗ τούτῳ προστιθέμενον, ἔστι δ' ᾗ τῷ λογισμῷ παρέχον ἰσχὺν ἐπὶ τοῦτο καὶ δύναμιν, θυμοειδές.

Illud *ἐπὶ τοῦτο* quid sibi velit non video; si deletur, optime decurrit sententia neque quidquam desideratur, si retinetur, perturbantur omnia.

ib. Plato harum partium differentiam maxime demonstrat *τῇ τοῦ λογιζομένου καὶ φρονοῦντος ἀντιβάσει πρὸς τὸ ἐπιθυμοῦν καὶ θυμούμενον.*

Immo *καὶ τὸ θυμούμενον.* Diversae enim sunt partes *τὸ ἐπ.* et *τὸ θυμ.* His apud W. adduntur: *ὥσπερ ἕτερα εἶναι πολλάκις ἀπειθοῦντα καὶ δυσμαχοῦντα πρὸς τὸ βέλτιστον,* quae vix intelligo; apud B. *ὡς τὸ ἕτερον εἶναι πολλάκις ἀπειθοῦν τε καὶ δυσμαχοῦν πρὸς τὸ βέλτιστον,* quae, e coniectura in textum introducta, ipsa nocte obscuriora sunt. Alia opus est emendatione, sed mihi non est in promptu.

442 B Secundum Aristotelem quaedam *ψυχῆς μέρη ὅλως ἀνήκοα λόγου καὶ κωφὰ τρόπον τινα τῆς σαρκὸς ἐκβεβλάστηκε καὶ περὶ τὸ σῶμα παντελῶς καταπέφυκε.*

Ultimum vocabulum mihi obscurum: compositi rationem non perspicio. Ecquid *καταδέδυκε* legendum? v. Pl. Gorg. 485 D.

442 F *τὸ σῶμα τὰ μέρη συνευσχημονοῦντα τῇ κρίσει παρέσχε.* Optimam editoris Graeci emendationem *μέλη* pro *μέρη* in textum receptam oportuit.

445 E Sic describitur *ἀκολασία,* vitiorum extremum:
ἔχουσα καὶ πάθος φαῦλον καὶ λόγον, ὑφ' οὗ μὲν ἐξάγεται τῷ ἐπιθυμεῖν πρὸς τὸ αἰσχρόν, ὑφ' οὗ δὲ τῷ κακῶς κρίνειν προστιθεμένου ταῖς ἐπιθυμίαις καὶ τὴν αἴσθησιν ἀποβάλλει τῶν ἁμαρτανομένων.

Dele inutilem annotationem *τῷ ἐπιθυμεῖν.*

447 E Dubitatio non inde oritur quod duae rationes inter se pugnant sed quod affectus rationi obstat. Datur hoc exemplum:
περὶ τὰς κρίσεις τῶν συμβολαίων ὑποτρέχοντα τὰ πάθη τὴν πλείστην ἐμποιεῖ διατριβήν.

Nihili hic certe est *κρίσεις* proque eo legendum *τηρήσεις*. Qui enim quod cum alio constituit fideliter servat *τηρεῖ τὰ συμβόλαια*.

451 E Postquam demonstravit affectus saepe rationi utilem ferre opem, haec addit:

Φιλίας δὲ Φιλοστοργίαν ἢ Φιλανθρωπίας ἔλεον ἢ τὸ συγχαίρειν καὶ συναλγεῖν εὐνοίας ἀληθινῆς οὐδὲ βουλόμενος ἄν τις ἀποσπάσειεν οὐδ' ἀποτήξειεν.

Quid certius quam Reiskii emendatio, pro ultimo vocabulo *ἀπορρήξειεν* legentis? Quid melius cum *ἀποσπάσειεν* iungitur? Non ita visum editori Graeco, qui suo „non opus" molestum institorem facessere iubet. Criticus, qui natus est infelix, post obitum quoque suum sibi invenit Wyttenbachium.

CAPUT XI.

DE COHIBENDA IRA.

Utilissimus hic libellus suavissimusque, cuius patronum esse voluit Plutarchus Minucium Fundanum virum magnae inter *Romanos* auctoritatis: hunc enim ibi inducit colloquentem cum Sextio Sulla Carthaginiensi et civitatem Romanam adepto. Sullae Fundanus exponit quo modo ex iracundo asperoque lenis sit factus mansuetusque eamque rem tam accurate exponit ut libellus qui initio colloquium fuit exeat in disputationem solius Fundani de cohibenda ira. Bene notus hic nobis Fundanus e Plinii epistolis. Ad illum est lepidissima illa Plinii epistola I, 9 qua demonstratur qui fiat ut in urbe, futilissimarum plena occupationum, singulorum dierum ratio constet, multorum non constet. Epl. IV, 15 Plinius a Fundano, quem in proximum annum consulem creatum iri auguratur, petit ut sibi quaestorem assumat Asinium Bassum, illius Bassi filium qui et Tacito amico utatur. Epl. V, 16 eundem amissa filiola tristem consolatur. Epistola demum VI, 6 eundem rogat ut se adiuvet enitentem ut Iulius Naso honorem quem petit obtineat. „Permultum" ait „interest mea te ostentare, tecum circumire". Hinc aliquatenus intelligimus quamnam illo tempore philosophi Graeci librorum suorum in lucem edendorum sint secuti rationem. Prorsus enim eodem modo, quo Plinius Nasonis patronum fieri Fundanum exoptat, Plutarchus eundem illum Fundanum sui libelli patronum fore sperat. Neque frustra, ut opinor, sperat. Insigni enim

se honore a clarissimo illo Chaeronensi affectum sentiet vir consularis, qui in eius libello primas partes agat, neque dubitamus quin daturus sit operam ut libellus ille, in multa discriptus a literatis suis servis exemplaria, omnibus innotescat Romanis, quibus bonae artes cordi sunt quique in republica Romana primarium tenent locum. Simulque hinc discimus cum quibus fere viris Romae familiaritatem contraxerit Plutarchus, quos iam Chaeroneam reversus colere et patronos habere philosophiae suae perrexit. Tacitum Pliniumque amicos habuit et praeterea omnes quos eorum amicos ex Plinii praesertim epistolis cognitos habemus, in eorumque numero et ipsum principem Traianum. Neque iam dubitamus quin egregie Volkmannus apud Plinium (V, 5):

aderam Arrionillae, Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici

pro inepto et ridiculo nomine *Arrionillae* restituerit *Aristyllae*, nomen et bene Graecum et verum Timonis uxoris. Nam Timon ille ne potest quidem diversus esse a Plutarchi fratre Timone, siquidem in *praeceptis coniugalibus*, vere aureo libello, haec Plutarchus ad discipulam suam scribit: „ad cultum muliebrem quod attinet, auctor tibi sum ut fideli serves memoria quae Timoxena scripsit Aristyllae". Iam hic ipsius Plutarchi significari uxorem, quam Timoxenam fuisse nomine pro certo novimus, quis adeo contumacis est perversitatis ut negare velit? Hercle si *non* suam hic nominasset uxorem, id disertis dixisset verbis Plutarchus. Ergo scribebat libros Plutarchi uxor, idque neque nescio neque invito marito, sed scribebat de rebus quas solis feminis notas esse necesse est, neque scribebat populo sed feminis quibuscum arta erat familiaritate iuncta, imprimis illi mulieri quam in matrimonio habebat sui Plutarchi frater. Profecto si unquam prodibit diarium, cuius hoc sit propositum ut „mulierum motus" ille qui dicitur suis sibi coerceatur terminis, Timoxena ei detur nomen censeo.

Sed ad Plutarchum eiusque *de cohibenda ira* redeo libellum. Ad cuius hosce locos pauca annotata velim.

p. 453 A. „Prudenter" ait „pictores sua opera identidem examinant, per aliquod temporis intervallum sibi non visa: sic enim minus eos fallunt tabularum suarum vitia quam si semper eas ante oculos haberent". Tum sic pergit:

ἐπεὶ τοίνυν οὐκ ἔστιν αὐτὸν αὑτῷ διὰ χρόνου προσελθεῖν .... ἀλλὰ τοῦτ' ἐστὶ τὸ μάλιστα ποιοῦν ἕκαστον αὑτοῦ φαυλότερον κριτὴν ἢ ἑτέρων, δεύτερον ἂν εἴη τὸ τοὺς φίλους ἐφορᾶν διὰ χρόνου.

Incredibili errore ét vetus ét novus editor post *ἑτέρων* semicolo incidunt sententiam. Virgula opus est, nam istud *δεύτερον ἂν εἴη* apodosin efficit protaseos *ἐπεὶ .... ἑτέρων*. Eo loco, quem in citando vacuum reliqui, illud *αὑτῷ διὰ χρόνου προσελθεῖν* sic illustratur:

χωρὶς γενόμενον καὶ διαστήσαντα τῆς συνεχείας τὴν αἴσθησιν.

Si quid ego video, prave haec sunt enuntiata. Quid enim modo dictum est de pictoribus? *τὴν ὄψιν αὐτῶν* (i. e. *τῶν ἔργων*) *ἀφιστάντες τῇ πολλάκις κρίσει ποιοῦσι καινήν*. Suam contemplationem identidem a tabulis suis removentes novam semper faciunt. Quid ergo optandum erat hominem in se ipso facere posse? Identidem semet ipsum non videre vel sentire sed „sensus continuitatem" interrumpere, quemadmodum pictor contemplationis interrumpit continuitatem. Aut ergo ipse in scribendo lapsus est Plutarchus (quod fieri potuisse non negaverim) aut eius verba *τῆς αἰσθήσεως τὴν συνέχειαν* corrupit librarius.

Ad suum amicum hanc observationem convertens Sulla hoc dicit:

ἐγὼ γοῦν ἐνιαυτῷ μὲν ἀφιγμένος εἰς Ῥώμην δευτέρῳ συνὼν δέ σοι μῆνα τουτονὶ πέμπτον

te cerebrosum illum lenem video placidumque.

Vereor ut vulgo haec recte intelligantur. Sic res se habet: per integrum annum et aliquot dies Sulla Roma afuit; nunc, reversus, iam per quatuor menses cum Fundano esse solet: satis longum ergo fuit ét *non videndi* intervallum ét tempus per quod „quantum mutatus ab illo" iam esset Fundanus posset intelligere.

453 C Eundem illum Erotem, qui ad Sullam iam nuntium hic dicitur de mutato Fundano attulisse, etiam habemus in praeclaro libro *de tranquillitate animi* (p. 464 F). Ibi Romam properare dicitur propter quasdam Fundani literas. Suspicor ergo tunc, cum Roma aberat, ét Sullam cum Plutarcho Chaeroneae fuisse ét Erotem ibidem esse moratum. Nam Eros ille, nisi me fallunt omnia, et ipse „philosophus" fuit, sed qui apud

clarissimum illum vicarii fungeretur partibus; ultro citroque iter facere solebat ut patronum suum certiorem faceret quo mentis statu cum maxime hic vel ille esset, quem Romae alibive sibi cognitum Plutarchus in suam receperat curam. Vides illud „mentium medici" nomen, quod Levèquius invenit, non ornamenti tantum causa Plutarcho dari posse sed satis accurate eo describi qua ratione suo officio fungi ille sit solitus. Quo magis rem considerabimus eo magis apparebit philosophi qualis Plutarchus fuit eandem πρᾶξιν fuisse quam medicorum qui corporis curant morbos. Ergo quoties in locos eo pertinentes incidero inde quaecunque totam rem illustrare possunt protraham; sic et alia minime spernenda discemus et *rem facere* potuisse illos non minus bene quam corporum medicos hodiernos.

ib. „Narra mihi" Fundanum rogat Sulla „qua cura"
οὕτως εὐήνιον καὶ ἁ π λ ο ῦ ν καὶ τῷ λόγῳ πρᾷον καὶ ὑπήκοον ἐποιήσω τὸν θυμόν.

Nullus hic *simplicitati* locus; antea *nimis* simplicem fuisse Fundanum apparet ex iis quae Sulla dicit. Sed ex iracundo et aspero factus est lenis et .... *mollis* ut opinor. Lege ergo ἁπαλόν. Olim σκληρός erat Fundanus.

453 D Rectissime Huttenus delet κατὰ χώραν, quae verba olim in margine annotata fuerunt ad verba ἐν τῇ Ὁμηρικῇ πείσῃ μένοντα. Scatet eiusmodi emblematis Plutarchi textus.

ib. Laudat Fundanus Musonii dictum: eum qui salvus esse velit *semper* curari oportere, additque:
οὐ γὰρ ὡς ἐλλέβορον, οἶμαι, δεῖ θεραπεύσαντα συνεκφέρειν τῷ νοσήματι τὸν λόγον.

Hic, ut opinor, quisque haerebit: si enim τὸν λόγον infinitivi illius facimus obiectum, quod eius sit subiectum frustra quaerimus, si subiectum, quid *simul efferre* debet? Sed lege συνεκρεῖν pro συνεκφέρειν, omnia erunt egregia: helleborus simul cum morbo *effluit* e corpore, hoc τὸν λόγον facere non oportet ἀλλ' ἐ μ μ έ ν ο ν τ α τῇ ψυχῇ συνέχειν τὰς κρίσεις καὶ φυλάσσειν. Optime nunc haec praecedentibus opponi dicere vix opus.

454 A οἱ πολιορκίαν προσδεχόμενοι συνάγουσι καὶ παρατίθενται τἀπιτήδεια.

Rectissime pro παρατίθενται ἀποτίθενται reposuit Naberus ὁ μακαρίτης [1]).

454 F πῦρ ὁ μὴ παρασχὼν ὕλην ἔσβεσε, καὶ ὀργὴν ὁ μὴ θρέψας ἐν ἀρχῇ καὶ μὴ φυσήσας ἑαυτὸν ἐφυλάξατο καὶ καθεῖλεν.

Quis hic cum interprete, qui „neque sese inflat" nobis exhibet, hic de ranae et bovis cogitare vult fabula? Delendum istud ἑαυτόν est: liberiore enim metaphorae usu, quem toties apud Graecos Latinosque deprehendimus scriptores, de *ira* hic idem quod de *flamma*, quacum comparatur, dicitur: flamma autem augetur nutriendo afflandoque.

455 B πρὸ χείματος ὥστ' ἀνὰ ποντίαν ἄκραν στελλόμενος.

Versus hic saepius a Plutarcho allatus, ubi sermo est de homine prudente qui in tempore cavet ne ira exardescat, ita est emendandus ut cum nauta comparetur ille ante procellam vela colligente.

455 E ἐγὼ γοῦν, εἰ μὲν ὀρθῶς οὐκ οἶδα, ταύτην δὲ τῆς ἰατρείας ἀρχὴν ποιησάμενος, ὥσπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐν τοῖς εἵλωσι τὸ μεθύειν οἷόν ἐστι, κατεμάνθανον τὴν ὀργὴν ἐν ἑτέροις.

Dele importunam virgulam post οἶδα et aeque importunam particulam δέ post ταύτην. Haec enim est sententia: „irae naturam ego in aliis, ut Lacedaemonii in servis, observabam: utrum recte hoc mei sanandi fecerim initium necne nescio".

456 B καὶ γὰρ καὶ τὴν Ἀθηνᾶν λέγουσιν οἱ παίζοντες αὐλοῦσαν ὑπὸ τοῦ σατύρου νουθετεῖσθαι καὶ μὴ προσέχειν

sequuntur versiculi quibus Satyrus ille usus est. „At" sic noster pergit „facie sua in fluvio conspecta fistulas abiecit".

Si editoris annotationem bene intelligo, Reiskius pro παίζοντες coniecit ποιηταί. Certe nihil est παίζοντες, sed neque *poetae* huius esse loci videntur. Equidem totum istud οἱ παίζοντες tamquam inutile interpretamentum abiecerim.

---

1) Tribus haec post eius exsequias scribebam diebus.

456 D Mare turbatum eiiciendo musco algaque purgatur, sed verba quae ira e pectore eiicit:

τοὺς λέγοντας πρώτους καταρρυπαίνει καὶ καταπίμπλησιν ἀδοξίας, ὡς ἀεὶ μὲν ἔχοντας ἐν αὑτοῖς ταῦτα καὶ πλήρεις ὄντας ὑπὸ δὲ τῆς ὀργῆς ἀνακαλυπτομένους.

Quid certius quam *αὑτοῖς* esse legendum? Haec enim est illa infamia quod ira eos detegere videtur cum semper turpia ista intus habeant.

456 E *οὐδὲν γὰρ ὁ ἄκρατος ἀκόλαστον οὕτω καὶ δυσχερές, ὡς ὁ θυμὸς, ἀναδείκνυσι· κἀκεῖνα μὲν γέλωτι καὶ παιδιᾷ μέλει, ταῦτα δὲ χολῇ κέκραται.*

Praeclara est Madvigii emendatio *παιδιᾷ καὶ μέλει*, pro qua nollem editor suam *παιδιαῖς ἀμέλει* suasisset. Ne quis autem in pluralibus *κἀκεῖνα* et *ταῦτα* haereat, iis significari moneo ea (verba) quae vinum et ea quae ira profert.

458 B *Ἀλέξανδρος δὲ πικρότερος αὐτοῦ γέγονεν ἐν τοῖς περὶ Καλλισθένη καὶ Κλεῖτον. ᾗ καὶ Πῶρος ἁλοὺς παρεκάλει χρήσασθαι βασιλικῶς αὐτῷ.*

Quo iure interpres istud *ᾗ* vertat „itaque" non video, neque quo modo ea vox sit accipienda.

ib. *διὸ καὶ τῶν θεῶν τὸν βασιλέα ‚μειλίχιον' Ἀθηναῖοι δὲ ‚μαιμάκτην' οἶμαι καλοῦσι· τὸ δὲ κολαστικὸν ἐρινυῶδες καὶ δαιμονικόν, οὐ θεῖον οὐδ' ὀλύμπιον.*

Cetera sunt perspicua, sed quibus hic Athenienses opponantur et quid docere nos possit nomen obscurum *μαιμάκτης* in densis latet tenebris.

458 DE *τὸν Νεοπτόλεμον ὁ Σοφοκλῆς καὶ τὸν Εὐρύπυλον ὁπλίσας*
‚ἐκόμπασ' ἀλοιδόρητα·'
Φησιν
ἐρρηξάτην ἐς κύκλα χαλκέων ὅπλων.

Priora sic sanat Badhamus: *ἄκομπ' ἀλοίδορητά τε*, sed quomodo haec cum posterioribus cohaerent?

458 F Mire hic textus traditus in enumeratione eorum quos

ira ad prave agendum adducit inter se iungit *κυνηγοὺς καὶ ῥήτορας*. Pro priore Kaltwasserus acute reposuit *συνηγόρους*. „Aliud latet” annotat editor. Aliquid tamen, opinor, in eam sententiam.

459 B *παῖδ' ἰδὼν πατὴρ ἐπιχειροῦντά τι σιδηρίῳ διελεῖν ἢ τεμεῖν, αὐτὸς λαβὼν τὸ σιδήριον ἐποίησε.*

Mire ultima vox friget, fortasse tamen ita scripsit Plutarchus. Certe perspicua haec. Sequitur: *καὶ τοῦ θυμοῦ τὴν τιμωρίαν παρελόμενος αὐτὸς ἀβλαβῶς καὶ ὠφελίμως ἐκόλασε τὸν ἄξιον.* Optime Plutarchum suum notum habuit Stegmannus qui post *παρελόμενος* inseruerit *ὁ λόγος*. Talia in textum non recipi!

Adduntur haec:

οὐχ ἑαυτὸν ὥσπερ ὁ θυμούμενος ἀντ' ἐκείνου πολλάκις

non vero a Plutarcho sed ab inepto magistello.

ib. *ὀργαὶ δὲ συνεχεῖς πολλὰ ποιοῦσαι προσκρούματα καὶ σφάλματα διὰ τὴν ἐξουσίαν ὥσπερ ἐν ὀλισθηρῷ χωρίῳ, μηδενὸς ἐνισταμένου μηδὲ κωλύοντος, ὑποφέρουσαι.*

Non persanavit locum Reiskius pro *ὑποφέρουσαι* legendo *ὑποφέρουσιν*. Bene demum decurrent omnia si scriptum erit simplex *φέρουσιν* et exemptum participium *ποιοῦσαι*.

459 C *οὐ γάρ ἐστιν ἀναμάρτητον ἐν πάθει τὸ ἀνυπεύθυνον κατασχεῖν.*

Istud *ἐν πάθει* quid sibi velit non video. Si absit haec habeamus omnibus absoluta numeris: „non potes plenam licentiam praestare immunem peccatis”, nisi quod pro *κατασχεῖν* legere *παρασχεῖν* praestet.

ib. Video multos *δουλεύοντας ἑτέροις ἀπὸ νεύματος καὶ σιωπῇ [καὶ] προθυμότερον ἢ μετὰ πληγῶν καὶ στιγμάτων ἑτέροις.*

Quis admonitus non videt inclusum istud *καί* hinc facessere debere?

459 D *οὐδ' ὁ τοξεύειν ἡμᾶς διδάξας ἐκώλυσε βάλλειν ἀλλὰ μὴ διαμαρτάνειν.*

Minime obtemperandum editori *ἐκέλευσε* pro *ἐκώλυσε* suadenti.

E sequentibus enim apparet hoc Plutarchum velle: „non omnino sagittas mittere sed prave mittere me vetabat magister".

„Hoc ergo recordatus" ait „et reputans non eum nobis puniendi eripere potestatem qui apte punire nos docet πειρῶμαι τὴν ὀργὴν ἀφαιρεῖν κτἑ.".

Quis non videt ante primum vocabulum Graecum virgula, non semicolo opus esse? Sed non vident editores.

459 F καὶ δεινὸν οὐδέν, εἰ (servus qui deliquit) δώσει δίκην βράδιον, ἀλλ' εἰ ταχὺ παθὼν ἀεὶ φανεῖται μὴ ἀδικῶν.

Pro ἀεί φανεῖται Madvigius ἀναφανεῖται. Dubito. Eleganter enim ταχύ et ἀεί inter se opponi videntur: ad poenam sumendam puncto temporis opus erit, si iniustam sumseris poenam insons ille te tota sua vita iniuriae arguet.

460 C οὐ .... πρὸς ἡδονὴν δεῖ καθάπερ ἀπολαύσματος ὀρέξει τῆς τιμωρίας ἐμφορεῖσθαι.

Vellem illud ὀρέξει abesset: e praecedentibus inutiliter illatum videtur, ubi Aristotele auctore reprehenduntur Tusci quod ad tibiae cantum servos verberent. Hoc enim est καθάπερ ἀπολαύσματος τῆς τιμωρίας ἐμφορεῖσθαι.

460 F ὄνοις ἐμβάλλουσι χαλεπαίνομεν. „Occurrentibus" dat interpres; fortasse recte, non tamen nunc locos in promptu habeo ubi eodem sensu illud verbum adhibeatur.

461 A „Civis Romanus sum" mulio clamabat cum magistratus eum verberare vellet; tunc ille „at tu certe non es optimo iure civis" reclamans mulum verberabat.

Hanc narratiunculam Romanam et ipsam origine Plutarchus vel eius auctor tam accurate Graecam riddidit ut etiam e Romano cive Atheniensem faceret, quo pacto tota venustas narratiunculae, immo vero ipsa narratiuncula periit. Quid enim Atheniensi cum lege Porcia et magistratibus in provincia virgas expedire iubentibus? Ῥωμαῖός εἰμι. Σὺ δέ γ' οὐκ εἶ Ῥωμαῖος sic genuina altercatio Graece fuerat reddenda. Et nunc quoque illud δέ γε nostro loco est reponendum, ubi codices praebent δὲ μέν, quod editor sic corrigere vult ut fiat γε μήν. Verum dedit Co-

betus in narratiuncularum Graecarum collectione, quam scholiarum in usum edidit, qua si quis revera Graece discere cupit utatur censeo. Mirari satis non possum praeclarum illud docendi discendique instrumentum nondum in Angliam Galliam Germaniam et quidquid est in Europa cultorum populorum translatum. En latet hic thesaurus .... etiam editoribus qui *rem facere* volunt!

ib Nil magis alit iracundiam quam luxus, mollities, fastidium: *διὸ μεῖζον οὐδὲν εὐκολίας καὶ ἀφελείας ἐφόδιον εἰς πραότητα πρὸς οἰκέτας καὶ γυναῖκα καὶ φίλους.*

Haec sic interpres reddit: „itaque ad mansuetudinem et erga uxorem et amicos non est quidquam plus emolumenti afferens quam facilitas et simplicitas". Male, ut opinor. Haec enim est structura: *οὐδέν ἐστι μεῖζον ἐφόδιον εἰς πραότητα ἢ εὐκολία καὶ ἀφέλεια πρὸς οἰκέτας καὶ γυναῖκα καὶ φίλους.* Qui adversus servos, uxorem, amicos facilis est et *simplex* (i. e. paucis paratisque contentus) is optime instructus est ad mansuetudinem (adversus ceteros omnes).

Adduntur etiam haec: *τῷ δυναμένῳ συμφέρεσθαι τοῖς παροῦσι καὶ μὴ δεομένῳ πολλῶν καὶ περιττῶν.* In quibus *συμφέρεσθαι* fere est *aequo animo uti.* Certe rarior ille verbi huius usus. Contrario idem verbum modo adhibetur *de tranq. an.* 467 A: *ἵνα καὶ τὰ ἐκτὸς ὡς οἰκεῖα καὶ φίλα μὴ χαλεπῶς χρωμένοις συμφέρηται,* ubi non homo rebus sed res homini *συμφέρονται,* quod melius in verbum illud convenit.

461 B *θαλάττης διὰ βάθους κεκινημένης.*

Pro *διά* Abreschius *ἐκ* reposuit, recte, ut opinor. Vix quidquam illius dissertatio Academica habet quod non sit in textum recipiendum.

461 C Morositas et frequentes querimoniae animum obnoxium reddunt iracundiae:

ἐθιστέον οὖν τὸ σῶμα δι' εὐτελείας πρὸς εὐκολίαν αὔταρκες ἑαυτῷ γ ι γ ν ό μ ε ν ο ν.

Ne verbo *ἐθίζειν* suus infinitivus desit neve verbis hisce sententia, legendum est *γίγνεσθαι.* Simplici victu corpus nostrum

assuefacere debemus ut sibi sufficiat ad bene et iucunde vivendum (*πρὸς εὐκολίαν*).

461 D Socratis dictum illud *οἷόν ἐστι τὸ συμποτικὸν εἶναι τὸν σοφόν* quid significat? Usus eo S. dicitur cum ad cenam panes non adessent.

463 D *δεῖ δ', ὥς που καὶ Παναίτιος ἔφη, χρῆσθαι τῷ 'Αναξαγόρᾳ, καὶ καθάπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ παιδὸς εἶπεν „ᾔδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα", τοῦτο τοῖς παροξύνουσιν ἕκαστον ἐπιφωνεῖν ἁμαρτήμασι* („sciebam me non emisse sapientem servum" aliaque in hunc sensum).

Interpres *χρῆσθαι* vertit „imitari", satis audacter, u. o. Post Anaxagorae nomen excidisse puto *διδασκάλῳ*. Cum Stegmanno vero quin *ἑκάστοτε* sit legendum pro *ἕκαστον* non dubito.

464 B De ratione qua se ipsum curaverit sanaveritque Fundanus et alia et haec narrat:

ἐπῄνουν δὲ κἀκείνας ὡς οὐκ ἀχαρίστους οὐδ' ἀφιλοσόφους τὰς ἐν εὐχαῖς ὁμολογίας, ὁμιλίας ἀφροδισίων ἐνιαυτὸν ἁγνεῦσαι καὶ οἴνου.

Facessat hinc *ὁμιλίας* quod aut inepte repetitum est e praecedenti *ὁμολογίας* aut insertum a monacho qui de *precibus* aliquid legens intempestive memor fieret sacrae *contionis*. Corruptum praeterea *ἀχαρίστους* videtur, reponendumque *ἀχάριτας*. Etiam latine „elegans" saepe eodem fere sensu quo *sapiens* adhibetur.

Idem vitium in D recurrit ubi ira dicitur *πάθος* quod maximas fert perturbationes et poenitentiam *ἐφ' ἡδονῇ μικρᾷ καὶ ἀχαρίστῳ*. Immo vero *ἀχάριτι*. Ulciscendi voluptas brevis est simulque *turpis*.

DE TANQUILLITATE ANIMI.

En librum qui quia olim revera *vixit*, nunc quoque vivere potest atque adeo immortalitate dignus videtur. Non docte hic de aliqua virtute disputatur, sed strenue datur opera ut certae cuiusdam virtutis certus quidam homo fiat compos. Homo vero ille sponte nobis notus fit ex iis quae ad eum scribuntur, atque

cur ea ad eum scribantur luce clarius nobis apparet. Quid enim intersit inter hodiernam librorum edendorum rationem atque antiquam, nisi aliunde notum esset, hinc discere possemus. Nunc quocunque nobis libro opus est facile eum parare nobis possumus, quamvis neque scriptoris neque libri ipsius notum habeamus nomen. Sed, quamquam raro id fit, fieri tamen potest ut id quod quaerimus omnino scriptum sit nunquam. Tum aut expectandum nobis est aut carendum. Meliore utebantur conditione veteres Graeci Romanique, praesertim qui paulo erant opulentiores. Quidquid legere volebant et de quacunque re, id ut scriberetur ipsi fiebant auctores. Atque aut praesentibus nummis scriptoris remunerabantur laborem studiumque, aut, quae maior merces, librum eius in multa describendum exemplaria et in lucem emittendum curabant. Et erant multi qui legere cupiebant, non solum ut doctiores verum etiam ut meliores fierent, neque deerant in utroque genere qui possent scribere id quod in rem praesentem faceret. Scribendo docebant „philosophi'', sed magis etiam *mentium morbos* curabant scribendo et sic praesertim, ut ego opinor, quamquam et praesentia sua adiuvabant multos, insignem illam in vita hominum sibi parabant auctoritatem, quae quanta fuerit nemo Plutarcho melius docet. Hic vero libellus quin revera aegrum persanaverit non dubitamus, ergo nunc quoque utilis esse potest, iis praesertim qui illis laborant morbis, quos hoc tempore natos vulgo creditur, quorum hic unus tractatur curaturque. Quid enim rei est? Scriptus est Paccio cuidam, Paccius eum sibi expetivit, vir in urbe Roma non obscurus et laudis honorisque cupidus (v. p. 465 A; 467 D; 468 B C), sed apparitoribus utitur morosis, difficilibus, querulis, contumacibus; hoc eum tam sollicitum anxiumque reddit ut efficaci sibi opus esse remedio sentiat ne prorsus impar fiat muneri, quo fungitur, vel etiam incidat in morbum gravem et exitiosum. Atque illud a Plutarcho petit, qui quam praeclare mentium medici [1]) fungeretur munere nunquam certius dedit documentum, quam cum hunc ad eum mitteret libellum, e quo sero nata posteritas quoque totam illam artem virosque egregios, qui se ei olim dederunt, potest cognoscere.

---

1) Ipsa verba ψυχῆς ἰατρός hic leguntur p. 465 D.

Quem civium meorum, tam qui Graece scirent quam qui nescirent causa, quam accuratissime elegantissimeque potui in vernaculum sermonem transtuli [1]). Nunc eos, qui hasce annotationes lecturi sunt, a Plutarchi libello recentes fingo cumque iis primum de tota eius natura atque indole pauca quaedam disputo.

Quam admirabilis quamque fidelis mentium medicus fuit Chaeronensis ille! An potuisse eum sic scribere opinamini, nisi perpetuo totam mentem suam intentam habuisset *aegrorum* suorum saluti, tam eorum a quibus consultus iam esset quam omnium illorum qui posthac ab ipso consilium, solatium, auxilium essent petituri? Immo vero persuasum nobis habere possumus Plutarchum quidquid faceret, loqueretur, legeret, audiret, illos semper ante oculos habuisse et in tempore dedisse operam ut iis auxilio venire posset, si res ita postularet statim. Domi suae armarium habebat in loculos divisum plenumque sententiarum, narratiuncularum, praeceptorum quae, suo quodque tempore, aliquam habere possent utilitatem. Non arida atque exsanguis ibi iacebat doctrina, sed viva vitamque datura erat condita sapientia, quam homo hominum amans collegerat disposueratque, quique eam collegerat disposueratque, qua erat prudentia et comitate, quovis erat paratus tempore ad promenda ea unde componeretur medicina cuique maxime profutura morbo. Et quam bene medicus ille cuiusque morbi perspiciebat naturam! Quanta arte — si ars dici potest innata homini virtus, quae nil humani a se alienum putat — repraesentare sibi poterat cuiusque aegri conditionem, ita ut eius dolores penitus sentiret ipse! Quam bene ad eum ab ea parte, unde oportebat, accedere poterat, ita eum erigere ut nullo afficeret dolore, parcere ei simulque morbi aperire naturam, adiuvare hominem neque tamen ita alere eius desidiam, mollitiam, inertiam ut de *suis* disperaret viribus. Patris simul utitur voce consolantis, magistri docentis, amici sustentantis, a solita abducentis tristitia, lenemque interdum excitantis risum. Quibus molestiis laboret Paccius sic sentit, tamquam si ipse in iis versaretur. Ad altiorem adscendere locum homo ille ardenter cupit et strenue dat operam; ut admittatur

---

1) „De Avondzon des Heidendoms" editionis secundae vol. I p. 131—160.

ad aulam principis, magistratum obtineat, ipsum, si fieri potest, principem sibi reddat amicum et suffragatorem nunquam remittit cessatve, immo in dies fit cautior diligentiorque ne sua quidquam eveniat culpa quod aut ut „frigore feriatur potentium" efficiat, aut quod a severissimis censoribus vel leniter possit reprehendi. Sed munus quod ei est mandatum non difficillimum solum est, sed suas sibi habet molestias, plerisque aliis hominibus ignotas; utendum in eo est non prudentia solum curaque sed etiam calliditate quadam atque interdum dolo; commissa ei est aut securitas publica aut pars pecuniae publicae; apparitoribus ergo opus est quibus notae sint arcanae illae semitae quibus investigantur impostores et malefici, adiutoribus quorum ipsorum vita non sit ab omni labe pura. Si, quod ego suspicor, pars quaedam veteris aedilitatis erat commissa Paccio, eam partem dico quae ad securitatem pertinebat urbis, haud parvis praeerat copiis eiusmodi militum, ad suam rem gerendam satis aptorum sed qui interdum et ducibus suis exhiberent molestias. Nam aurea illa Romani imperii aetate, cuius nihil tam laudari solet quam ipsa illa securitas publica, quin ipsius urbis „politia" egregie fuerit instructa non est quod dubitemus. „Quid queruntur homines de hodierna rerum conditione" multo post Plutarchum rogat Plotinus „nonne multae adsunt res quibus gloriemur .... nonne puniuntur mali?" [1]) Haud iniuria hoc ei certissimum videtur aureae cuiusdam aetatis signum; quod si illius tempore omnium oculos in se convertebat, Traiano imperante non defuisse credo. Sed, quidquid est, Paccius praeerat hominibus molestis sed quibus carere non poterat; hi eum sollicitum reddebant, nam non solum morosi erant sed et contumaces; neque solum magistro suo dicto audientes non erant sed saepe suam calliditatem in illum convertebant. Quid mirum si tandem animus Paccium deficiebat, si muneris eum taedebat, si insomnia laborabat, si quivis eum terrebat salutator, nuntius, epistola, denique si corpore et mente se aegrotare sentiebat? O bene, quod in tempore Chaeronensis ei medici in mentem veniebat, qui quantum sua valeret arte aut expertus erat aut ab

---

1) Enn. II, 9 (apud Volkmannum vol. I p. 196 l. 5 sq. Cf. et p. 520, 17 de *carnificis* utilitate).

expertis audierat. Neque eum spes fefellit; inde enim, idque statim, accipit id quo ei opus est. Primum certior fit praeclarum illum mentium medicum sincera sui tangi misericordia. Nam ut Chaeronea a se proficiscatur Romam nuntius qui nil boni apportet Paccio, viro illi tam gravi laboranti morbo, hoc a se impetrare non potest Plutarchus; ergo, quamvis urgeat tempus, Paccio paretur medicina: parata iacent omnia unde illa componatur, et quid quantumque inde sit sumendum novit dominus. Solatium mittitur sed additur admonitio ne res ad hanc vitam et ad hominum reipublicaeque conditionem pertinentes nimis magni faciat. Multo vero maxime Paccius id facere vetatur quo facile decurrunt homines, qui iisdem quibus ille conflictantur molestiis, ut aut, matura iam aetate, ad alios transeant labores, aut ad vitam privatam tamquam ad portum confugiant. Ingratus esset Paccius, si idem faceret: an obliviscitur quam multa bona ei contigerint in clamosa illa urbe? Hospes qui ibi per colles illos reptat et saepe frustra viam quaerit, quo pretio Paccius esse vellet, vir ille ubique notus civibus, quem verentur multi et suspiciunt. Si in se ipso non satis habet praesidii Paccius, illos respiciat quorum durior sors. Sed ante omnia semet sic exhortetur: non desperabo, sed omnes intendam vires ut ad propositum perveniam finem; id tamen nullis nisi *bonis* artibus: nam mentiri, fallere, dolis malis uti neque volo neque possum.

Atque haec ei praecepta dantur non ab arrogante et tristi magistro, qui de sua arce Paccium despiciat. Immo vero semper semet ipsum iis adnumerat qui monendi sunt corrigendique. Quid quod ipsa monentis vox tristem potest excitare. Multa audit Paccius quae post longum intervallum risum ei excutiant. Nonne enim lepidae sunt illae historiolae de Diogene, Socrate, de viro pro cane novercam percutiente? Nonne iam etiam de molesto illo munere suo cum leni quodam poterat cogitare risu cum homines illos, qui ipsi tanta exhiberent negotia, comparari videret cum instrumentis quibus utuntur *dentium* medici, quae ideo tantam habeant utilitatem quod tam sint tortuosa, incurva, acuta, seque ipsum cum eiusmodi medico, qui quamvis sit utilis laborantibus crudeli illo dolore, tamen ut ultro ab hominibus expetatur nunquam postulabit.

Et est Paccius orator amansque literarum. Nonne qui ei aliquid ex illis profert similis est prudenti illi viro, qui cum amicum offenderet graviter iratum, statim eum placaret conversis in gemmam quandam oculis, quam ab illo maximi fieri cognoverat. Hic vero legenda praebentur Paccio multa quae ei cordi esse debeant, quaeque simul quam maxime huius sunt temporis. Egregius profecto hic mentium medicus est qui liberis orbum solatur exemplis Romuli et Numae Pompilii, qui et ipsi orbi sunt mortui. Nihil illis ex antiqua historia exemplis notius viro in republica versato atque etiam, ut opinor, in Livio, Virgilio, Varrone! Quam praeclare hic inter se opponuntur Perseus, qui ideo miser est dicendus quia imperium amisit necopinato et Aemilius Paulus qui libenter suum imperium deposuit quia annuum illud esse multo ante noverat. Quis unquam aptiorem suo proposito ex Homero attulit locum quam Plutarchus narrans quando Ulysses immotum servarit vultum et quando in fletum eruperit.

Denique non est in philosophiae historia hospes Paccius. Possuntne non movere eum praecepta illa de contemnendis rebus ad externam hominis pertinentibus conditionem; nonne confirmabit eum conscientia virium illarum, quae in mente sua nunc lateant fortasse sed in lucem protrahi et possint et debeant? Et cum tandem ad praeclarum illum pervenit locum de vita hominis, Dei templo, in quo mortalibus versari non liceat nisi vultu hilari et animo grato, nonne tum se erigit et bonae spei plenus curriculum suum currere pergit?

„At haec omnia Plutarchus compilavit ex ....” Facesse hinc moleste interpellator, meque Plutarchum meum intelligere id est admirari patere.

De ipso Paccio haec addo; 27[es] illud nomen in inscriptionibus legitur, sed nulla earum quidquam nos docet de maiore aliquo magistratu quem *noster* gesserit Paccius. Non videntur fuisse homines magnae in republica auctoritatis. Antiquissima inscriptio (anni 66 a Chr.) commemorat L. *Lutatium Paccium thurarium de familia Reg. Mitredates.* Neque *senator* ille Paccius Africanus, qui a. 70 tamquam qui delator fuerit imperante Nerone, senatu movetur neque Corbulonis centurio Paccius Orfitus, qui pessime rem gessit, magnopere gentis augent decus. Hoc quoque accedit

quare nostrum Paccium de *plebe*, honestiore quidem sed de plebe tamen, fuisse credam: Eros ille Plutarchi vicarius nuntiusque ab eo mittitur ad Minucium Fundanum sed ὁδοῦ πάρεργον ad aegrotantem Paccium suam sibi affert medicinam.

Deinde ad singulos aurei libelli locos haec adnoto et viris doctis perpendenda trado; pauca — nam admodum integer ad nos pervenit —, neque tamen prorsus spernenda.

464 F „Literis tuis" sic in libelli legitur initio

παρεκάλεις περὶ εὐθυμίας σοί τι γραφῆναι.

Nisi vitio laborat vox ultima, rarior hic *passivi* usus.

465 A „Gratulor tibi", sic prudens noster medicus admonendi initium facit aegro *laudando*, quod

τὸ τοῦ τραγικοῦ Μέροπος οὐ πέπονθας, οὐδ' ὡς ἐκεῖνον
εὐδαιμονίζων ὄχλος ἐξέπληξέ σε

ἀλλὰ πολλάκις ἀκηκοὼς μνημονεύεις ὡς οὔτε ποδάγρας ἀπαλλάττει πατρίκιος κάλτιος [1]) οὔτε δακτύλιος πολυτελὴς παρωνυχίας οὔτε διάδημα κεφαλαλγίας.

Egregia haec, sed ad ποδάγρας sequentesque genitivos annotavit aliquis τῶν φυσικῶν παθῶν, quae vocabula statim post tragici versum *in textum recepta* omnia corrumpunt. Etenim *hominum* ὄχλος nobis cogitandus est.

465 B Nulla est divitiarum, gloriae, dignitatis utilitas

ἂν μὴ τὸ χ ρ ώ μ ε ν ο ν εὐχάριστον ᾖ τοῖς ἔχουσι καὶ τὸ τῶν ἀπόντων μὴ δ ε ό μ ε ν ο ν ἀεὶ παρακολουθῇ.

Plutarcheus hic participii pro infinitivo usus et metus hiatus totam sententiam paulo impeditiorem reddidit. Quivis alius haec sic enuntiasset: ἂν μὴ παρῇ τὸ εὐχαρίστως τοῖς παροῦσι χρῆσθαι καὶ παρακολουθῇ τὸ μὴ δεῖσθαι τῶν ἀπόντων.

ib. Oportet τὸ ἄλογον τῆς ψυχῆς

μὴ περιορᾶν ἀπορρέον καὶ καταφερόμενον ὑπὸ τῶν παρόντων.

Pro ἀπορρέον equidem aliud compositum (προρέον v. t. a.) exspectaverim.

---

1) Hanc vocem *addendam* praecedenti ego censeo, non (cum X) pro ea reponendum.

465 C *τὰ τῆς ψυχῆς διαγριαινόμενα καταπαῦσαι ῥᾳδίως οὐκ ἔστιν ἂν μὴ κτέ.*

Hiatus vitandi causa istud *ῥᾳδίως* insertum videtur, nam structura sententiae elegantior fieret si abesset; neque *ῥᾴδιον* ibi legi vocabulorum sinit dispositio.

ib. Malus est medicus qui cuivis aegro praescribit

μέν', ὦ ταλαίπωρ', ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις

ait, et cur ita sibi videatur sic docet: *κακὸν μὲν ἀναισθησίας σώματι φάρμακον ἀπονία.*

Alius morbus hic, ut opinor, requiritur; legendum *ἀσθενείας*, nam *robustius* fit corpus intendendis viribus, non sic *ἀναισθησία* curari potest.

465 E *ἐνίους δὲ καὶ τὸ μὴ πράσσειν αὐτὸ πολλάκις εἰς ἀθυμίαν καθίστησιν.*

Legendum esse *τὸ μηδὲν πράσσειν* docent et sequentes versus Homerici de Achille otiose desidente et philosophi praeceptum *μὴ πολλὰ πρήσσειν* quod 465 C legitur et hic refutatur.

466 A *τῶν γὰρ καλῶν ἡ παράλειψις οὐχ ἧττον ἢ τῶν φαύλων ἡ πρᾶξις ἀνιαρόν ἐστι καὶ ταραχῶδες, ὡς εἴρηται.*

Excidit, ut opinor, *auctoris* nomen, nam ab ipso Plutarcho haec sententia nondum est pronuntiata.

466 F Diogenes cum venum ibat assurgere nolens sic, ut opinor, praeconem ludibrio habuit: *τί δ' εἰ ἰχθῦν ἐπίπρασκες;* non, ut traditum est, *εἰ δ' ἰχθῦν ἐπίπρασκες;*

468 D Si res humanas recte consideraveris

ἐπιλήσῃ πολλὰ λυπηρὰ συνάγων.

Recte editor pro primo vocabulo *παύσῃ* coniecit.

ib. Sub sole nihil novi esse nusquam magis apparet quam in iis quae nunc sequuntur de philosophis misericordiam poenitentiamque proscribentibus. Fuerunt ergo Nitzscheiani multis ante Nitzscheum saeculis. Nisi quod praeclarae illius sapientiae qui nostra aetate extitit auctor *simulandam* esse misericordiam docuit.

468 E et 469 A et multis aliis locis, quos posthac indicare supersedebo, semicolis suis molestias nobis exhibent editores: virgula opus est ante σκόπει et ante τὴν δὲ διάνοιαν.

469 D περὶ ἓν ὀχληθέντας L. περὶ ἓν ἐνοχληθέντας.

470 C Citatis versibus οὔ μοι τὰ Γύγεω κτέ. haec subiicit Θάσιος γὰρ ἦν ἐκεῖνος, quae sic accipit W.: „dixeris: Thasius ille poeta fuit" et egregie hoc sequentibus aptum est. Tamen mihi istud Θάσιος corruptum videtur: de *Pario* enim poeta sermo est.

470 D Sapiens suam praedicat felicitatem
ὅτι μυρίων μυριάκις ἐν τοσούτοις εὐδαιμονέστερον ζῇ.
Sententia perspicua, sed verba aliquam contraxisse labem videntur. Recte similia ponuntur *de Fraterne amore* p. 485 C πολλάκις πολλῶν ἀπολείπεται καὶ μυριάκις μυρίων.

471 D οὐδ' οἷς δαίμων οὐκ ἐναντιοῦται μοχθηρός κτέ.
Primam vocem Naberus delet; dubito, nam sententia haec esse videtur: *neque omnino* hi infelices sunt, quibus non adversatur malus aliquis genius sed sua ipsorum stultitia.

474 C ἀλλὰ καὶ πλοῦτος εὐφραίνει καὶ δόξα καὶ δύναμις καὶ ἀρχὴ [καὶ] μάλιστα τοὺς ἥκιστα τἀναντία ταρβοῦντας.
Voci inclusae nullus hic locus.

475 A Praeclare hic docetur et aptissimis illustratur exemplis haud esse difficile in malo quod exspectaveris placidum esse, sed difficillimum sibi in inexspectato dolore imperare. Sed unum exemplum misere est corruptum:
ὁ μὲν γὰρ Ὀδυσσεὺς τοῦ μὲν κυνὸς θανόντος ἐξεδάκρυσε.
Non adeo fuit et in Homero et in Graeco sermone hospes Plutarchus ut hoc scribere posset. Quis enim Graece unquam θνήσκειν pro ἀποθνήσκειν in pedestri scripsit oratione? Deinde utique requireretur ἀποθνήσκοντος, nam non mortuus erat canis sed eo tempore moriebatur. Et ne illud quidem verum esset: moriebatur canis cum post colloquium cum Eumaeo se ab

eo dominus avertisset et aedes intrasset. In lacrimas multo ante eruperat Ulysses cum

οὐρῇ μέν ῥ' ὅ γ' ἔσηνε καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.

Possum hic „probabilitatem palaeographicam" auxilio vocare, possum multa docte disputare de literae θ „pronuntiatione". Sed talia non curo: mihi satis est pro certo scire Plutarchum non θανόντος scripsisse sed .... σαίνοντος.

476 B ὁ δὲ τὴν τῆς ψυχῆς φύσιν ἀμωσγέπως ἐπινοῶν magnum habet mortis solatium, unde vitae nascitur tranquillitas.

De verbo ἀμωσγέπως dubito.

DE FRATERNO AMORE.

Egregie libellus *de tranquillitate animi* quomodo antiqui mentium medici munere suo fungi sint soliti docet; hic vero totam rem nobis tamquam in tabula picta proponit. Quod optime, ut opinor, apparebit si in universum breviter de eo disputabo et in paucis quibusdam locis, qui praecipue eo faciunt paulo diutius subsistam.

Scriptus est, non ut ille, ad unum hominem sed ad duos; non tamen ut ab illis solis legeretur, immo vero ne ab illis quidem magis quam a ceteris hominibus omnibus. Sunt iis nomina Nigrinus et Quintus; sic certe tradita sunt, sed dubium non videtur quin pro altero *Quintius* sit legendum. Uterque hoc tempore Romae magna florebat dignitate. Siquidem apud Macrobium (VII, 3, 15) legimus de Quinto (i. e. Quintio) quodam qui Domitiano imperante in provincia, cui praetor praeesset, insigne fuerit exemplum innocentiae et integritatis. Non potest hic diversus esse ab illo viro cuius nomen apud Plutarchum (Q. C. II, 5) latet sub absurdo illo Κυητοῦ, nam utrobique iisdem fere verbis hoc datur eius probitatis argumentum quod eum *per risum iocumque* sic refutare quivis potuerit: „quid mirum te ita loqui qui provinciam tuam tantopere diripueris", quoniam quicunque hoc diceret certo scire posset ne umbram quidem dubitationis oborituram Quinto quin prorsus contrarium cogitaret ille. Ad Nigrinum quod attinet, in promptu est coniicere eundem eum esse atque Avidium Nigrinum proconsulem,

quocum per literas de re gravissima egit Domitianus (Plin. Epl. X, 65 sq.). Ergo et hic eo tempore vir fuit amplissimus.

Sed de his rebus vix ulla videtur esse inter viros doctos controversia.

Sunt autem *fratres* Quintius et Nigrinus. His suum *de fraterno amore* dedicat libellum Plutarchus lepidissima urbanissimaque hac usus praefatione:

„vetusta illa in Castorum honorem posita donaria Spartani *δόκανα* appellant: duo sunt ligna aequali inter se distantia spatio et duobus lignis transversis iuncta; solida ea iunctura quin fraternam horum deorum significet amorem dubium non est. Sic nunc ego vobis, Quinti et Nigrine, meum dedico de fraterno amore libellum; decet hoc vos donum, nam est commune utrique. Intelligent enim homines vos non tam ad illam incitari virtutem quam proponi tamquam exempla hominum qui eam colant; vos vero ea re, qua natura duce tam feliciter utimini, ita iam delectabimini ut constantissime in ea perseveretis; sic innata vobis virtus in virtutem convertetur cuius vobis ratione [1]) sitis conscii, cum plaudi vobis videatis a peritis et idoneis spectatoribus".

Quantopere laetatos esse viros illos amplos hac censeamus allocutione, quantoque eos studio functos esse honestisssimo *editorum*, quod sibi a clarissimo philosopho Chaeronensi mandari viderent, munere! Scriptor autem quamvis non plane spreverit neglexeritve lucrum quod ipsi aut statim aut postea allatura esset praeclara illa magistratuum Romanorum de suo opere sententia, hoc tamen praecipue eum spectasse persuasum nobis est ut liber tam utilis legentibus quam plurimorum pervolveretur et tereretur manibus. Neque est cur dubitemus quin illorum omnium salus magis ei quam sua gloria cordi fuerit.

Scriptus autem libellus est ut *legeretur* ab iis qui mores suos emendari cuperent. *Orationis* in eo nulla deprehendis signa; nullus locus ita est elaboratus ut ipso sono blandiatur auribus, nulla pars clauditur „peroratione" aequabiliter in cola et commata divisa. Quod ornamenti genus cum ad *dicendum* prodit

---

1) *κρίσις* officii ratio philosophica; cf. *de Garr.* 510 D: „affectus nostros vincimus *κρίσει καὶ ἀσκήσει*".

Plutarchus non magis spernit quam quivis de vulgo oratorum. Vix ullus Plutarchi liber tam subito abrumpitur. In fine enim haec legimus (demonstratur amorem inter fratres sororesque vix ulla re confirmari magis quam amore erga fratrum sororumque *liberos* testificando):

„Leucothea, Semele sorore mortua, filiolum eius Bacchum educavit secumque simul inter deos retulit. Quapropter et matronae Romanae, in Leucotheae, quam Matutam vocant, feriis non suos sed sororum suarum filiolos amplexantur osculanturque".

Ubi satis sibi videtur dedisse praeceptorum exemplorumque, „haec omnia si homines observabunt bene est" ait Plutarchus et manum de tabula tollit.

Et tamen quam aureus est ille libellus! Limpidi instar rivi profluit, perspicuitate et orationis nitore inter omnia Plutarchi scripta eminet. Quantam docendi habent vim praecepta, quam commovent animos exempla! Et alibi ea inveniri, etiam apud ipsum Plutarchum, haud infitior — semet ipsum compilare non veretur medicus hic de sola aegrorum suorum salute sollicitus. Quid quod non omnia eius scripta iisdem sunt destinata hominibus. Sed quanto hic omnia splendent lumine, quam sunt efficacia et proposito suo apta. Exempli causa affero narratiunculam illam de Pittaco, quam legere non potes quin tibi oboriantur lacrimae. Essetne aliquid ei opum rex rogaverat; respondit philosophus: „altero tanto opulentior sum, rex, quam esse velim: unicum enim fratrem amisi".

Hoc tamen maximum momentum pretiumque libelli nostri quod hic illic cum totam Plutarchi vitam tum curandarum, qua fungebatur, mentium artem ipsam nobis ponit ante oculos.

Nigrino Quintoque Plutarchus — nisi id iam sciremus, libellus iis dedicatus docere nos posset — amicis utitur; artiore tamen cum iis vinculo iunctus est Plutarchi fratrer Timo; quodque de fratre illo cognitu dignissimum apud Plutarchum invenimus id (quis hoc miretur?) in nostro *de fraterno amore* legitur libello. Velut c. 16 sic scribit: „cum multa egregia a fortuna acceperim, quae grato recordor animo, omnium instar [1]) et

1) Graece: *πρὸς ἅπαντα τἄλλα καὶ γέγονε καὶ ἔστι.* Hunc praepositionis usum nullo nunc alio possum illustrare exemplo. Tamen hic esse sensus debet. Wytten-

semper fuisse fratris mei Timonis benevolentiam et nunc etiam esse, nemini ignotum est, minime vero vobis, qui quotidie eius utimini familiaritate".

„Instar omnium et semper fuit et nunc etiam est" et „vos, proceres Romani, qui Timonis utimini commercio". Ergo Romae [1]) nunc Timo est et iam diu fuit. Cum uxore Aristylla — quemadmodum iam vidimus — inter illos versatur viros qui tunc Romae dignitate, ingenio, doctrina excellebant, Tacitum, Plinium alios. Sed quo labore, quo munere ibi fungitur? In promptu est, ut opinor, coniicere eum explevisse locum quem anno 92 vacuum suus frater reliquerit: docere eum, praecepta dare, quotidie consuli ab iis quibus solatio curaque mentis opus est. Pauca quaedam in libello nostro leguntur quae, dummodo accurate perpendantur, singularem quidem sed minime incredibilem in modum quae inter hos fratres intercesserit ratio nos doceant. Velut p. 478 F sic scribit Plutarchus:

„Hoc, ut opinor, cuivis apparet naturam ex una origine binos ternos pluresve procreasse fratres non discordiae causa, neque ut inter se repugnarent, sed ut eam ipsam ob causam quod separati essent alter alteri opem ferre possent. Nam tricorpores illi et centimani, si fuerunt unquam, quandoquidem omnibus erant inter se concreti membris, nihil poterant agere foris et seorsum. Et hoc praecipue illud est quod fratres habent: possunt alter pro altero [2]) domi manere et peregre versari, capessere rempublicam et agrum colere, dummodo principium caritatis quod innatum iis est servent".

Bono auditori dimidium verbi sufficere proverbium est inter nostrates. Hic vero non dimidiata habemus verba sed quam maxime integra, quaeque prave, vel minus accurate, accipere difficile est. Ipsum illud: „fratres possunt alter pro altero vel

---

bachius ét in lexico et in calce paginae sic vertit: „instar omnium est". Est tamen locutio quae admirationem movet: *α πρὸς β μέγα (μικρόν, οὐδέν) ἔστι* hoc quid sit quivis perspicit: in *α πρὸς β ἔστι* id ipsum omittitur quod prae ceteris requiritur. Vitium latere non putaverim. Traditam enim lectionem aliquatenus tuetur id quod est loco notissimo apud Demosthenem or. XIV p. 185 (quamquam non prorsus idem ibi habes): *ὁρᾶτε τὴν πόλιν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι πᾶσαν ταυτηνί. ἐν ταύτῃ χρήματ' ἔνεστιν ὀλίγου δέω πρὸς ἁπάσας τὰς ἄλλας εἰπεῖν πόλεις.*

1) Ipse Plutarchus Chaeroneae est, cf. 479 E *ἐν Ῥώμῃ* et 484 A *παρ' ἡμῖν.*

2) Gr. *δι' ἀλλήλων.*

domi manere vel peregre versari" clare et lepide depingit nobis qua ratione illius aetatis philosophi artem suam exercere sint soliti. Si licet paulo familiariori sermone hic uti — non quod debitae sim reverentiae immemor id facio, sed quo melius ipsa res cognoscatur —: frater maior Romae negotium condidit et diligentia sua atque rerum usu effecit ut floreret illud et multos homines sibi teneret devinctos; sed iam dives rus habitatum concedit negotiumque gerendum fratri relinquit, qui nunc sibi inde victum quaerit dum tamen ipsum negotium eius qui condidit nomine appellari pergit, hoc enim praecipuum eius est ornamentum.

An parum dignum hoc exemplum re de qua igitur? Utar alio, minus quidem pervulgato sed quod proprius ab illa abest. Frater maior in magna aliqua consedit urbe ad certum quoddam morbi genus curandum; favit ei Aesculapius, in dies maior ad eum accessit aegrorum numerus ita ut tandem aliquando aedes eius nosocomii instar factae sint; post aliquot annos a quotidiano illo labore se abdicavit; frater, quo iam multo antea adiutore uti coepit, negotii curam in se recipit, tamen nosocomium illud nomen suum, quod a praeclaro illo accepit conditore, retinet, et, si gravior aliquis incidit casus, paratus ille est ad consilium dandum. Non est quare dubitet aeger quisquam ad successorem illum se conferre: eadem semper ibi est curandi ratio et, si non corpore, animo semper adest prior dominus.

En exemplum rei ipsi quam maxime accommodatum. Levequius, cum *mentium medicum* Plutarchum appellaret, acu eam tetegit. Non ornamenti tantum gratia hoc Plutarcho nomen dari posse, sed totum, quo ille fungebatur, laborem simillimum ei fuisse quo hac aetate corporum funguntur medici mox demonstrabo, immo vero tabula quadam proposita ostendam. Sed prius pauca quaedam dicam de ratione quae inter Plutarchum fratremque et liberos eius intercessit, loco usus qui egregie demonstrat duas in Plutarcho fuisse praecipuas virtutes quibus mentium medicus prorsus carere non possit: usum hominum dico et animi clementiam.

Quondam amicus quidam senior mihi narravit de quodam suo amico seniori, qui in re gravissima verbis usus esset et prudentissimis et ad hominum animos commovendos aptissimis.

Senex ille duos habebat filios nondum adultos, cumque sibi finem adesse sentiret, sic cum familiaribus saepe loquebatur: „puerorum istorum causa doleo quod mox eos sim relicturus solos .... patruum enim non habent". Timonis vero filii — fac enim illum priorem e vita excessisse — egregium habebant patruum. Quodsi Timo fratri supervixit, bene huius filiis consultum fuit, si patruus fideliter defuncti patris praeceptis obtemperavit. An unquam quidquam de tota hac re praestantius scriptum est quodque melius demonstret quam egregius vir fuerit is qui scripsit et quam bene mentes hominum haberet perspectas quam hoc (p. 491 E. F):

„erga fratris liberos aeque benevolum atque erga suos esse oportet, sed etiam leniorem clementioremque ne si, ut solent adolescentes, peccaverint patris matrisque metu aufugiant, seque ad alios convertant, qui illorum salutem non curant atque adeo longius etiam eos a recta abducunt via, sed et perfugium habeant ad aliquem qui et benevole moneat et ut a parentibus veniam impetrent efficere possit"?

Quodsi quis ipsum illius aetatis mentium *medicum*, dum artem suam exercet vult deprehendere et contemplari, capitis *quarti* legat narrationem (p. 479 E sqq.). Atque primum accurate consideret ipsa a quibus incipit verba: „memini me Romae curandos recipere duos fratres" *ἀνχδεξάμενον δίαιταν*. Nonne sic etiamnunc loquuntur medici de aegris quorum corpora curarunt? At hi Plutarchum adierant, vel a parentibus missi ad eum erant, non propter vitium corporis aliquod subitumve morbum, sed quia frater fratrem suum ferre non poterat. Audiamus nunc quomodo eos aggressus sit Plutarchus, certe alterum eorum. Philosophiae ille sibi operam dare videbatur, verum, ut Plutarchi verbis utar, malus erat frater sed non melior philosophus. Videtur fuisse homo qui semper deorsum spectaret, sublimiora curaret nihil, nam a Plutarcho admonitus ut fratre suo uteretur ita ut philosophum uti decet homine qui non philosophus quidem sed frater sit responderat: „profecto non est philosophus iste et quod iisdem natus est parentibus id vero minime me movet", atque illud *iisdem natum esse parentibus* spurcissimis et obscenissimis enuntiaverat verbis. Tum eum Plutarchus hisce corripuerat verbis:

„fortasse te omnino non movet quod ullis sis parentibus natus. Ceteri mortales omnes, licet quid illud sit parum intelligant, dicunt tamen canuntque et naturam et leges, quae naturam defendunt, post deos summum tribuere honorem parentibus. Neque quidquam dis immortalibus gratius homines facere possunt quam cum pignore reddere parentibus educatoribusque quae ab iis acceperunt amoris et benevolentiae testimonia; neque ullum est certius impietatis documentum quam si quis in parentes suos commisit aliquid vel negligentiorem se adversus eos praestitit. Ergo tantummodo leges vetant aliis nocere, qui vero non semper stat paratus ad quidvis faciendum dicendumve quod patri vel matri gratum sit futurum, etiamsi nullo eos afficit dolore, hunc omnes impium putant et ipsius religionis adversarium. Et possuntne quidquam liberi vel facere vel sentire quod maiore possit afficere gaudio parentes, quam fratres suos sincera firmaque prosequi benevolentia?"

En hoc est *aegrum curare*! Nonne nunc plane perspicimus quae sit verborum illorum, quae ex *vita Demosthenis* tam saepe citantur, quaeque semper omnibus, qui de Plutarchi vita egerunt, tanti momenti iure visa sunt, sententia? Illa volo verba: „homines qui Roma me *philosophiae causa* adierunt". Non hic intelligendi sunt homines *doctrinae* cupidi, qui logices vel dialectices quaerebant magistrum. Ne quid dissimulem, harum artium alii erant iis quaerendi magistri, a Plutarcho admodum diversi. Sed intelligendi sunt parentes qui vitia quaedam deprehenderant in praetextatorum suorum filiorum mentibus. Horum certe maximus erat numerus. Sed et adulti ad eum sua causa venire solebant; homines qui inter se dissentiebant sed ea erant prudentia ut litem illam disputando finire mallent quam armis iudiciove; viri mulieresque quos dira per noctem perturbarent spectacula, qui mortem metuerent et inferos, monstra portentaque; atque etiam urbis curatores publicanique, quos muneris sui molestiae ad desperationem adigerent, quoniam addiscere artem non poterant apparitorum suorum regendorum, hominum calliditate sibi non minus molestorum quam muneri utilium.

Quam plenum fuisse eius putemus atrium sub tempus, quo celeberrimus ille medicus sui daturus esset copiam! Cum vero multos simul esset curaturus, id est cum oratione omnes esset

admoniturus qui verae essent cupidi sapientiae, quanta festinatione iam primo mane occupatas censeamus primores sedes in auditorio, quod philosopho aperuerat Mestrius Florus aliquis?

Profecto non est quod miremur Plutarcho *propter ingentem multitudinem, quae eum philosophiae causa consulere soleret,* defuisse tempus etiam accurate sermonis Latini discendi.

Iam ecquid in singulis locis quod inde protrahendum sit lateat videamus!

479 C Citantur hi versus e Menandro:

οὐκ ἐκ πότων καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς
ζητοῦμεν ᾧ πιστεύσομεν τὰ τοῦ βίου
πάτερ; οὐ περιττὸν οἴετ' ἐξευρηκέναι
ἀγαθὸν ἕκαστος, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν;

Singulari acumine Madvigius e verbis tantum non sensu cassis lepidissimam effecit sententiolam *interrogandi* illis addendo signo. Perficietur, ut opinor, emendatio, si pro τρυφῆς Grotii recipietur lectio τροφῆς. Nunc quamquam ignoratur e qua illi versus sint sumpti fabula (ad *incertas* eos refert Meinekius), tamen fere quod illius fuerit argumentum efficere possumus, dummodo simul rationem habeamus alterius loci Plutarchei (de amic. mult. p. 93 C), unde discimus verba haec esse νεανίσκου. Ergo sic adolescentulus nescio quis patrem suum alloquitur: „nonne vides unumquemque sibi amicum quaerere et fortunatum sibi videri si vel umbram amici nactus sit? Sic fit ut saepe commoda nostra committamus hominibus quibuscum aliquamdiu sumus epulati." Sponte nunc haec sic supplemus: „et a me tu postulas ut illud multorum annorum vinculum rumpam." Iubetur ergo a patre filius missum facere aliquem quo diu amico usus est, quia ad inopiam est redactus ille, aut (et huc magis inclino) divortium facere cum uxore, quam amat et fidelem sibi iam per aliquot annos est expertus, quoniam aliam invenit pater dotatam nobilemque. Est ergo fabula simillima illi in qua pater filiam iubet maritum suum missum facere, e qua nobis servatum est fragmentum illud ὦ πάτερ ἐχρῆν μὲν οὓς ἐγὼ λόγους λέγω, τούτους λέγειν σέ κτέ., quod nostra aetate in lucem est protractum.

480 A Ceteris omnibus tantummodo male facere vetamur

μητρὶ δ' αὐτοῦ καὶ πατρὶ τὸ μὴ παρέχειν ἑαυτοὺς δρῶντας ἀεὶ καὶ λέγοντας ἀφ' ὧν εὐφρανοῦνται

impium videtur.

Aptissime haec corrigit editor Graecus *ἑαυτούς* delendo et *αὐτούς* legendo pro *αὐτοῦ*, cui nullus hic locus.

480 B Summam parant felicitatem parentibus filii

ὅσον ἡ φύσις τοῖς σώμασι διέστησεν ἐπὶ ταὐτὸ τοῖς πάθεσι καὶ τοῖς πράγμασιν ἀποδιδόντες.

Corrupta haec non videtur persanasse Wyttenbachius pro ultimo vocabulo *ἐπιδιδόντες* vel *ἀπονεύοντες* coniiciendo. Requiritur fere: *τοῦτο .... ἀναπληροῦντες.* Corpore disiuncti sunt fratres, sed, si boni fratres sunt, illud spatium supplent affectibus actionibusque.

480 D *χαλεποὶ πόλεμοι γὰρ ἀδελφῶν*

ὡς Εὐριπίδης εἴρηκεν, ὄντες, χαλεπώτατοι τοῖς γονεῦσιν αὐτοῖς εἰσιν.

Immo vero *αὐτῶν.*

480 F Ioculare est *ἔτυμον* in hisce:

Μουσῶν .... ἃς ὁμοῦ δι' εὔνοιαν ἀεὶ καὶ φιλαδελφίαν οὔσας οὕτως ὠνόμαζον.

Μοῦσαι = *ὁμοῦ οὖσαι.* Sed non grammaticam spectat philosophus noster verum morum emendationem.

ib. Amoris erga parentes praeclarum documentum est amor erga fratres; idem ille adversus liberos egregium est *δίδαγμα καὶ παράδειγμα φιλαδελφίας·*

καὶ τοὐναντίον αὖ πονηρὸν ὥσπερ ἐξ ἀντιγράφου πατρῴου τὴν μισαδελφίαν ἀναλαμβάνουσιν.

Non intellexit haec interpres qui sic vertit: „sicut ab altera parte pessimum mutuo odia gerendi studium iidem specimen parentum secuti suscipiunt." Dicuntur enim fratrum discordium filii illam discordiam tamquam *testamento* accipere, *πονηρὸν παράδειγμα μισαδελφίας.*

481 C *αἱ μὲν ὑπὸ χρείας συνημμέναι φιλίαι κἂν διαστῶσιν οὐ χαλεπῶς αὖθις ἀναλαμβάνουσιν.*

Ultimum vocabulum „redintegrantur" vertit interpres. Mihi excidisse obiectum videtur quod responderit vocabulo *κόλλησιν* in praecedenti imagine.

481 E Discordes fratres ne amicos quidem et hospites communes habere volunt, *ἐχθρὰ πάντα τὰ προσφιλῆ τοῖς ἀδελφοῖς νέμοντες.*

νέμοντες pro *νομίζοντες* positum rarum apud Plutarchum.

482 A Qui eodem est patre eademque matre prognatus ei *καὶ τῶν ἁμαρτημάτων εἰκός ἐστιν ἐπιχωρεῖν ἔνια καὶ παρείκειν λέγοντα [πρὸς ἀδελφὸν ἐξαμαρτάνοντα]*

τοὔνεκά σ' οὐ δύναμαι προλιπεῖν δύστηνον ἐόντα.

Inclusa delet Wyttenbachius. Utinam semper sic sentirent editores quae verborum ubertas ferri possit, quae non possit!

482 F Oportet, cum frater in aliqua re fuit negligentior, *καιρὸν ἢ πρᾶξιν ἑτέραν ἢ τὴν φύσιν αἰτιᾶσθαι, ὡς μᾶλλον πρὸς ἄλλα χρησιμωτέραν καὶ σημνοτέραν οὖσαν.*

Pro *σεμνοτέραν* legatur *ἀνυσιμωτέραν*. Praeclara haec est emendatio Bernardakii cui nunc certatim maledicere solent viri docti.

ib. Continuo sequitur:

εὖ δ' ἔχει καὶ τὸ τοῦ Ἀγαμέμνονος, ὡς
οὔτ' ὄκνῳ εἴκων οὔτ' ἀφραδίῃσι νόοιο,
ἀλλ' ἐμέ τ' εἰσορόων καὶ ἐμὴν ποτιδέγμενος ὁρμήν
κἀμοὶ τοῦτο παραδοὺς τὸ καθῆκον.

Male ultima sic vertit interpres: „sibi hoc muneris a Menelao relictum dicens". Neglexit enim constantem Plutarchi usum verbis e poeta citatis statim sua annectendi. E proxima vicinia (482 A) hoc cito exemplum

τοὔνεκά σ' οὐ δύναμαι προλιπεῖν δύστηνον ἐόντα
καὶ φαῦλον καὶ ἀνόητον.

Ultima Plutarchi sunt, quae sicut nostro loco fratri alicui ex suis amicis praebet. Post *ὡς* aut excidit aut cogitatione est supplendum *ἐνέλιπες*.

483 B *γίγνεται δὲ κατήγορος ἀδελφοῦ σφοδρότατος πρὸς αὐτὸν ὁ προθυμότατος ὑπὲρ αὐτοῦ συνήγορος πρὸς τοὺς γονεῖς γενόμενος.*

Quam languida haec et tantum non vitiosa: quo enim modo istud *πρὸς αὐτόν* cum ceteris iungamus? Sed quam fiunt diserta si *κατήγορος ἀδελφοῦ* deletur: quo quis magis se strenuum praebuit in fratre apud parentes defendendo, eo potest esse adversus ipsum fratrem vehementior.

483 C Post patris mortem et aliis rebus benevolentiae mutuae documenta dare oportet fratres et *διαβολὰς ἑταίρων ἑτέροις αὐτοὺς προσνεμόντων ἀπωθουμένους.*

Sic B cum R. In codicibus est *ἑτέρῳ αὐτούς*, ante W. vulgo edebatur *ἑτέρως αὐτοῖς*. Parata emendatio; legatur aut *ἑτέρων ἑτέροις* aut *ἑταίρων ἑτέρων ἑτέροις*. Insidiosi illi comites, ut fratrum rixas provocent, se alii huic alii illi adiungunt. Sed ipsum vocabulum *comites* (*ἑταίρους*) significans hic non est necessarium.

483 E *οἱ δὲ καὶ τίτθας ἀποσπῶντες ἀλλήλων καὶ συντρόφους καὶ συνήθεις παῖδας ὑπερβαλλόμενοι τοῖς διωγμοῖς*
rem maximi pretii, fratrum amorem, amittunt.

Agitur hic de fratribus, post mortem patris bona eius inter se dividentibus. Ultimum vocabulum haud dubie corruptum est, pro quo quod dedit Emperius *διαλογισμοῖς* parum intelligo, neque editoris *διωσμοῖς* probo. Requiritur vocabulum quod „licitationibus" significet.

ib. *ἐνίους δὲ καὶ ἀκερδῶς φιλονεικίας ἕνεκα χρησαμένους τοῖς πατρῴοις οὐδὲν ἐπιεικέστερον ἢ λαφύροις ἴσμεν.*

Isto *ἀκερδῶς* carere malim.

484 B *ὁ μὲν οὖν Σόλων ἀποφηνάμενος περὶ πολιτείας, ὡς ἰσότης στάσιν οὐ ποιεῖ, λίαν ἔδοξεν ὀχλικός, ἀριθμητικὴν καὶ δημοκρατικὴν ἐπεισάγων ἀναλογίαν ἀντὶ τῆς καλῆς γεωμετρικῆς.*

Sincerum restituit sermonem Wyttenbachius *ὀχλικῶς* et *ἐπεισάγειν* legendo, quam emendationem editor ne commemorat quidem.

ib. Qui vero aut Platoni obsecutus „meum" et „tuum" tollit e republica aut certe monet ut „aequo" homines sint contenti

καλὴν κρηπῖδα καὶ μόνιμον ὁμονοίας καὶ εἰρήνης καταβαλλόμενός ἐστι.

Insolita etiam apud Plutarchum structura.

484 D Oportet fratrem qui supra fratrem eminet

ἐνδιδόντα καὶ συγκαθιέντα τῷ ἤθει τὴν ὑπεροχὴν ἀνεπίφθονον ποιεῖν.

Verba notata interpres sic vertit: *demittendo se placide.* Parum accurate, ut opinor. Oportebat fere: concedentem innatae adversus fratrem lenitati.

485 B Bonus frater saepe in rebus, in quibus excellit ipse, fratre adutore utitur et monitore:

οἷον ἐν δίκαις ῥητορικὸς ὤν, ἐν ἀρχαῖς πολιτευόμενος, ἐν πράξεσι φιλικαῖς.

Quid hic deesset egregie sensit editor Graecus: addidit enim *φιλικός.* Sed nunc aut ista *ἐν πράξεσι φιλικαῖς* statim post *ὤν* sunt ponenda, aut alterum *ὤν* addendum est.

485 D *ὁ Μέτελλος ᾤετο δεῖν Ῥωμαίους τοῖς θεοῖς χάριν ἔχειν, ὅτι Σκιπίων ἐν ἑτέρᾳ πόλει τοιοῦτος ὢν οὐκ ἐγεννήθη.*

Verba notata vix concoquo. An *hiatus* vitandi causa addita sunt? Vix hoc crediderim de scriptore qui adeo Isocratem ludibrio habeat.

486 A Ut minor digitus maiorem adiuvat, ita

Κρατερὸς Ἀντιγόνου (Ἀντιπάτρου R.) βασιλεύοντος ἀδελφὸς ὢν καὶ Κασάνδρου Περίλαος ἐπὶ τὸ στρατηγεῖν καὶ οἰκουρεῖν ἔταττον αὑτούς.

Prudenter Graecus editor intellexit ineptissime hic *summum* imperium (*τὸ στρατηγεῖν*) commemorari et, hiatum non metuens, aptissime reposuit *οὐραγεῖν.*

486 C Leguntur hic vocabula quaedam quae in promptu habere oportet eum qui literarum Graecarum scribit historiam. „Non invident" ait

τῶν ῥητόρων οἱ δικολόγοι τοῖς σοφιστεύουσιν.

Ergo qui arti dicendi dabant operam (*οἱ ῥήτορες*) in duas tunc

dividebantur partes: *a.* *οἱ δικολόγοι*, causarum patroni sive, ut eo tempore vulgo dicebantur, advocati. *b.* *οἱ σοφιστεύοντες* qui artem oratoriam docebant et subinde ingenii ostentandi causa orationes habebant, plerumque in divitum auditoriis.

486 E (*Φυλακτέον ἐστὶ*) .... *γυναικὸς ἔστιν ὅτε τῇ φιλοδοξίᾳ συνεπιτιθεμένης λόγους πονηρούς.*

Male hic *συνεπιτίθεσθαι* interpres vertit „stimulos adhibere". Est enim „impetum facienti opem ferre". Maritum oppugnat gloriae cupido, quam uxor stulta et invida adiuvat huiuscemodi oratione: „frater tuus abundat gratia, te respicit nemo". Egregie hanc vocabuli vim atque adeo totum hunc locum illustrant ea quae leguntur *Quom. adulator* p. 60 F: *μάλιστα δὲ περὶ τοὺς ἔρωτας (οἱ κόλακες) τοῖς κολακευομένοις ἐ π ι τ ί θ ε ν τ α ι.*

487 A Iure homines *ἐπὶ τῆς χάριτος ἀξιοῦσι μείζονα τοὺς λαμβάνοντας ἡγεῖσθαι, μικροτέραν δὲ τοὺς διδόντας.*

Sensu cassa haec, nisi (post *ἡγεῖσθαι* vel alio loco) inseritur *τὴν αὐτήν* vel *τὴν ἴσην.*

487 C Parum solita oratione hic inter se opponuntur *ἐκ παίδων* et *ἐπ' ἀνδράσιν* (cum ad adultam aetatem pervenissent).

ib. Mira hic et, nisi egregie fallor, incognita historicis narrantur de *potentissimis* ea aetate Graecorum, qui propter Aedepsum eiusque amoenitates internecivum inter se gerentes bellum ad eam sint prolapsi vecordiam ut ad eos coercendos extrema *tyranni* opus fuerit severitate.

488 C Imitari oportet Pythagoreos qui *γένει μηδὲν προσήκοντες ἀλλὰ κοινοῦ λόγου μετέχοντες*, si forte rixa inter eos orta esset, nunquam non ante solis occasum dextras iunxerint.

Prudenter, ut semper, Stegmannus ante *ἀλλά* excidisse *ἀλλήλοις* statuit, cui cur obloquatur editor non video.

489 A Proelio cum Gallis conserto Seleucus nusquam comparuit et cecidisse eum fama erat

πάσης ὁμοῦ τι τῆς στρατιᾶς ὑπὸ τῶν βαρβάρων κατακοπείσης.

Verba *ὁμοῦ τι* non vertit interpres. Sunt tamen minime obscura, et fuisse videntur Plutarcho in deliciis: *tantum non.*

489 D Commemorato praeclaro dicto, quo Euclides iratum fratrem confutavit, sic pergit:

τὸ δ' Εὐμένους τοῦ βασιλέως ἔργον, οὐ λόγος, ὑπερβολὴν οὐδεμίαν πραότητος ἀπολέλοιπεν.

Ab ipso Plutarcho istud *οὐ λόγος* tam importune additum vix crediderim. Si abest, multo melius elucet oppositio.

489 F Eumenem occisum esse nuntiato, Attalus frater eius

τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ Στρατονίκην ἔγημε καὶ ....

Ioculare est quod additur in codicibus *συνῆλθε.* Lubenter credimus: *θέμις ἤδ' ἀνδρὸς καὶ γυναικός.* Sed non commemoravit istud scriptor verecundissimus. Egregie Bernardakius correxit *συνῆρχε.* Reginae eam loco habuit successor ille aequissimus.

490 C Refutare et abigere oportet malevolum, discordiae serendae causa

ὑπορύττοντα τῶν ἀπορρήτων ἔνια.

Immo *ἀνορύττοντα,* nam protrahit in lucem quae irreperta melius sita sunt, non *ὑπορύττει,* quod *delendi* et *infirmandi* vim habet.

491 B „Pluris fratrem quam amicum facere oportet; contrarium non tam est decori amico quam dedecori fratri"

ἀλλὰ περὶ ταύτης μὲν ἑτέρωθι τῆς γνώμης γέγραπται τὰ δοκοῦντα διὰ πλειόνων.

Quemnam librum suum hic respiciat Plutarchus me fugit. Porro documento hic locus est non tantummodo *hiatus vitandi* causa mire interdum vocabula disponere nostrum.

491 C Recte habet versus Menandri:

οὐδεὶς ἀγαπῶν αὐτὸς ἀμελεῖθ' ἡδέως.

Ut evadat *versus,* insere *γάρ* post *οὐδείς.*

492 A Singularem vocabuli usum habes in hisce:

πεμπόντων δὲ τῶν Θεσσαλῶν φ ρ υ κ τ ο ὺ ς περὶ βασιλέως πρὸς

τὸν θεὸν εἰς Δελφούς, ἐνέβαλε κρύφα τοῦ πατρὸς ὁ θεῖος ὑπὲρ τοῦ Ἀλεύα.

Perspicua est sententia: Delphos Thessali mittebant *sortes*, i. e. literas obsignatas, in quibus singulatim de variis hominibus sic deus consulebatur: „huncine regem creemus?" Tum clam rege sortibus illis haec addebatur: „Aleuamne creemus regem?" Ergo Φρύκτους (sc. κυάμους) hic δέλτων habet vim.

Atque haec narratio Plutarcho facultatem praebet demonstrandi cur non liceat suos sed liceat fratris filios laudare: δοκεῖ γάρ μοι καὶ τοὔνομα καλῶς ὑφηγεῖσθαι etenim est .... θεῖον ὡς ἀληθῶς. Eiusdem illud est qui concordiae admoneat argumento usus Μουσῶν nomine τῶν ὁμοῦ οὐσῶν.

CAPUT XII.

DE AMORE PROLIS [1]).

Libellum *de fraterno amore* hic in codicibus excipit. Sic aliquatenus intellegitur quomodo nata sit scriptorum horum moralium collectio quam nunc habemus. Huc illuc sparsae erant illae clarissimi philosophi ad amicos epistulae, orationes, diatribae;

---

1) Priusquam ad hunc libellum tractandum transeam ea, quae huiusce voluminis p. 228 (inde a verbis *sunt iis* l. 20) et sequenti (usque ad l. 7) leguntur, sic esse corrigenda moneo:

Sunt iis nomina Nigrinus et Quintus sed pro altero legendum est *Quietus* secundum Q. C III, 1, 5, ubi in genitivo audit Κυητοῦ, atque idem illud nomen reddendum Macrobio (VII, 3, 15) pro *Quinto*, nam ét apud Macrobium (l. c.) et illo Quaestionum Convivalium loco iisdem fere verbis hoc documentum datur quanta ille integritate suae provinciae praefuerit:

> cum aegrotans de frigidis quereretur manibus, „atqui" amicus quidam inquit „calidas eas e provincia retulisti". Sic adversus illum iocari amicus poterat, gnarus probe eum intellecturum contrarium cogitari.

Denique *Quieto* (non Quinto e ci. Reiskii, Κύντε pro Κύνιε legentis) dedicatus est praeclarus ille liber de S. N. V. Ad Nigrinum quod attinet, in promptu est coniicere eundem eum esse atque Avidium Nigrinum proconsulem, quocum per literas de re gravissima egit Domitianus (Plin. Epl. X, 65 sq.). Ergo et hic eo tempore fuit vir amplissimus. Atqui fratres sunt Nigrinus et Quietus. Inspice nunc C. I. L. VI, 3828 (= Dessau 6105). Legitur ibi . . . dio Quieto. Non dubitabis quin recte Mommsenus lacunam literis *Avi* impleverit.

Avidiis ergo fratribus suum *de fraterno amore* dedicat libellum Plutarchus lepidissima urbanissimaque hac usus praefatione.

post mortem eius sedulo conquirebantur, conquisitae disponebantur coniungebanturque. Quo munere qui fungebantur grammatici philosophique interdum rem acu tangebant, velut cum librum *de superstitione* statim post *septem sapientium convivium* ponerent; ipsum hoc sic voluisse Plutarchum credibile est: cum in *convivio* admodum strenuus exstitisset miraculorum patronus, ne hoc libro ad nimiam credulitatem abriperentur homines, statim alterum adiunxit, cuius hoc esset primarium propositum ut demonstraretur minus esse impium eum qui omnino deos esse neget quam qui dirissima quaeque et turpissima de iis credat. Sed saepe externam speciem secuti et titulorum similitudine in errorem inducti inter se iunxerunt quae essent diversissima. Sic libellus *de fraterno amore* vitae plenus est: ipsam enim vitam spectat et ad mores hominum emendandos est utilissimus, ob eandemque causam lectu est iucundissimus et variis exemplis narrationibusque legentem detinet. Et subiungitur hic qui neque suavitatis neque utilitatis habet quidquam: docta docti est philosophi diatribe, qui nunc quidem de curandis sanandisque hominum mentibus non cogitat, philosophicam quaestionem quam accuratissime illustrare studet et in ea re neque labori neque chartae pepercit, nam dubium non est quin multo maior pars perierit. Sermo est admodum intricatus neque desunt loci ubi ingenii quoddam ostentandi deprehendatur studium. Aequales tamen Plutarchi, ut equidem opinor, doctum hoc et laboriosum opus impense admirati sunt. Cui si quis suum sibi inter Plutarchi scripta assignare locum velit, haud inepte cum libris ab eo contra Epicureos scriptis coniungat. Quaedam enim hic leguntur quae libri *adversus Colotem* nos admoneant.

Quae de singulis libri lectu tam difficilis locis observanda videantur haec fere sunt:

493 C Adeo a sua natura aberrarunt homines ut iam debeamus *ζητεῖν ἐν ἵπποις καὶ κυσὶ καὶ ὄρνισι, πῶς γαμοῦμεν αὐτοὶ καὶ γεννῶμεν καὶ τεκνοτροφοῦμεν.*

Aut sensu cassa haec sunt aut falsissima absurdissimaque. Sed vera et apta praebet interpres: „apud equos, canes et aves quaerimus quomodo nobis matrimonia *contrahenda*, proles *procreanda* et *educanda* sit".

Ut sana haec sententia in Graecis insit verbis lenissima emen-

datione *γαμῶμεν* et *τεκνοτροφῶμεν* legamus pro eorundem verborum indicativis.

Sequuntur haec:

ὡς μηδὲν ἐν ἑαυτοῖς δήλωμα τῆς φύσεως ὃν τὰ τῶν θηρίων ἤθη καὶ πάθη προσαγορεῦσαι

quae cum praecedentibus non cohaerent. Reiskii supplementum *καί*, ante *τά* positum, probat Wyttenbachius, et certe sic vitium tollitur. Videndum tamen an non rectius illud *καὶ* ante *ὡς* ponatur. Mihi quidem in hac re hiatus impedimento non est. Insolite hic *προσαγορεῦσαι* positum est hoc fere sensu: convertere se, appellare, consilium inde petere. Vitium subesse non credo.

ib. (Natura nostra) *πρὸς πολλὰ μιγνυμένη δόγματα καὶ κρίσεις ἐπιθέτους ποικίλη γέγονε καὶ ἰδία.*

Quae sint *κρίσεις ἐπίθετοι* intelligere mihi videor. Sunt iudicia aliunde, non ex nostra ipsorum mente, petita. Conferatur quod de vocabuli *κρίσις* significatione annotavi ad priorem partem disputatiunculae libello *de fraterno amore* praemissae. Sed *ἰδία* mihi ferendum non videtur, licet annotet editor: *ἰδιάζουσα ἑκάστῳ.* Hanc enim vim adiectivum illud neque habet neque potest habere. Quid requiratur docet quod continuo sequitur: *τὸ δ' οἰκεῖον οὐ τετήρηκε.* Requiritur ergo aliquid quod *τῷ οἰκείῳ opponatur*, *ἴδιος* vero et *οἰκεῖος* tantum non synonyma sunt. Ipsum vocabulum non praesto. Nam *ἀλλοτρία* a ductibus literarum traditarum nimis remotum est.

493 D Ne miremur *εἰ τὰ ἄλογα ζῷα τῶν λογικῶν μᾶλλον ἕπεται τῇ φύσει· καὶ γὰρ τὰ φυτὰ τῶν ζῴων, οἷς οὔτε φαντασίαν οὔθ' ὁρμὴν ἔδωκεν ἑτέρων ὄρεξιν τοῦ κατὰ φύσιν ἀποσαλεύουσαν.*

Admodum molestum quod legenti verbi *ἔδωκεν* subiectum petendum est ex *φύσει.* Diu frustra quivis illud quaerat necesse est. Sed prorsus non ferenda sequentia, quae arenae sine calce instar sunt. Annotat editor Emperium pro *ἑτέρων* proposuisse *ἐνεργόν*, quod vix credo, nam illa vox ad totam sententiam non quadrat, sibi autem magis placere *ἢ ἑτέρων*, quod mihi quidem languidissimum videtur. Suspicor totum istud *ἑτέρων ὄρεξιν* natum esse ex annotatione quae legentem certiorem fecerit pro

ὁρμήν exstare *variam lectionem* *ὄρεξιν*. Si in marginem erit reiectum, optime procedent omnia.

ib. Parum elegans hoc quod cetera animalia (praeter hominem) primum cum nave comparantur, quae movetur quidem sed ancora retinetur, deinde dicuntur tamquam frenis et habenis regi ita ut rectam teneant viam.

493 E Illa naturam sequuntur neque alia legum praemia poenasque respicientes neque *τιμὰς τρίπαιδας*.

Optime ultimum vocabulum correxit Doehnerus, vir acutissimus, *τριπαιδίας* reponens. Lepidissime additur:

ὡς Ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι καὶ γεννῶσιν, οὐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν ἀλλ' ἵνα κληρονομεῖν δύνωνται.

Agnoscis hic scriptorem qui vitae haud parvam partem Romae degerit.

494 A Omnia quae ad animalium graviditatem partumque pertinent enarrare pudor me vetat

πλὴν ὅτι γίγνεται ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῷ Φιλοστόργῳ, ταῖς προνοίαις, ταῖς καρτερίαις, ταῖς ἐγκρατείαις.

Prorsus me fugit cur editor commemoret tantummodo, non recipiat in textum egregiam Emperii emendationem *ἕκαστον αὐτῶν ἕν*. An ullam putat excogitari posse rationem qua ista praepositio defendatur?

494 B Nidum suum accuratissime perfectum alcyon *ἀκριβῶς ὑπέθηκε τῷ κλύσματι τοῦ κύματος*. Operam perdit infelix avis, si tamen *mergitur* nidus, neque ad eam rem magna opus est cura (*ἀκριβῶς*). Repone cum Doehnero *ἐπέθηκε*.

ib. Tam accurate autem illae aves nidum ad sui corporis mensuram construunt

ὥστε ... μηδὲ θάλατταν παραδέχεσθαι μηδὲ τὰ ἐλάχιστα.

Iure editor malit *παρεισδέχεσθαι*. Sequitur:

μάλιστα δ' οἱ γαλεοὶ ζῳογονοῦσι μὲν ἐν ἑαυτοῖς κτέ.

Istud *μάλιστα* quorsum pertineat in tenebris latet. E corrupto praecedenti *τἀλάχιστα* natum suspicor, Plutarchum autem scripsisse *οἱ δὲ γαλεοὶ ζ. κτέ.*

494 F Quotidie ante oculos sunt gallinae et aliis rebus pullis suis prospicientes èt προσέρποντα πανταχόθεν ἀναδεχόμεναι. Delectant me pulli isti *reptantes*. Sustulit ineptias Doehnerus προστρέχοντα legendo.

ib. κύνας δὲ καὶ δράκοντας, ἂν περὶ αὐτῶν φοβηθῶσι, φεύγουσι. Fabulosas bestias ab hoc loco alienas puto, sed quid pro δράκοντας sit legendum non definio.

ib. Denuo in *animalium* nomine turbatum est, ubi hanc partem disputationis suae sic concludit scriptor: et putemus haec omnia sic naturam creasse

ἀλεκτορίδων ἐπιγονῆς καὶ κυνῶν καὶ ἄρκτων προνοοῦσαν

et non prospicientem hominibus eosque exemplis monentem? Quandoquidem in praecedentibus *non* fuit sermo de canum fetu, et hic siletur de alcyonibus, de quibus accurate est disputatum, dubium non est quin pro κυνῶν recte Doehnerus ἀλκυόνων reposuerit.

495 A Admodum raro vocabulorum usu hic inter se opponuntur: οἱ ἑπόμενοι, ii qui naturae obtemperant, et οἱ ἀνάλγητοι, ii qui praecepta eius exemplaque nihil curant.

495 E γῆν ἐν φυτοῖς ὀργῶσαν ἐν καιρῷ παρέχειν nihili est, licet annotet editor: „ἐν φυτοῖς i. e. ἐπὶ τῶν φυτῶν frustra tentatur”, nam ista explicatione nihil proficimus. Dele prius ἐν ex errore in Plutarchi textu frequentissimo natum: oportet in tempore agrum tamquam cupidum concipiendi praebere *semini*.

495 F Contorte admodum et nimio ornatu obscure haec dicuntur de foetu quae in utero alitur:

ἄχρι οὗ τοὺς προσήκοντας ἀριθμοὺς τῇ ἐντὸς αὐξήσει κυηθὲν ἑτέρας ἀνατροφῆς καὶ χώρας δέηται.

ib. Tum vero natura

ἔχει παρεσκευασμένας οἷον ἐγγείους ἢ τινας κρήνας νάματος ἐπιρρέοντος.

Deliberandum etiam fuit editori ut certam probaret Reiskii

emendationem ἤ delentis. Et tamen ne nunc quidem in textum eam recepit!

496 A Lepide de eadem haec dicuntur:

εὐμενὲς τῷ τοῦ νηπίου στόματι καὶ προσφιλὲς ψαῦσαι καὶ περιλαβεῖν ἐνδίδωσι ταμιεῖον

nisi quod simplici verbo δίδωσι opus hic est.

496 D Versus Iliadis (Λ 269 sqq.) quibus parientis dolores describuntur non Homerum scripsisse sed Homeridem quandam

λέγουσι τεκοῦσαν ἢ τίκτουσαν ἔτι καὶ τὸ μῖγμα τῆς ἀλγηδόνος . . . ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἔχουσαν.

Praeclara est Reiskii emendatio νύγμα legentis pro absurdo μῖγμα. Sed ne sic quidem locus est persanatus. An quisquam tam insanus fuit unquam ut *parientem* fingeret versus facientem, atque adeo *etiam* (ἔτι) parientem? Restituetur manus Plutarchi si sic legemus: λέγουσιν, ἔτι τὸ νύγμα τῆς ἀλγηδόνος . . . ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἔχουσαν, cetera sciolo reddemus.

Adduntur haec: ἀλλὰ τὸ φύσει φιλόστοργον ἔκαμπτε καὶ ἦγεν. Nollem editor hic pro ἦγεν coniecisset, ἦγχεν, quo nihil minus aptum potuit excogitari. Aptissime contra κάμπτειν καὶ ἄγειν inter se iunguntur: a mala abducere via et ducere recta.

496 E Recens natum infantem mater statim fovet refrigeratque

τίνων ταῦτα μισθῶν ἢ χρειῶν ἐκείνοις; ἀλλ' οὐδὲ τοῖς νῦν.

Omittit haec interpres; certe ista ἐκείνοις et τοῖς νῦν admodum obscura sunt. In praecedenti tragici fragmento quae sint σπαργάνων ἐρείπια frustra quaero.

497 A Lepide perstringuntur heredipetae *Romani*, quos ex Horatio, Luciano, Martiale aliis tam bene cognitos habemus. „Divites" ait „cur liberos habere cupiunt? Num ut ab iis adultis alantur ipsi? An ut habeant heredes?"

οὐ γὰρ ἔστιν εὑρεῖν οὐδ' ἐπιτυχεῖν τοῦ τἀλλότρια βουλομένου λαμβάνειν.

Optime haec sic vertit interpres: „*scilicet*, quia non licet invenire qui aliena accipere velit".

497 B Danaus quinquaginta filiarum pater

εἰ ἄτεκνος ἦν, πλείονας ἂν εἶχε κληρονομοῦντας καὶ οὐχ ὁμοίως.

Addit *ἀχαρίστους* Reiskius. Leniori emendatione *ὁμοίους* legemus: non similes, i. e. meliores.

497 C Facile quamvis multos amicos inveniunt non omnes divites sed divites orbi:

τούτους οἱ πλούσιοι δειπνίζουσιν, οἱ ἡγεμόνες θεραπεύουσιν, οἱ ῥήτορες μόνοις τούτοις προῖκα συνηγοροῦσιν.

Haec sic refingenda censet editor: *τούτους* (orbos), *εἰ πλούσιοι, δειπνίζουσιν οἱ ἡγεμόνες, θεραπεύουσιν οἱ ῥήτορες, μόνοις κτἑ.*

Frustra, ut opinor. Sua cuique danda sunt, nunc singula de ceteris, bina de oratoribus enuntiantur. Quid autem ducibus et magistratibus cum cenis? Epulis excipere proprium est divitum; ducum autem et imperatorum coli et observari, orbos vero pecuniosos colunt ultro observantque.

ib. Postquam satis iam demonstravit solam naturam facere ut liberos ament parentes, sic pergit:

ἐξαμαυροῦται γὰρ καὶ ταῦτα καὶ πολλὰ τῶν ἄλλων ὑπὸ τῆς κακίας.

Nullus hic particulae *γὰρ* locus: ad *alia* enim transitur. Lege ergo *δέ* cum Amyoto.

AN VITIOSITAS AD INFELICITATEM SUFFICIET.

Si quis unquam exstiterit qui omnino sibi incredibile videri declaret vel fraude vel casu scriptoris antiqui libris spuria quaedam esse admixta — et quam opinionem nunquam ab ullo mortalium prolatum iri pro certo affirmare possumus? — is mihi legat ineptias quas hicce *περὶ κακίας* et *κακοδαιμονίας* libellus Plutarcho obtrudat: statim sententiam mutabit. Habemus enim hic meras nugas quisquiliasque, quas sophista aliquis a Plutarcho quam diversissimus effundens paratum sibi speravit legentium audientiumque plausum. Et tamen in sola Didotiana asteriscum appictum titulo videmus. Ergone neque Wyttenbachio

neque Bernardakio quidquam suboluit? At damnare libellum non dubitavit Naberus. Dixeris ergo meis iam argumentis opus non esse. Certe ipse mihi non is videor qui Naberi suscipiam patrocinium. Sed paucis verbis defunctus ille est; res ipsa autem haud indigna est de qua accuratius disputetur, cum praesertim videamus aliorum, eorumque maxime idoneorum, iudicum et fuisse et esse etiamnunc contrariam sententiam. Age ergo litem hanc, nam *litem* esse apparet, tandem aliquando ad exitum perducere conemur!

Naberum hoc prae ceteris movet, et hoc solo utitur ille argumento, quod de Decio absurdissima hic traduntur et quae ineptum in modum recedant a pervulgata narratione. Et sunt profecto absurdissima illa et Plutarcho prorsus indigna. Sed ut quam sint inepta et insana penitus *sentiatur* — nam *sentiuntur* eiusmodi res magis quam certis argumentis demonstrantur — totum caput, ubi leguntur, considerandum est. Quod qui fecerit non poterit non mirari talia unquam pro Plutarcheis venditari potuisse. De toto ergo capite illo (tertio) nostris referamus verbis.

Inducitur ἡ κακία („vitiositatem" eam appellat interpres, et utendum nobis eo est vocabulo, quoniam melius aliquod in promptu non est), Vitiositas ergo inducitur cum Fortuna disputans ut demonstret ab illa sola hominem miserum reddi non posse. Atque sic fere suam agit causam:

„Paupertatemne minaris, Fortuna? Ridet te Metrocles qui hieme in ovium stabulis, aestate in vestibulis templorum noctem degens Persarum rege sibi beatior videretur, licet hibernam ille haberet regiam Babylone, aestivam in Media".

Hic mihi paulisper subsistendum est. Si quidquam in his probandum, equidem probanda censeo *stabula* illa *ovium*. Quid enim aptius mendico vel vero vel simulato quo hieme sub noctem confugiat? Nonne is ad summam redactus aut est aut videtur paupertatem, qui ne inter immundissima quidem animalia somnum capere reformidet? Haud ita Usenero visum qui pro Graecis vocabulis ἐν τοῖς προβάτοις reponi iussit ἐν τοῖς πριβάτοις i. e. in balneis privatis. Hic notum illud „distingue" usu venit. Ipse Plutarchus vocabulis utitur latinis, sed raro et cum ipsa res de qua agitur tantum non cogit uti. Sic in libello de vitando aere alieno *Kalendarum* nomen legitur, aptissime: ante

oculos enim nunc pastor noster ovibus suis ponit pericula iis impendentia nisi cavebunt sumptibus suis excedere reditus terminos: tum enim aes alienum contrahere debebunt, quae res quantum habeat mali certo experientur tempore, nunquam enim deerit vir ille metuendus qui eos *Kalendarum* admoneat; nam in provinciis foeneratores plerumque erant equites *Romani*, et *Romanis* tota res peragebatur legibus, ergo tunc Graeculis *Kalendae* aeque erant notae atque olim ἡ ἐνή τε καὶ νέα. Tum latinis utitur vocabulis Plutarchus cum de rebus agit Romanis aut certe Romanis magis quam Graecis: tum enim ea vocabula magnam habent persuadendi vim. Hic vero cur *privata* potius quam ἴδια vocet βαλανεῖα? Et quis mendicus tam est praeposterus et perversus ut multo labore privata effringat balnea, publica, etiam patentia, praetereat? Stabula autem ovium hieme et calorem praebent et haud magno aperiuntur labore; aestate, cum pecus in montes acta est, aut omnino nulla sunt — magna enim eorum pars in tempus e lignis componitur — aut ita iacent neglecta ut pluvialem aquam non arceant. Tum templorum vestibula perfugium praebent gratumque frigus. Non fuit iste Plutarchi imitator — nam cum imitatore Plutarchi hic nobis res est — adeo ét in Plutarcho ét in sui temporis vita ipsa hospes ut ista omnia ignoraret.

Pergamus, nam pergit Vitiositas et sic declamat:

„An servitutem affers, vincula, forum venale? Contemnit te Diogenes ille qui, cum a praedonibus venumdabatur, exclamabat: quis dominum vult emere? An venenum misces?"

Etiam in sermone Graeco mirum quantum impostor hic turbet: κύλικας φαρμάκου ταράττεις ait.

„An venenum misces? Nonne et Socrati illud propinasti, nonne ille ebibit impavidus, lenis, placidus, neque colore neque habitu mutato? Post mortem vero eius *vivi* (profecto sic Graece legitur: οἱ ζῶντες) beatum eum praedicabant (mirum ni *mortui* id fecerint!) quod ne apud inferos quidem sorte cariturus esset divina? Ignem tibi praeripuit Decius Romanorum dux, qui inter duos exercitus exstructo rogo *ex voto* se immolavit Saturno pro patriae principatu".

ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας ait. Nonne sic ea sunt verba latine vertenda ut ego verti? An prorsus sensu cassa sunt? Sed quae

insania hunc egit hominem ut inter se confunderet Decii mortem et ... Peregrini? Confudit tamen et sic omnem nobis ademit facultatem credendi genuinum hoc esse Plutarchi opusculum. Quinquaginta enim post Plutarchi mortem annis se *ex voto* Peregrinus in ignem iniecit ardentem, quod neque ante neque post illum fecit quisquam.

„Uxores apud Indos, quae quidem maritos suos amant probaeque sunt, de rogis inter se pugnant certantque, quaeque victoriam reportavit et cum viro suo crematur, eam felicem vocant ceterae".

Mira hic declamator utitur vocabulorum structura: *τὴν νικήσασαν ... συγκαταφλεγῆναι.*

„Neque quisquam ibi sapientium beatus felixque videtur qui non vivus, mentis compos, sano corpore, igne animam a corpore separarit, purusque excedat e carne, postquam *abluit* quidquid habebat mortale".

ἐκνιψάμενος τὸ θνητόν. En hoc est Graece scribere!

„An a divitiis, regia, cena opipara lautaque compellere vis ad peram mendicorumque panem? Hoc Diogeni felicitatis, Crateti gloriae fuit initium. An cruci affiges palove? Quid Theodori interest utrum humi putrescat an supra terram?"

Credatne, obsecro, quisquam talia a Plutarcho scribi potuisse? Et tamen, quamvis absurdum hoc caput sit, aliquid certe quod minime est spernendum hinc potest protrahi. Scriptor hic — et quam ineptus ille sit nunc quidem non refert — qui procul dubio Plutarchum se esse mentitur, ergo aliquanto *post* Plutarchum vixit, cum demonstrare vult ne crucem quidem infelicitatis esse causam posse, nullum aptius afferre argumentum potest quam dictum illud agreste et vere cynicum Theodori. Ne fando quidem quidquam audivisse videtur de fidelibus illis qui Magistri sui crucem summam putant gloriam summumque decus.

Considerandum hunc locum relinquo viris doctis qui vetustissimae Christianismi operam dant historiae.

Denique quo melius appareat e quo genere scriptorum iste sit: cum dicere vult: „Vitiositas non latronum opera utitur qui hominem excipiant in montium anfractibus locisque solis, non grandine qui vastet segetes", sic blaterat:

οὐ λῃστῶν ἐνοδίοις διαζώννυσιν ἐνέδραις ἐρήμους ὑπωρείας, οὐ νέφη χαλαζοβόλα πεδίοις περιρρήγνυσι καρποφόροις.

Et sunt cetera ad eandem normam. Sequitur hic aliquid quod certa emendatione corrigi et possit et debeat. Nam cuicuimodi iste nebulo fuit, *intelligi* certe voluit:

οὐ Μέλητον οὐδ' Ἄνυτον οὐδὲ Καλλίξενον ἐπείγει συκοφάντην.

Illud *ἐπείγει* Bernardakii est pro tradito *ἐπεί τι.* Quanto Wyttenbachii certa emendatio *ἐπάγει* praestat!

Cetera cum pulvisculo excutere piget taedetque.

ANIMINE AN CORPORIS AFFECTIONES SINT PEIORES.

Hoc quoque fragmentum levem quidem et tantummodo titulum aspicienti sed tamen aliquam movet de auctore dubitationem. Quae cuiusmodi sit paulo accuratius exponere lubet. Novimus omnes librum illum *de frigoris origine* sive, ut Graeca hic verba verti solent, *de primo frigore.* Ibi variae sententiae:

a frigus est caloris deminutio
b „ „ aer frigidus
c „ „ aqua frigida
d „ „ terra frigida

proponuntur et sola earum prima plane ut levis futilisque damnatur, ceterae quam accuratissime tractantur defendunturque, atque ita ut quae scriptori maxime placeat haudquaquam appareat, totaque disputatio sic clauditur:

„hanc opinionem (frigus esse terram frigidam) ceteris oppone. Quod si illis minus probabilis videtur, immo vero nisi ceteras probabilitate longe videtur superare, missas fac omnes, philosopho dignius esse ratus in rebus incertis iudicium differre quam se huic vel illi sectae addicere."

En hic habemus philosophum qui non solum Academicus est sed etiam *βούλεται εἶναι τοιοῦτος*, cui *ἐποχή* illa non tristis quaedam videtur necessitas, quam aequi bonique vir vere sapiens consulere debet, sed qui illud putat omnis philosophiae propositum, quo naviter et ex animi sententia cuivis docto sit tendendum. Tam Academice atque adeo tam Sceptice vix unquam

audimus Plutarchum disputantem, neque mirum est exstitisse virum doctum qui contenderet non tam suam quam alienam hic defendere Plutarchum opinionem. Iohannes Schroeterus ille est, qui nuper libello eleganter scripto, apte disposito atque bonae frugis pleno (prodiit ille Lipsiae ex aedibus Dicterichianis) demonstrare conatus est Plutarchum non sponte iniisse viam illam quae *a dubitatione ad fidem* [1]) ducat sed Philonis vestigia secutum. Ita se rem habere equidem infitias ire nolim, sed non est cur ob eam causam Plutarchum contemnamus. Etenim quamvis doceat idem Plutarchus quod Philo, ne hic quidem quidquam docet quod non ipsi sit persuasissimum, et longe longeque auctorem suum superat, tenebrionem istum qui suis allegoriis omnia perturbat obscuratque.

Sed scriptus est liber ille *de primo frigido* Favorino philosopho *sceptico* et inter scripta Plutarchi singularem tenet locum. Certe nullum novi quod nobis ita *meram* praebeat doctrinam, eam doctrinam quam *doctrinae causa* exerceri aiunt, quam ceteroquin Plutarchus minime solet habere in deliciis, neque ullum quod tam aperte uni tantummodo sit homini destinatum eique non minus docto quam ipse est scriptor. An *iuniori* hic in re philosophica socio Plutarchus specimen dare vult quomodo agendum illi sit qui difficilem aliquam quaestionem quam accuratissime tractare velit?

Quocunque modo se res habet, quin Plutarchi liber ille sit neque dubitat quisquam neque potest dubitari: tanta est cura tantaque diligentia elaboratus — etiam hiatus sedulo vitantur — ut affirmare liceat non potuisse eum *ἀκέφαλον* errare inter homines, hunc qui scripsit strenue dedit operam ut sibi vindicaret opus unde tantum laudis posset sperari gloriaeque. Eiusmodi liber qui auctor *fertur* auctor *est.* Accedit indicium unum minime spernendum: hic quoque habemus flosculum illum quo adeo delectari solet Plutarchus de aqua e puteo hausta iterumque demissa sed ita ut urna qua hausta est superficiem aquae, quae est in puteo, non tangat: haustam tum aquam frigidiorem aqua putei esse docet.

Sed alia est illius libri et nostri fragmenti causa. Litem *de*

---

1) Germanice: „von der Scepsis zum Offenbarungsglauben".

primo frigido a Plutarcho non dirimi facile ferimus; utrum esset aqua illud an aer an denique terra, quamvis docte de ea re disputaverit, parum eum curasse consentaneum est. Facile se poterat hic communem praebere omnibus iudicem, qui aequo esset quemvis litis exitum laturus animo. Ad mentes hominum tota illa quaestio non pertinet. *Sana* mente esse potest qui aerem primum frigidum esse putat non minus bene quam qui pro aqua vel terra hic pugnat. At nunc vix auribus nostris credimus hoc *rogare* Plutarchum utrum peiores sint animi an corporis affectus, tamquam si de ea re ulla possit esse dubitatio. Vel *poni* ab eo eiusmodi dilemma est quod miremur, nam quisquis unquam de ea re dubitavit, nunquam noster dubitavit mentium medicus. Sed est *fragmentum* tantummodo, idque non plus quatuor paginarum, quod ubi perlegisti, omnem tibi exemptum sentis scrupulum: nihil habet vel in sermone vel in ornamentis orationis quapropter spurium nobis videri possit, contra haud pauca in quibus statim peculiare illud scribendi genus atque adeo ipsum agnoscas Plutarchum. Ii citantur poetarum loci quos prae ceteris semper in ore habuisse nostrum ex aliis eius libris novimus, illud

κινοῦσα χορδὰς τὰς ἀκινήτους Φρενῶν,

Agaves carmen quod occiso cecinit filio

ἄγομεν ἐξ ὄρεος,

adhortationem qua homo mente perturbatus placatur:

μέν', ὦ ταλαίπωρ', ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις.

Ipsum mentium medicum semper arti suae intentum hic videmus (501 B):

„qui corpore laborant ipsi medicos vocant, sentiunt enim quibus rebus sibi adversus morbos suos opus sit; at quorum mens aegra est ii *philosophos* fugiunt, in ipsis enim rebus illis, in quibus peccant, recte sibi agere videntur".

Pars vero ipsius vitae, quae tunc fuit hominum in provinciis Romanis, tamquam in tabula nobis proponitur in hisce (501 EF):

„Sed quid opus est animorum affectus enumerare, quorum ipsum quod nunc adest tempus nos admonet? Videtis magnam illam promiscuamque hominum multitudinem, quae nunc *huc* confluxit in forum et circum tribunal: pulsantur et alius alii impinguntur. Non ut patriis rem divinam facerent diis conve-

nerunt, non ut simul gentilibus uterentur sacris, non *Ascraeo* Iovi Lydiorum ferunt fructuum primitias, non Baccho nocturnas celebrant ferias communibusque funguntur orgiis; sed certo anni tempore morbi quodammodo vis summa Asiam exasperat et *huc* compellit ad iudicia litesque, quibus suus est constitutus dies. Tum, ut fluminum, causarum multitudo in unum incidit forum fervetque, certamina fiunt *perdentium* et *pereuntium*, ut ait Homerus".

Huc — huc, *ἐνταῦθα ... ἐνταῦθα.* Sic solet Plutarchus pro *ἐνθάδε.* Sed quo, quaeso? Romamne? Non opinor. Quid enim Romae cum Baccho et praesertim cum *Ascraeo* illo Iove? [1]) Et cum sic uno vocabulo *ἐνταῦθα* locum, ubi cum maxime versatur, Plutarchus iudicat, aut de sola cogitat Chaeronea aut certe de patria sua Boeotia. Ergo ita res se habere videtur ut praetor Achaiae stato tempore, atque eodem, quo magnae ibi in honorem indigenarum deorum celebrantur feriae, Delphis considat, ibique dirimendis vacet controversiis privatis, non Graecorum modo sed etiam Asianorum, qui mox deorum cum omnium tum Boeotorum obliti internecivum inter se gerunt bellum.

Denique ne mireris in idem huncce receptum libellum volumen, quod et librum *de tranquillitate animi* continet, atque adeo ut mireris non statim post illum esse positum, lege mihi quem sibi scriptor suae disputationis promittat fructum (500 C):

οὐ μικρὸν πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος.

Profecto, si integer ad nos liber pervenisset, multa hic quoque haberemus exempla atque praecepta ad sanandas hominum mentes utilissima.

Quae ad singulos annotem pauca sunt et eiusmodi ut plerumque cur haeream dicam, raro difficultatem tollere coner.

500 C Homerus nullum dixit in terris vivere animal *ὀιζυρώτερον ἀνδρός.* Nos vero hominem secum ipso comparemus *ὥσπερ ἤδη νικῶντα κακοδαιμονίᾳ ... καὶ τῶν ἄλλων ἀθλιώτατον ζῴων ἀνηγορευμένον.*

Scio interdum sic superlativum pro comparativo poni et cum

1) In Plutarchi Moralibus hoc loco solo deus ille commemoratur. Qui praeterea in *indice nominum* apud B. hic inveniuntur numeri, ii a nomine Ἀσκληπιάς aberrarunt.

genitivo τῶν ἄλλων (hoc sensu: *quam* alii) iungi, ut hoc significetur: „*multo* melior, peior simm.", sed hic, ubi in *comparandi* ratione tota res vertitur (αὐτὸν ἑαυτῷ συγκρίνωμεν), crediderim solito librariorum errore ἀθλιώτατον ex ἀθλιώτερον natum.

Tum „certamen instituamus corporis animique de suis malis" ait. „Non inutilis ea res sed qua maxime nobis opus est; scire enim oportet: πότερον διὰ τὴν τύχην ἢ δι' ἑαυτοὺς ἀθλιώτερον ζῶμεν".

Miramur hic subito *fortunae* iniici mentionem, sed quomodo decurrat disputatio sat bene tamen intelligimus. Sic enim pergit: „in corpore morbus oritur *natura*, mentis pravitas incipit eius esse opus, deinde morbus eius fit".

Hoc est: „si corpore laboramus, morbi causa extrinsecus est allata, ergo tunc habemus cur accusemus fortunam; si mente, morbi causa in nobis ipsis latet, ergo tunc praeter nos ipsos nihil aliud accusare possumus".

Continuo sequitur οὐ μικρὸν δὲ πρὸς εὐθυμίαν ὄφελος, quae verba iam laudavimus tamquam totius libri consilium — et consilium Plutarcho dignissimum! — in clara ponentia luce. Sed quae adduntur ea probare non possum. Quid enim suam sibi animo tranquillitatem reddere dicitur?

ἂν ἰάσιμον ᾖ τὸ χεῖρον.

Hic nimiam brevitatem aequi bonique consulo, quamquam admodum obscure scriptor significat se non solum peiores animi quam corporis esse morbos demonstraturum sed etiam peiores illos esse sanabiles. At his quae annectuntur recte esse tradita non credo: καὶ κουφότερον καὶ ἄσφυκτον. Non latuit vitium interpretem, qui haec dat: „allevarique *possit* et impetu careat". Sed hoc non est explere rimam verum fidelia obtegere; quid quod tantum partem obtegit? *Excidisse* hoc fere equidem crediderim: δύνηται γίγνεσθαι, ut tota haec sit sententia: „ad tranquillitatem animi multum confert si sciamus morborum nostrorum id quod peius sit genus aut sanari posse, aut certe ita allevari ut iis non concutiamur".

500 D Vulpes cum panthera certans utra sit ποικιλωτέρα, suam περὶ τὸ ἦθος εὐτροπίαν monstrat.

Nulla est in vocabulo *εὐτροπία* calliditatis et versutiae notio, virtus ea est potius quam vitium. Probe hoc sensit Reiskius et *εὐστροφίαν* proposuit. Provocare hic poterat et ad alios auctores et ad Aristophanem: in mentem enim venit Carionis in Pluto iocantis ubi *Στροφαίου* nomen audit.

500 E Corporis morbos et aliae res indicant et *πόνοι προπετεῖς*. Qui illi sint scire velim. Interpretis hic verba sunt: „*subitis doloribus* indicantur". Et eiusmodi aliquid hic requiritur sed e verbis Graecis peti non potest. Vitium subesse puto.

ib. Sed animi vitia plerumque latent et *διὰ τοῦτ' ἐστι κακίω, προσαφαιρούμενα τὴν ἐπ' αὐτοῖς τοῦ πάσχοντος αἴσθησιν.*

Non praepositione *πρός* (quid enim *praeterea* vitia illa hic adimere dicuntur?) sed *πρό* opus esse, nemo, ut opinor, semel monitus negabit. Sed mihi praeterea suspectum illud *ἐπ' αὐτοῖς* est, quod ab oscitante vel festinante librario scriptum puto pro *ἐπ' αὐτοφώρῳ.*

Statim sequitur: *τῶν μὲν γὰρ περὶ τὸ σῶμα νοσημάτων ἐρρωμένος ὁ λογισμὸς αἰσθάνεται.*

Sana quidem haec, sed neque eleganter neque perspicue enuntiata. Quid enim sibi illud *ἐρρωμένος* velit sequens demum *τοῖς δὲ τῆς ψυχῆς σ υ ν ν ο σ ῶ ν αὐτὸς οὐκ ἔχει κρίσιν ἐν οἷς πάσχει* docet.

500 F *ἀρχὴ γὰρ ἀπαλλαγῆς νόσου μὲν αἴσθησις ...*

Hiatus vitandi causa non suo loco posita est particula: oportebat enim sic: *ἀρχὴ μὲν γάρ.* Nam mox opponitur: *ὁ δ' ἀπιστίᾳ τοῦ νοσεῖν οὐκ εἰδὼς ὧν δεῖται, κἂν παρῇ τὸ θεραπεῦον, ἀρνεῖται.*

501 A Enumerantur hi corporis morbi qui *non sentiuntur*: *λήθαργοι, κεφαλαλγίαι, ἐπιληψίαι, ἀποπληξίαι.*

Et vox ipsa et usus docet unum ex his absurdissime hic poni. Nam quis ille est *dolor* qui *non* sentitur? Et dolere se nemo, ut opinor, sentit magis quam qui capite laborat. Exime totum vocabulum: sufficiunt enim tria exempla.

501 C Saepe ad persuadendum ei qui corpore laborat ut necessariam sibi quietem capiat sufficit monitum quale est illud *μέν' ὦ ταλαίπωρ' ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις.* At qui mente laborant *τότε μάλιστα πράττουσι, τότ' ἥκιστα ἡσυχάζουσιν.*

Haec quoque morbo laborare probe sensit editor, sed quam ille affert medicinam (*ὅτε* pro priore *τότε* legens) neque sanat quidquam et ridiculi aliquid addit. Quis enim monendus etiam est quo quisque magis opus faciat eo minus eum quiescere? Et remanet id quod et traditam lectionem et repositam vitii arguat. Requiritur enim hoc: „cum maxime *opus faciunt* et *se exercent*". Sed id in *πράττουσι* non inest. Totum illud *τότε μάλιστα πράττουσι* insulsum esse interpretamentum sequentium suspicor. Vix unquam a se impetrant scioli ut ad enuntiata *negativa* nihil adscribant.

501 D Mentis morbi hominem non sinunt in quietis confugere portum, atque sic ille per turbidum mare sine gubernaculo ancorave iactatur donec *εἴς τι ναυάγιον φοβερὸν ἐξέπεσε.*

Insolito sensu hic *ναυάγιον* non est navis *fragmentum,* sed id quod *frangit* navem. *Scopulum* interpres vertit.

501 E *ὥστε καὶ διὰ ταῦτα καὶ τούτοις χεῖρον νοσεῖν ταῖς ψυχαῖς ἢ τοῖς σώμασιν.*

Non fert hanc verbositatem editor et aut *διὰ ταῦτα* aut *καὶ τούτοις* damnat. Abesse hoc equidem malim.

ib. In loco supra laudato de litigantium multitudine qui certo anni tempore ex Asia affluunt ad praetorem Romanum illud *certo anni tempore* sive *die stato condicto* inaudito significatur vocabulo *ἐμπροθέσμως,* quod natum opinor ex *ἐκ προθεσμίας.* Proclivis error ille.

CAPUT XIII.

DE GARRULITATE.

Emersit e vadis et praetervecta est scopulos disputatio nostra: post scripta quaedam vel lacera vel spuria vel denique amoenitatis haud multum praebentia ad suavissimum illum *de garrulitate* pervenimus librum, sive, ut accuratius appellem, *de morbo hominis qui silere non potest*, quem nobis titulum statim in initio ipse subministrat scriptor, ubi lepidissimo utitur vocabulo *ἀσιγησία*. Quem si quis sua velit ornare laude dignum esse dicat qui cum libro *de fraterno amore* coniungatur: eundem enim statim utrobique agnoscis „philosophum", doctum, prudentem, lepidum. Et tamen aliquid haud leve inter duos hos libros interest. De fraterno amore Plutarchus scripsit ut *legeretur,* at noster liber dubium non est quin sit oratio in magno aliquo hominum conventu habita. Hoc ut primum demonstrem hosce afferre locos velim (510 D):

„in garrulis hoc observamus, eos cum amari cupiunt sui movere odium, cum iucundi esse volunt molestos esse, cum admirationem movere rideri, impensas facere sine ullo lucro [1]):

---

1) Sic nunc do cum vetusto interprete; semper tamen dubito annon rectius *οὐδέν* cum *ἀναλίσκουσιν* iungatur: „lucrum faciunt garruli, nihil impendentes ipsi" h. e. „rumusculos venditant quos gratis acceperunt". Difficilis est optio. Interpres partem ea verba facit iniuriarum quibus *semet ipsos* afficiunt garruli; si altera accipis ratione, melius cum sequentibus *ἀδικοῦσι τοὺς φίλους* iunguntur.

iniuria afficiunt amicos, prosunt inimicis, semet ipsos pessumdant"
cum eo qui mox sequitur (510 E):

„deinde adversus hunc morbum utendum est contrariorum consideratione, semper audientibus, recordantibus, in promptu habentibus taciturnitatis laudes, silentiique grave illud, sanctum, augustum, maioremque sui movere amorem, admirationem, sapientiores denique haberi quam effrenos istos concitatosque eos qui in se sint teretes et rotundi, breviloqui, quorumque in paucis verbis sapientiae multum comprehenditur"
denique eum quem p. 514 A habes:

„in narrationibus est loquacissimus is qui multa legit, in artis vocabulis grammaticus, in exterarum gentium descriptionibus vir qui multum peregrinatus est multosque vidit populos."

Eiusmodi loci illi sunt ut etiam qui latinam eorum audit interpretationem statim *oratorem* agnoscat; in primo tertioque quicunque Graece scit continuo sentit quam suaviter ad aures accedant adiectiva illa verbaque similiter sonantibus clausa syllabis.

Tum paulo accuratius consideremus id quod legimus 511 E:

„tantam habet in omnibus rebus vim consuetudo: age de illa iam dicamus"
ipsum, ut opinor, conspicimus oratorem in suo stantem suggestu.

Sed ex quo genere oratorum hic sit scire etiam volumus. Docebit hoc lepidissima disputatiuncula, quae mox sequitur (511 F):

„Consilium non tendit eo quo cursus equorum
Sophocles ait; sed neque eodem tendit is qui loquitur respondetque; illic enim is victoriam reportat qui primus advenit, at in loquendo, cum alius quispiam sat bene *responderit,* plaudere decet et probare: benevoli enim id hominis esse videtur; cum minus bene, neque importuni est neque invidi id quod ille *nescierit* explicare, quod omiserit supplere. Sed prae ceteris *caveamus,* cum *interrogatur* alius, ipsi ante illum respondere. Omnino non est urbani hominis, cum ab alio petitur aliquid illum submovere nosque ipsos offerre; iniuria haec est adversus alterum tamquam par non sit praestando id quod rogatur, ad-

versus alterum tamquam artem ignoret inde petendi unde possit accipere. Sed maximam habet contumeliam ista petulantia et protervitas in *quaestionibus dissolvendis*. Videtur enim is qui praecurrit *respondendo* illum qui interrogatus est hoc dicere: „huncine rogas illud; quid sapit iste" vel „me praesente alium *rogare* non oportet." Et tamen saepe aliquem rogamus aliquid non ut ab eo aliquid cognoscamus, sed ut vocem quae comitatem testetur eliciamus vel ut illum quoque ad nostrum alliciamus colloquium, ut Plato fecit in Theaeteto et in Charmide. Ergo praeripere alicui responsum, rogantis ad nos convertere aures eiusque ad nos trahere mentem non minus est absurdum quam ad eum qui ab alio se cupit salutari accurrere eumque amplecti, vel ad nos convertere oculos eius qui cum maxime alium adspicit. Quin etiam cum qui interrogatur omnino nihil habet quod respondeat, paulisper exspectare decet, deinde responsum suum ad rogantis sententiam accommodare, denique verecunde atque submisse accedere tamquam si veniamus pro alio qui invitatus sit. Nam si quis qui interrogatus est in respondendo errorem committit, iure huic parata est venia. Sed qui sponte pro alio surgit eique responsum praeripit, etiam si recte respondit molestus habetur, si vero a scopo aberrat derident eum omnes eiusque gaudent infortunio."

Audimus hic, opinor, magistrum et praeceptorem, qui semper et ubique *discipulorum* habet rationem, quamquam non illos solos sed simul semet ipsum admonet et a vitiis abducit. Sed *habita* haud dubie est oratio in contione ad quam magna et *varia* confluxit hominum multitudo. Cognoscite mihi ipsum libelli exordium, non magistri illud est sed *mentis medici*:

„loquacitas *morbus* est quae difficile curatur, nam medicamentum eius e *verbis* componitur, et verba sunt audienda; garruli autem nunquam quemquam audiunt, ipsi semper loqui volunt. Hoc primum habet ille nunquam silendi morbus quod audire vetat: voluntaria quaedam est surditas hominum naturam reprehendentium quod ab ea singulas acceperint linguas, aures binas."

Deinde observate quantam habeat tota persuadendi movendique vim disputatio, praesertim cum profertur eo loco quo omne confluxit hominum genus. Quam efficax ibi argumentum illud

est, eum qui morbo isto laboret semper assequi contrarium eius rei quam appetivit (502 E):

„Maxima silentii et taciturnitatis emolumenta sunt audire et audiri; quorum neutrum garrulo contingit. In ea ipsa quam petunt re adversa utuntur fortuna. Alii mentis morbi, avaritia, gloriae cupido, voluptas, saltem ea obtinent quae cupiunt obtinere, garrulos vero is manet dolor maximus quod auditores habere volunt sed nunquam possunt: quisque enim eos fugit; cum ad colloquendum consederunt homines vel simul ambulant, ubi garrulum vident accedentem sermone abrupto vel ambulatione discedunt."

Vel illud quod petitur e comparatione garrulitatis cum ebrietate (503 DE):

„Quicunque homo est verecundus et amans decoris ebrietatem vitabit. Iram aiunt esse vicinam insaniae, ebrietatem vero cum illa in iisdem habitare aedibus. Revera ebrietas tempore minus est mala quam insania sed origine multo est peior: est enim insania quam sponte aliquis petivit." „Quid autem" sic orator pergit „turpissimum habet ebrietas? Num quod, ut est apud Homerum, ad cantandum, ridendum, saltandum adducit? In his rebus mali nihil inest. Sed quod silere vetat."

Hic tamen fortasse locus aptissimus est ad *audientium* devinciendas mentes, ubi orator cur prorsus intolerabilis sit garrulitas describit (504 C):

„Lysias quondam cuidam viro, qui in iudicium erat vocatus, orationem scripserat; domum secum eam tulerat ille. Qui cum aliquoties eam legisset, abiecto plane animo ad Lysiam rediit dixitque sibi orationem illam, cum primum legeret, praeclaram visam esse, sed denuo tertiumque legenti languoris taediique plenam. Tum Lysias: quid tum? nonne semel eam ad iudices es habiturus? Et fuit Lysias ille orator, cui maxima vis summaque venustas:

comatae violis Musae cui semper amicae

possum enim de eo Pindari uti verbis. Homerum ipsum verissime quidem aiunt solum esse hominem qui taedium moveat nunquam, quia ipsa eius venustas faciat ut semper videatur novus recensque. Et tamen ille quoque de se profatur:

perspicue dictum rursus narrare recuso

strenueque dat operam ne unquam incurrat in malum illud quod semper cuivis poetae et scriptori insidiatur: audientium satietas. Sed garruli usque repetitis suis narrationibus aures hominum implent, velut si atramento commacularent nullius pretii chartulas."

Sed maxime illud consilium non monendi solum sed etiam delectandi multiplex variumque auditorum genus, qui neque omnes philosophiae dant operam neque illius sibi magistrum expetiverunt Plutarchum, inde elucet quod Homerum suum imitatus tam bene varietatis habet rationem. Usque nova offeruntur exempla quorum nullum non proposito suo aptissimum, nam

monent praecepta, secum exempla homines trahunt,

et hoc semper ante oculos habet hic orator, qui nunquam obliviscitur multo maiorem auditorum suorum partem indoctam esse hominum plebem, qui nunquam philosophiae sint initiati mysteriis. Inde vere admirabilis illa narratiuncularum copia et varietas. Quarum aliae sunt vulgo notae, saepius apud ipsum Plutarchum leguntur, nostra quoque aetate volitant per ora virorum qui aliquid habent literularum, aliae rariores sunt reconditioresque, apud solum inveniuntur Plutarchum sic exornatae, pleraeque, atque eae quae maximi sunt momenti, hoc solo leguntur loco. Sed hoc commune habent omnes quod proposito suo sunt aptissimae, quod legentem revera docent aliquid, quod ita proponuntur ut eum et commoveant et detineant. Has ergo omnes hic, in duo illa divisas genera vel obiter vel paulo accuratius referam: miraberis tantum earum numerum suum sibi locum invenisse in libello qui non plus triginta duas implet paginas Teubnerianas. Sed hoc praemittam: consulto non tangam quaestionem unde omnes hasce habeat fabellas, nullius enim momenti ea est cum componendi artem qua in scriptis moralibus Plutarchus usus est suo vis aestimare pretio, nisi forte contendere lubet Plutarchum omnes immutatas eodemque ordine ex aliquo ceteroquin ignoto transtulisse auctore — ad eam autem sapientiam nondum quisquam nostra prolapsus est aetate. Nam compendiis conspectibusque tam narrationum quam sententiarum quin usus sit Plutarchus quis dubitet? Quid quod ipse — quemadmodum alibi iam diximus — ipse sibi eiusmodi paravit

instrumenta. In hoc ipso vero libro insignis ille locus legitur ubi quo modo iis utendum sit exponitur (p. 511 A).

Probe ergo notae atque adeo decantatae narratiunculae, quae in libro de garrulitate leguntur, hae sunt:

1 Sulla Athenas obsidebat sed aliis eum alio vocantibus rebus iam copias suas inde erat moturus cum forte in tonstrina unus ex eius exploratoribus senes quosdam audiebat nugantes de moenium parte quadam non custodita. Quod ubi ad Sullam est perlatum, statim ab ea parte impetum fieri iussit, urbem expugnavit dirissimasque de incolis sumsit poenas. Quas et ipsas Athenienses eo provocaverant quod silere non potuerant. Etenim quamdiu Sullae milites ibi nihil agentes considebant usque stantes in moenibus cantaverant:

est facies Sullae conspersum polline morum.

(Aptissime ergo hic duo noster inter se iunxit exempla e quibus quae afferat pericula ἡ ἀσιγησία apparet).

2 Zeno ne sociorum suorum secreta traderet linguam demorsam in os conspuit tyranni.

3 Leaena Harmodii Aristogitonisque amica post heroum illorum interitum crudelissimos perferre cruciatus maluit quam socios eorum proderet. Quapropter postea Athenienses in honorem eius monumentum posuerunt quod et virtutem eius clare testaretur et ipsius quoque nominis servaret memoriam: erat leaena cuius os (apertum, ut opinor) lingua carebat.

4 Ulysses cum uxore, filio, nutrice depinguntur tamquam taciturnitatis exempla. Uxor promisit se ligno vel ferro parem fore duritie, ipse vero, quamvis esset commotus illius conspecta tristitia, etiam oculis suis imperitabat, ita ut *cornei* viderentur vel *ferrei*.

5 Pittacus a rege Aegypti rogatus ut sibi eam mitteret carnem quae simul esset optima pessimaque, linguam ei misit ex hostia exemptam.

6 Eorum qui Ibycum occiderant unus, cum supra theatrum, in quo considebant, grex gruum volitabat, continere se non potuit quin clamaret: „en Ibyci grues".

Minus notae, partimque etiam satis reconditae, hae sunt:

1 De Pisonis in Neronem coniuratione res nobis narratur cognitu dignissima neque usquam alibi tradita. Mirum in mo-

dum hic Plutarchus recedit a Tacito, cuius Annales, cum hunc scribebat libellum, *fortasse* cognitos habuit. Quod si ita est, nunc quoque videmus eum non magno opere laborasse ut libros illos, admodum obscure scriptos, atque ei certe satis difficiles lectu qui, ut Plutarchus, in sermone latino parum profecisset, accurate cognosceret. Sic enim narrat:

vir, cui imperatoris occidendi sors obtigerat (Scaevinum hic Plutarchus non nominat), cum ad theatrum ambularet, ante fores (Palatii ut opinor) servum conspexit vinctum, qui ad imperatorem adducebatur et de sua lamentabatur sorte. Accurrit ad eum Scaevinus et „precare" ait „ut hicce dies feliciter exigatur, postea mihi habebis gratias". Dictum istud arcanum servus arripuit, secumque hoc cogitans

stultus, adest si quid, spernit sequiturque remota

certam incertae praetulit salutem. Scaevini dictum ad Neronem detulit: statim ille prehensus est, omne tormentorum genus adductum; „tum" sic et lepide et sapienter suam claudit narratiunculam Plutarchus „adversus omnes illas necessitates infitiari conabatur id quod sine ulla necessitate protulerat."

2 ipsa narratio satis nota est: „regis Antiochi filius, cum patrem rogasset quota moturi essent, ille „metuisne" respondit „ne solus tubicinem non sis auditurus?" Sed nova est, eaque lepidissima disputatio quam addit Plutarchus: „ergone, dixerit aliquis, secretum non committebat ei cui totum regnum esset commissurus? Immo in eiusmodi rebus eum continere se et cautum esse docebat."

3 eiusdem est generis: „Metellus, cum in expeditione eiusmodi aliquid rogabatur, si tunicam meam, ait, id scire scirem, exuerem atque in ignem iniicerem."

4 lepidissima narratio lepidissime ad legentium convertitur usum: „Eumenes, audito Craterum in se castra movere, amicorum neminem rem edocuit sed Neoptolemum adventare simulabat. Hunc enim Eumenis milites despiciebant, illius gloriam virtutemque metuebant. Fraus latuit omnes, quo factum est ut Eumenis copiae splendidam de Cratero reportarent victoriam, ipsum occiderent, mortuum demum agnoscerent."

Quae res philosopho facultatem praebet salse sic disputandi: „in illo proelio dux fuit taciturnitas, ea fecerat ut metuendus

ille ignoraretur adversarius. Ideoque et amici Eumenis magis admirabantur eum quam aegre ferebant quod ipsos non fecisset secreti participes. Quodsi in eiusmodi casu aegre fertur tua taciturnitas, praestat reprehendi postquam salvus evaseris non habita amicis tuis fide, quam illos reprehendere posse quod iis confisus in magnum incurreris malum."

5 Novimus omnes iocosam historiolam quam refert Gellius (I, 23), fictam illam, ut equidem opinor, a Catone qua mulierum levitatem loquacitatemque rideret. Solebat enim ille eiusmodi facetiis suas ornare orationes; qui poterat autem salsius exhilarare orationem in mulieres habitam (puta illam pro lege Voconia) quam narratiuncula illa de Papirio Praetextato? Hanc plane immutatam, et tamen eandem, nostro loco Plutarchus profert: nullae ibi sunt praetextati filii partes, ipse senator uxorem suam decipit mendacio multo magis ridiculo quam illud est quod nobis Gellius exhibet, et arte narrandi longe noster Gellium, putidum magistellum, vincit. Et de suo lepidissimam hanc addit observationem: „sic experimento, in quo nihil erat periculi, uxorem suam deprehenderat senator ille: in vas pertusum non vinum oleumve sed aquam infuderat."

6 De reconciliatione Augusti et Agrippae Postumi ea nobis traduntur quae mirifice recedant a Taciti narratione. Hoc certum est ignotam eam fuisse Plutarcho sicut nos habemus, inepto additamento ita perturbatam ut nullo te extricare modo possis [1]). Quam si Plutarchus legisset, prorsus, ut opinor, ab ea abstinuisset potius quam quidquam de tota re narrare tentasset. Nunc haec narrat:

„Fabius [2]), Augusti amicus, conquerentem audivit imperatorem de gente sua exhausta: duo mortui erant nepotes, quique solus supererat Fabius falso crimine damnatus exul erat. Et nunc adoptandus ei erat tertiae uxoris filius, quamvis eum illius damnati nepotis misereret, quem et ab exilio erat revocaturus. Fabius, cum sic lamentantem audisset Augustum, rem uxori narravit, illa Liviae. Atque illa graviter cum marito expostulavit quod, si iam revocaturus illum esset exulem, non iam pridem

1) Cff. Analecta Tacitea mea p. 212 sqq.

2) Legendum enim Φάβιος, non, ut traditum est, Φούλβιος, namque *est* illi Augusti amico Fabio nomen.

fecisset illud, sed se in invidiam odiumque apud futurum adduxisset imperatorem. Postridie cum de more Fabius ad Augustum venisset eumque sic alloqueretur: salve imperator, responsum tulit: vale Fabi. Quod quid sibi vellet statim intellexit, domum rediit uxoremque sic est allocutus: secretum a me prolatum imperator deprehendit, nunc mihi est moriendum. Atque illa: meritas das poenas, qui cum me per multos habueris annos uxorem tamen quam essem loquax nunquam intellexeris neque istud vitium caveris. Sed me sine priorem. Sic fata gladio arrepto semet percussit."

7 Seleucus, cui glorioso cognomen, in proelio cum Gallis exercitum totum cumque eo regnum perdiderat, positaque corona equo aufugerat cum paucis fidelibus; diu per difficiles aditu regiones errabat, tandem inopia coactus ad villam quandam accessit; forte domi erat dominus, quem ergo panem aquamque rogabat. Ille vero et haec ei dedit et praeterea large praebebat quaecunque in suo nascerentur agro, dumque benigne eum invitabat regis agnovit vultum. Atque laetus quod regem beneficio afficere sibi licuisset, non se continuit neque regis adiuvit mendacium, sed ad viam usque prosecutus sic ei valedixit: vale Seleuce rex. Tum rex dextra protenta hominem ad se tamquam osculaturus attraxit, signumque dedit comitum suorum uni:

haud mora, procidit in terram caput ecce loquentis.

Quam narrationem lepidissime verissimeque sic noster concludit: „si paulisper etiam se continuisset, postea multo maius tulisset silentii quam benignitatis praemium."

8 Lepidam lepideque narratam fabellam in fine additamento quodam ipse, ut opinor, narrator exornat:

Tonsores loquaciores esse solent, haud mirum: apud illos enim otiosi et loquendi cupidi solent desidere homines. Sic tonsor fuit qui primus Athenienses fecit certiores de clade in Sicilia accepta. Cognoverat rem a servo qui inde aufugerat. Omissa ergo taberna sua procurrit in forum

ne prior accurrens alius se fraudet honore.

Nova res haud leviter civium animos conturbavit. Fit contio in qua auctor quaerebatur nuntii. Tonsor adducitur, interrogatur, sed hominem qui sibi narrasset nominare non potuit. Clamare omnes incensi ira: tormenta adhibeantur nefario isti, qui istud

sceleste est commentus mendacium. Quis enim praeterea audivit fidemque habuit? Affertur rota, miser ille in ea extenditur. Interea certi aderant nuntii, qui ex ipsa fugerant clade. Discedunt homines, pro se quisque luget, vinctus relinquitur in rota infelix tonsor. Sub vesperam demum carnifex ad solvendum eum venit. Quem statim ille interrogat: ecquid de Nicia audisset, et quo modo ille interiisset.

„Tam insanabilis" sic noster disputat „fit consuetudine morbus loquacitas".

9 Aptissima haec est narratio ad audientium animos commovendos. Chaeronensibus omnibus ignotam eam fuisse suspicor, nam nescioquid habet reconditi.

Spartae in sanctissimo templo sacrilegium factum erat horrendum, neque ullum inveniebatur vestigium praeter . . . inanem lagenam. Quaerere omnes et huc illuc versare mentem. Ibi unus ex iis qui confluxerant: videor mihi dicere posse lagena ista quid sibi velit; sacrilegos opinor propter sceleris immanitatem prius cicutum bibisse et vinum attulisse ut, si in templo non essent deprehensi, vini lagena epota salvi evaderent, aut, si deprehenderentur, leni perirent morbo et tormentorum effugerent atrocitatem. Quod cum ille dixisset, omnes intellexerunt tam intricati aliquid et acuti *comminisci* eum non potuisse sed narrasse quod *sciret*. Undique ad eum concurrere homines et „quis es" rogare „quis te cognoscit, unde hoc habes?" Sic ad incitas redactus se unum esse e sacrilegis confessus est.

10 Narratiuncula est ex historia Romana. Vix ullus Plutarchi liber illis caret. Haec autem dubium non est quin ipsa novitate Graeculos detinuerit. Exemplo Plutarchus docet quam utile sit, id quod nunquam facit garrulus, aurem praebere loquenti et a re proposita non aberrare. Pupius Piso, quoniam loquaces homines ferre non poterat, servos suos vetuerat quidquam respondere praeter id quod rogati essent. Forte autem evenerat ut Clodium, quem sibi reddere amicum cupiebat, ad cenam invitasset. Laute apparatur convivium, ad tempus omnes adsunt praeter unum Clodium. Iterum iterumque servum, qui invitandi fungebatur officio, prospicere iubebat iamne Clodius adventaret. Sub vesperam demum, cum iam de eo esset desperandum, Pupius servum invitassetne rogavit. Atque ille „profecto invitavi".

„Cur ergo non venit"? „Quia recusavit". „Cur non statim hoc mihi dixisti?" „Quia non rogasti".

In risum hic erupisse opinor omnes qui sic narrantem audirent magistrum dilectissimum.

Nam monendo delectare et delectando monere res est quam minime hic dedignatur philosophus. Atque egregie illam callet artem. Non solum audita salsissime renarrare potest sed et salsi aliquid comminisci ipse. Sic, ut unum hoc exemplum e nostro protraham libello, lepidissime docet tres esse quasi gradus respondendi: responsum necessarium, come, superfluum:

Rogatus domine sit Socrates is qui tantum non invitus respondet „non est" respondebit aut plane Spartanos imitatus uno erit vocabulo contentus: hi enim, a Philippo rogati vellentne se in urbem recipere, nil nisi ingentem literam O in charta pinxerunt. At qui paulo comis magis esse vult, dicet: „non domi est sed apud mensas", potestque etiam addere: „ibi enim hospites quidam ei sunt conveniendi". Loquax vero et garrulus homo, tamquam si Antimachi volumina perlegisset, hunc proferet verborum fluctum: „non domi est sed apud mensas; ibi enim ei conveniendi hospites quidam sunt de quibus ad eum scripsit Alcibiades, qui nunc Mileti est et Tissapherne Persarum regis satrapa utitur amico; Tissaphernes enim antea Spartanis ferebat opem, at nunc Alcibiadis causa favet Atheniensibus, quoniam Alcibiades in patriam suam revocari cupiens cum maxime mentem eius alio vertit" .... et sic usque ad finem libri octavi Thucydidis.

Et quam bene mentes hominum cognitas habuerit testatur haec quam garrulo commendat ad morbum suum sanandum medicina, quamque efficacem esse quivis paulo prudentior statim sentit: eam praesertim loquendi cave materiem quae tibi ipsi maxime est in deliciis, in ea enim plurimum latet periculi: bellator facile adducetur ut de rebus a se gestis garrulus fiat, causarum patronus de iudiciis, vir insignem in republica tenens locum de potentibus nobilibusque viris quibuscum est collocutus.

Denique dubium non est quin et iucundissima auditu haec fuerit Plutarchi oratio non ipsius solis discipulis neque collegis qui e vicinia Chaeroneam et venerant ipsi et suos adduxerant discipulos vel viris nobilibus qui undique ex imperio Romano

in Graeciam, matrem illam omnis disciplinae, iter fecerant eo praesertim consilio ut ibi familiaritatem contraherent cum illis qui laude literarum florebant, viris denique literatis et ipsis doctrinaeque cupidis sed etiam ipsius oppiduli incolis, rusticisque qui prope illud agros suos haberent. Sed magis etiam, si fieri potest, hoc pro certo nobis constat uberrimos illos omnes percepisse fructus ex illa fidissimi pastoris admonitione, quae et sapientiae et suavitatis tantum haberet. Abiisse inde omnes opinor, si non plane levatos morbo — nam ex insanabilibus unus ille esse videtur — at bene edoctos quid sibi esset faciendum ne gravior fieret ille et sensim ipso tempore invalesceret.

Ad singulos locos pauca — nam non multum hic critico relinquitur — haec annotabo;

502 B Statim in initio se prodit mentis medicus, vocabulis enim utitur quae in medici arte sunt legitima: *ἀναλαμβάνει θεράπευμα* et *Φάρμακον.*

502 C Nequis dubitet quin in Plutarchi textum interdum aliquid e margine irrepserit: citatis versibus ex Euripide haec adduntur:

δικαιότερον ἂν τις εἴποι πρὸς τὸν ἀδόλεσχον [*μᾶλλον δὲ περὶ τοῦ ἀδολέσχου*].

Inclusa Stegmannus, quae est eius sagacitas, delevit.

502 E Postquam exposuit vix ulla medicina sanabilem esse morbum loquacitatem, sic pergit:

εἰ δ' οὖν δοκεῖ πείρας μηδὲν ἐλλελεῖΦθαι, εἴπωμεν πρὸς
ὦ παῖ, σιώπα· πόλλ' ἔχει σιγὴ καλά. [*τὸν ἀδόλεσχον·*

Notata sic vertit interpres: „nihil intentatum *esse relinquendum*". Parum accurate, ut opinor. Hoc velle Plutarchus videtur: „si nobis nihil intentatum *reliquisse* videmur e. q. s.". „Postquam exhausta est omnis *agendi* materies, a *silentio,* hoc est a *non agendi* ratione, opem petamus.

502F Cum appropinquantem vident garrulum discedunt omnes: *κἂν ἐν ἡμικυκλίῳ τινὶ καθεζόμενοι, κἂν περιπατοῦντες ἐν ταὐτῷ θεάσωνται προσΦοιτῶντα.*

Displicet *ταὐτῷ*, et quemadmodum *locus* in quo *sedere* collo-

quentes solent homines, suo nomine est significatus, sic hic silvae, horti, loci denique in quo solet *ambulari*, nomen desidero.

503 A Garrulus *πρόσκειται πανταχοῦ, τῶν ἱματίων ἀντιλαμβανόμενος, τοῦ γενείου, τὴν πλευρὰν θυροκοπῶν τῇ χειρί.*

Ipsam Plutarchi orationem, atque adeo orationis numeros, restituit Stegmannus ante *τοῦ γενείου* inserens *ἁπτόμενος.*

503 B Recte fecit Aristoteles qui garrulo ne aurem quidem praebuerit:

καὶ γὰρ ἂν βιάσωνται λαλεῖν οἱ ἀδόλεσχοι, παρέδωκεν αὐτοῖς ἡ ψυχὴ τὰ ὦτα περιαντλεῖν ἔξωθεν, αὐτὴ δ' ἐντὸς ἑτέρας τινὰς ἀναπτύσσει καὶ διέξεισι πρὸς αὐτὴν Φροντίδας.

Nimis exile atque adeo sensu cassum istud simplex *λαλεῖν*, sed *προσλαλεῖν* lege, omnia erunt egregie dicta: sapientes prohibere non possunt quominus *ad ipsos* garriat loquax homo, hoc utcumque semper, quae eius vis est (*βιάσωνται*), perficiet et obtinebit; sed penes ipsos est quominus dicta eius in mentem penetrent.

503 D *ὁ πυρὸς εἰς ἀγγεῖον κατακλεισθεὶς τῷ μὲν μέτρῳ πλείων εὑρίσκεται τῇ δὲ χρείᾳ μοχθηρότερος.*

Pro *πυρός* legendum esse *τυρός* monuit Naberus. *Rem* diiudicandam relinquo peritis, sed si de *caseo* hic locutus esset Plutarchus, equidem eum non comparativo *πλείων* verum *μείζων* usurum fuisse opinor.

503 E *μανίᾳ κατ' ἐνίους μέθη σύνοικος.* De hac sententia sic Plutarchus disputat:

μᾶλλον δὲ μανία τῷ μὲν χρόνῳ ἥττων, τῇ δ' αἰτίᾳ χείρων, ὅτι τὸ αὐθαίρετον αὐτῇ πρόσεστι.

Minor quam ... quid? Lege *μανίας*, optime procedent omnia: „temulentia tempore minor, causa turpior res est quam insania. Accedit enim quod est voluntaria."

Tum sic pergit: „eorum quae vulgo obiiciuntur temulentiae gravissima sunt ea quae ad loquendi pertinent abusum"
dein citat notos illos versus Homeri *οἶνος γάρ τ' ἐφέηκε* ....

ἀεῖσαι .... γελάσαι .... ὀρχήσασθαι quos redarguat. Nam *redarguendi* eos citari consilio apparet ex hisce:

καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον
τοῦτ' ἤδη δεινὸν καὶ ἐπικίνδυνον.

Quid autem inter duos illos Homeri locos interponi et potest et debet? Nihil aliud quam hoc: „quid autem cantus, risus, saltatio mali habent?" Tum enim aptissime additur clausula quam iam citavimus: *καί τι .... ἐπικίνδυνον.*

Rectissime hoc vinculum habet in Wyttenbachii lectione: *καὶ τί τὸ δεινόν* [1]*, ᾠδὴ καὶ γέλως καὶ ὄρχησις; οὐδὲν ἄχρι τούτων·*

καί τι ἔπος κτέ.
τοῦτ' ἤδη δεινὸν καὶ ἐπ.

In qua prae ceteris probo interrogandi signum post *ὄρχησις* et semicolon post *τούτων*. Editor Graecus vero, licet ipsius codices *καὶ τί* habeant, haec dat:

καίτοι τὸ δεινότατον, ᾠδὴ καὶ γέλως καὶ ὄρχησις, οὐδὲν ἄχρι τούτων·

καί τι ἔπος κτέ.
τοῦτ' ἤδη δεινόν καὶ ἐπ.

annotatque ad Wyttenbachii lectionem: „nihil opus". Suam sibi ergo habeat vir doctus, mihi merae eae videntur tenebrae.

504 A *Ἀθήνησι δέ τις ἑστιῶν πρέσβεις βασιλικοὺς ἐφιλοτιμήθη σπουδάζουσιν αὐτοῖς συναγαγεῖν εἰς ταὐτὸ τοὺς φιλοσόφους.*

Haec sic vertit interpres: „Athenis autem quidam convivium regiis legatis praebens, *operam dedit* ut iis *hoc cupientibus* philosophos eodem conduceret" parum accurate, nam *φιλοτιμεῖσθαι* non sic simpliciter „operam dare" significat; qui *φιλοτιμεῖται* dat quidem operam sed gloriam ex ea re cui operam dat appetit, vel sibi vel (ut hic) patriae suae, et nullus *φιλοτιμίᾳ* locus relinquitur si ipsi legati clamarunt: „ad nos arcesse philosophos aliquos vestros". Sed hoc voluit Plutarchus: „cum forte, ut saepe fit inter pocula, *de re seria disputare* coepissent convivae, hospes ille Atheniensis *gloriari cupiens* patriae suae sapientia, philosophos quosdam introduxit."

---

1) Conferatur Francogallorum illud: „où est le mal?"

504 B Turpiorem esse garrulitatem quam temulentiam sic demonstratur:

ὁ μὲν οὖν μεθύων ληρεῖ παρ' οἶνον, ὁ δ' ἀδόλεσχος πανταχοῦ ληρεῖ, ἐν ἀγορᾷ ἐν θεάτρῳ ἐν περιπάτῳ ἐν μέθῃ μεθ' ἡμέραν νύκτωρ.

Illud *ἐν μέθῃ* unde habeat non dicit editor Graecus, in Wyttenbachiana ea vocabula non leguntur. Concedo tamen singula hic cola e *binis* constare debere partibus, sed *ἐν μέθῃ* non recte cum *ἐν περιπάτῳ* iungitur. Primum ebrii quoque hoc habent ut nugentur *ἐν μέθῃ*, et nihil hic est proferendum quod garrulo cum ebrio sit commune, deinde requiritur aliquid quod recte *τῷ* „*ἐν περιπάτῳ*" opponatur, quod in verba *ἐν μέθῃ* non convenit, quae si in aliquo codice leguntur vitio nata suspicor e sequenti *μεθ'* quod veram lectionem expulerit, sive ea est *ἐν σχολῇ* sive *ἐν βουλῇ* sive aliud quid.

ib. Nusquam non omnium mortalium quotquot sunt molestissimus est garrulus:

ἥδιόν γε τοι πονηροῖς ὁμιλοῦσιν ἐπιδεξίοις ἢ χρηστοῖς ἀδολέσχαις.

Qui illi sint qui *ὁμιλεῖν* dicantur, et quid omnino sententiola haec sibi hic velit haud facile intelligas. Sed lege *ὁμιλεῖν*, optime procedent omnia: „iucundius est versari cum hominibus urbanis (qui in loquendo modum tenent) etiamsi malis sunt moribus, quam cum garrulis quamvis probis."

Aptissime tum haec annectuntur: „apud Sophoclem Nestor Aiacem iratum et asperis utentem verbis sic mitigat:

οὐ μέμφομαί σε· δρῶν γὰρ εὖ κακῶς λέγεις·

sed non ita habemus adversus garrulum: is enim sua importunitate corrumpit omnia." Ceteri homines vitia sua saepe aliqua tamen virtute compensant, sed garrulus quidquid boni habet vitio suo perdit.

504 D Denuo laudandus Stegmannus qui ex *ἀλλ' ὅμως* [*εἰπὼν καὶ*] *ἀναφωνήσας* absurdum sustulerit additamentum.

504 E Ipsum sermonem, quem nobis natura dedit bene nobis consulens, garruli omnium sibi malorum reddunt causam:

οἷς οἴονται χαρίζεσθαι λυποῦντες καὶ ἀφ' ὧν θαυμάζεσθαι καταγελώμενοι καὶ δι' ὧν φιλεῖσθαι δυσχεραινόμενοι.

Hic *οἷς* haud dubie *masculini* est generis, at *δι' ὧν* neutrius: eis rebus, *propter quas* amari sibi videntur, odium sibi parant. Si *ἀφ' ὧν*, quod editor ad Symbolas suas provocans defendere videtur, recte haberet, etiam neutrius esset generis. Sed sic neque cum verbo *θαυμάζεσθαι* neque cum *καταγελᾶσθαι* recte iungitur. Lege ergo *ὑφ' ὧν*. Garruli deridentur ab iis hominibus quibus admirationi se putant esse.

504 F *τῶν δ' ἄλλων παθῶν καὶ νοσημάτων τὰ μέν ἐστιν ἐπικίνδυνα τὰ δὲ μισητὰ τὰ δὲ καταγέλαστα, τῇ δ' ἀδολεσχίᾳ πάντα συμβέβηκε.*

Neque recte sic garrulitas ceteris morbis opponitur, neque omnino in verbis *πάντα συμβέβηκε* ullus inest sensus. Lege, ut optimam habeas sententiam: *πάνθ' ἅμα σ.* Cetera vitia suum quodque habent malum, garrulitas omnia simul.

505 C *πορευόμενος εἰς θέατρον ἰδὼν τινα τῶν δεδεμένων ἐπὶ θύραις μέλλοντα προσάγεσθαι τῷ Νέρωνι.*

Iam in referenda hac narratiuncula me de verborum *ἐπὶ θύραις* significatione dubitare significavi. Certe *non* de *theatri* foribus est cogitandum.

505 E Leaena, Harmodii et Aristogitonis amica, *τῆς ἐπὶ τοὺς τυράννους συνωμοσίας ἐκοινώνει ταῖς ἐλπίσιν ὡς γυνή.*

Vereor ut bene haec intellexerit interpres. Sic enim vertit: „in partem spei coniuratione in tyrannos conceptae venerat”. Aut sensu cassa haec aut absurda. Sed hoc voluit Plutarchus: particeps erat coniurationis Leaena, sed, ut mulier, tantummodo spe tenus: optima quaeque precabatur coniuratis, ipsa operi manum non erat admotura.

ib. Tum magnifice illa Leaena sic laudatur:
καὶ γὰρ αὕτη περὶ τὸν καλὸν ἐκεῖνον ἐβάκχευσε κρατῆρα τοῦ ἔρωτος, καὶ κατωργίαστο διὰ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀπορρήτοις.

Vellem *amoris* hinc abesset mentio, an „Platonicum” illum Plutarchus significat Harmodii et Aristogitonis amorem, qui virtutem spectabat et patriae libertatem?

506 C Pittacus, cum ad eum hostiam misisset rex Aegypti iussissetque

τὸ κάλλιστον καὶ χείριστον ἐξελεῖν κρέας ἐξέπεμψεν ἐξελὼν τὴν γλῶτταν.

Vel aures admonent non ferendum esse triplex istud *ἐξ*, sed disertius etiam admonet sententia quae simplex *ἔπεμψεν* flagitat.

507 B Mira est syntaxis in fragmento tragici quod citatur:

μικροῦ γὰρ ἐκ λαμπτῆρος Ἰδαῖον λέπας
πρήσειεν ἄν τις· καὶ πρὸς ἄνδρ' εἰπὼν ἕνα
πύθοιντ' ἂν ἀστοὶ πάντες

quae vix defenditur Xenophonteo isto: *καὶ ἡ οἰμωγὴ ἐκ Πειραιῶς διὰ τῶν μακρῶν τειχῶν εἰς ἄστυ διῆκεν, ὁ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ παραγγέλλων.*

507 E In iocosa narratione de senatore uxorem commenticia fallente narratione hanc habes altercationem: *οὐκοῦν οὐδὲν ἀκήκοας; γέγονε γάρ τι καινὸν ἄλλο; κόρυδος ὦπται κτέ.* Sic traditum est; paulo melius R. *ἀλλά* legit et hoc cum sequenti *κορ. ὦ.* iungit. Totum delere malim, vix enim locus hic emphatico illi *ἀλλά*, quod tum recte esset positum, si is, quocum sermo fit, aliquod pertinaciae dedisset signum.

507 F absurde senator ille dicitur *πειρᾶσαι τὴν γυναῖκα.* Egregia emendatione Stegmannus *ἐφώρασε* pro *ἐπείρασε* reposuit.

508 C Undique rumusculos corradunt *ὥσπερ ὕλην π υ λ α ί α ν τινὰ Φ ο ρ υ τ ῶ ν τῇ Φλυαρίᾳ παρατιθέμενοι.*

Verba notata non intelligo et etiam in ultimo haereo; medium enim istud non potest non significare: *iuxta se* ponentes. Quorsum ergo dativus *τῇ Φλυαρίᾳ* ille?

508 E In narratione de Seleuco et hospite rustico hic se continere non potuisse dicitur utpote laetus *τῇ συντυχίᾳ τῆς χρείας.*

Haec sic interpres vertit „gaudio illius casus". Parum recte; oportebat: „laetus quod res ita cecidisset ut rex a se peteret opem."

509 E Sacrilegum loquacitate seque sociosque perdentem et alia rogant et hoc circumstantes:
τίς σ' οἶδεν;
Ex „antiquitatibus" Romanis hoc transtulit noster et ad literam vertit: „quis te cognoscit?" Cf. quod est in Verrinis: „cum eum Syracusis multi cognoscerent", i. e. cum multos ibi cognitores haberet.

510 A *δεῖ πεφράχθαι, καὶ τὸν λογισμὸν ὡς πρόβολον ἐμποδὼν ἀεὶ τῇ γλώττῃ κείμενον ἐπέχειν τὸ ῥεῦμα καὶ τὸν ὄλισθον αὐτῆς.*
Haec non cohaerent nisi post *κείμενον* inseris *ἔχοντας,* quod ante *ἐπέχειν* facile excidere potuit.

510 E Breviloqui *σοφώτεροι δοκοῦσι τῶν ἐξηνίων τούτων καὶ φερομένων.*
Pro ultima voce interpres dat „concitati", et eiusmodi aliquid requiritur. Sed excidisse *εἰκῇ* post *καί* videtur.

510 F *οἱ Κελτίβηρες ἐκ τοῦ σιδήρου τὸ στόμωμα ποιοῦσιν* infodiendo terrae.
Iure W. istud *ἐκ* delevit.

511 C Pater ille qui sagittarum fasciculo utebatur ad docendos filios quae esset concordiae vis
ἓν καθ' ἓν ἕλκων πάντα ῥᾳδίως διέκλασε.
Lege *ἐξέλκων,* quemadmodum recte dat interpres suo „extracto".

512 A „Caveamus praeripere responsum ei quem (magister) interrogavit:
ἴσως μὲν γὰρ οὐδ' ἄλλο τι καλῶς ἔχον ἐστιν, αἰτηθέντος ἑτέρου, παρωσαμένους ἐκεῖνον αὐτοὺς ἐπαγγέλλεσθαι
sed haec in respondendo petulantia quam maxime est contumeliosa."
Qui factum sit ut editor istud *ἄλλο τι* in textu retineret, cum tamen nota ei esset Duebneri emendatio *ἄλλοθι* prorsus me latet. Quid enim certius quam *opponi* hic inter se universum vitii genus et peculiarem quandam eius speciem? Malim tamen

ἄλλως (omnino); an illud *ἄλλως καλῶς* ingratum reddit sonum? Dictu difficile.

512 B „Simile istud" (sermo etiam est de praeripiendi responsi importunitate) „est *τῷ τὸν ὑφ' ἑτέρου βουλόμενον φιληθῆναι προδραμόντα φιλεῖν αὐτόν.*"

Pro *προδραμόντα* Reiskius coniecit *προσδραμόντα*. „Praeter necessitatem" ait editor. At cum magno textus emolumento. Tenendum autem est tam in textu tradito quam in emendato *αὐτόν* esse subiectum.

512 C Etiamsi is qui interrogatur prorsus nihil habet quod respondeat

ἐπισχόντα καλῶς ἔχει καὶ πρὸς τὸ βουλόμενον τοῦ ἐρωτῶντος ἁρμοσάμενον ὡς ἐπὶ κλῆσιν ἀλλοτρίαν τὴν ἀπόκρισιν αἰδημόνως καὶ κοσμίως ἀπαντᾶν.

Arena sine calce: neque *quid* debeas adaptare ad rogantis voluntatem apparet, et cum *invitatione* ad quam *venias* (*ἀπαντᾶν*) comparanda est *interrogatio* non responsum: interrogatus aliquis est, pro eo respondet alius; similis hic est ei qui ad cenam venit pro eo qui est invitatus. Apparet, ut opinor, leni transpositione sic esse legendum: *πρὸς τὸ βουλόμενον τοῦ ἐρωτῶντος ἁρμοσάμενον τὴν ἀπόκρισιν, ὡς ἐπὶ κλῆσιν ἀλλοτρίαν αἰδημόνως καὶ κοσμίως ἀπαντᾶν.*

ib. Cautus sit in respondendo qui natura loquax est

ἵνα μὴ λάθῃ τοῖς ἐπὶ γέλωτι καὶ ὕβρει προκαλουμένοις εἰς λόγους αὐτὸν ἀποκρινόμενος μετὰ σπουδῆς.

Immo vero *αὐτός*. Opponuntur enim inter se ii qui risus captandi causa quaestiones proponunt et is qui imprudens respondet quasi seria res sit. Nam derisor ille non unum aliquem interrogat sed absurdas proponit quaestiones omnibus qui adsunt, sperans fore ut unus eorum imprudens in foveam incidat. Sic plerumque „reges" humiliores convivas ludibrio habere solebant. Conferatur libri Lehrsiani caput: „de grammaticis qui *ἐνστατικοί* et *λυτικοί* dicuntur" et addantur huic ea quae Suetonius narrat de Tiberio grammaticos deridente.

513 C *ὑφεῖναι τὸ μέγεθος τῆς φωνῆς.*

Sinceram verbi structuram restituit Reiskius legendo *τοῦ μεγέθους.*

513 F Insanus amator apud comicum sic lucernam alloquitur:

Βακχὶς θεόν σ' ἐνόμισεν, εὔδαιμον λύχνε·
καὶ τῶν θεῶν μέγιστος εἰ ταύτῃ δοκεῖς.

Corrupta haec, sed quocunque modo sunt emendanda, hoc constat *non* latere vitium in ultimis *εἰ ταύτῃ δοκεῖς,* quorum quod est omnium sincerissimum vocabulum *εἰ* editor in *ἐν* mutat, opinor ut obtineat quod prorsus sensu cassum sit. Naberus pro *καὶ τῶν* reponi vult *κἀμοί.* Sed aegre equidem nunc fero *verbi* absentiam.

514 C Garrulus si incidit sermo ex quo discere aliquid potest eum repellit, *μισθὸν οὕτω δοῦναι βραχὺν τῷ σιωπῆσαι μὴ δυνάμενος.*

Pro *τῷ* Emperius coniecit *τό,* rectissime ut equidem opinor: silentium enim est pretium quo emitur doctrinae incrementum. Sed quorsum istud *οὕτω* additur? Lubenter eo caream.

514 D Utilissimum garrulo est solum domi studere scribendo recitandoque: sic eum

ἴσως ἂν ἡ πρὸς τὸ γράφειν σκιαμαχία καὶ ἡ βοὴ τοῦ πλήθους ἀπερύκουσα καθ' ἡμέραν ἐλαφρότερον παρασκευάσειε τοῖς συνοῦσι.

Cetera facetissima: „cum charta sua et calamis bellum gerens in publicum non procedit et sic in dies lenior fit''. Sed quid sibi istud *ἡ βοή* velit non video. Si saltem abesset articulus, fingere possem adolescentulum, qui magno clamore „culpat calamos''. Nunc aut abstinendum censeo aut totum istud *καὶ ἡ βοή* delendum. Sed unde intulit pedem?

CAPUT XIV.

DE CURIOSITATE.

Statim libellus hic in codicibus illum de loquacitate sequitur, et nisi vel statim sequeretur vel proxime praecederet, a suo eum loco aberrasse clamaremus, non enim hi libelli inter se seiungi possunt, tam simili sunt argumento, tam similis est color atque universa species. Quid quod orationem *ad auditores habitam* esse hunc librum disertius etiam, si fieri potest, apparet. Quod ita evenisse est cur gaudeamus. De *curiositate* enim librum *lecturis* destinatum facile fingere nobis possumus. Ne hoc quidem incredibile aliquem, qui se illo morbo laborare cum detrimento suo esset expertus, mentis medicum adiisse ut illo liberaretur, quemadmodum Paccius animo perturbatus et anxius ab eo petivit ut sibi animi redderet tranquillitatem, deinde, postquam pro medicamento libellum ab eo accepisset, operam dedisse ut in quam plurimorum ille perveniret manus. Eodem enim modo idem ille Paccius libelli *de tranquillitate animi* in se recepit patrocinium. Quo modo vero *de garrulitate* liber, si *scriptus* est tantummodo, lectores invenire potuit? Cui illum philosophus dedicare ausus esset? Quis non vir opulentus et nobilis eum sibi dedicari vetuisset, ne ridiculi illius vitii tamquam exemplum proponi videretur? Ergo *de garrulitate* prius *habitam* orationem, deinde, cum orator eam admodum probari sensisset, *editam* et res ipsa clamat et testatur sermo, quo auctor usus est. Ad li-

brum contra de *curiositate* quod attinet idem illud e solo sermone potest apparere. Bene ergo factum quod tam disertus est ille. Exempli causa duos hosce affero locos:

p. 517 A. „Quemadmodum apud comicum Cleon ille
manus in Aetolis in Abstulia animum
habuit, sic curiosi mens simul est in divitum domibus in casis pauperum, in aulis regum in cubiculis modo nuptiis iunctorum; omnia pervestigat: hospitum res ducumque, atque illud saepe cum suo periculo."

et 517 B: „*non* celat rex gaudium suum cum felici utitur fortuna, iocos cum est hilaris, convivii apparatus, beneficii. Sed quae celat horrenda sunt, tetrica, omni carent amoenitate et comitate: thesauri instar reposita ira, atrocis supplicii meditatio, adversus rivalem invidia, adversus filium metus, adversus amicum suspicio: fuge atram quae cooritur nubem, senties fulgur eius et tonitru cum eruperit."

„At" roget quispiam „aptene clauditur uterque libellus? Hoc enim, ut opinor, certum est orationis habitae signum, locus in fine additus qui aures impleat et mentes commoveat." Et iure sic roget; de *perficiendo* opere Veteres Graecos et Romanos tantum non prorsus idem sensisse atque nos ex nulla re luculentius apparet quam quod tam sedulo semper dederint operam ut finis opus coronaret. Quodsi interdum aliquid ibi desideramus, puta in comoedia, haec rei causa est quod lectores non spectatores nos sumus: non enim opus omnia quae fiant *in scena* nunc legi in codicibus qui nobis servarunt fabulam. Velut in Aristophanis Equitibus postquam dictum est

ἵν' ἴδωσιν αὐτὸν οἷς ἐλωβᾶθ' οἱ ξένοι

saltationes fieri et pompam ludicram sponte intelligimus licet nihil eiusmodi in textu legatur. Nam haud facile invenias orationem ullam Attici oratoris, nedum Ciceronis, quae non ita claudatur ut nobis quoque claudi eam oportere videatur. Ut ad nostros veniam libellos: „peroratione" (ut Francogalli loquuntur) aliqua vel magnifica vel acuta clauditur neuter; et paene dixerim illam ab iis plane esse alienam. Ad delectandos enim pariterque monendos auditores, non ad commovendos incitandosque scripti sunt. Et tamen subito eos *abrumpi* dicere ineptum sit. Audi modo qui finis sit libelli *de garrulitate*:

„denique et praeter ea quae dicta iam sunt, in promptu habere semperque recordari oportet Simonidis dictum multos paenituisse loquacitatis, silentii neminem; deinde cogitare quanta vis sit exercitationis, quae omnia superat. Etiam singultum et tussim homines, si volunt, expellunt, quamvis cum labore illud fiat et dolore. Silentium vero, non solum, ut cum Hippocrate loquar, sitim non movet, sed ne molestiam quidem doloremve."

Ad libellum vero *de curiositate* quod attinet, postquam narravit et „aliterios" et sycophantas, quibus nullos homines Graeci detestati sint magis, nomen suum habere propter ea quae odiosa quadam et molesta curiositate moti facere sint soliti, sic eam rem in audientium convertit utilitatem:

„en aliquid quod reputent curiosi; hoc iis proderit, nam pudebit eos posthac ea facere quae hominum invisissimorum molestissimorumque facinoribus similia sint et cognata."

Utrobique id efficere equidem arbitror Plutarchum propter quod Periclem aequales adeo admirabantur, ut aculeum in animis audientium relinquat. Quodsi quis tamen hic expectat postulatve aliquid quod vel gravius vel clarius sonet, satis, ut opinor, in arte dicendi fuit versatus Plutarchus ut pro re nata semper illum flosculum, quo cum maxime opus esse intelligeret, *ex tempore* suae addere orationi posset. In disputatiuncula nostra de libello *de gloria Atheniensium* insigne et luculentum protulimus exemplum flosculi ex tempore ab oratore nostro *praemissi*.

Oratio est libellus hic, sed non ideo scripta ut *Chaeroneae* haberetur. Elucet hoc ex iis quae p. 515 C legimus:

„olim patria mea Zephyro fuit opposita, Chaeron eam orientem versus transposuit." Ubinam ergo primum est habita, si non Chaeroneae? Ecquid Romae? Haud opinor tunc in capite orbis terrarum multos fuisse auditores qui illis verbis auditis statim scirent atque adeo scire curarent quae esset oratoris illius patria. Non iam ibi tum vivebant Philippi et Demosthenis nomina vel Atheniensium Thebanorumque qui illic pro Graeciae pugnantes libertate occubuerunt memoria, et ut denuo inclaresceret Chaeronea ipse hic perfecit orator philosophusque.

Hoc tamen certius est argumentum non esse Romae habitam orationem quod de tempore quod Romae degit tamquam de tempore admodum remoto Plutarchus loquitur. Audite modo:

„quondam Romae me disputante inter auditores adfuit Rusticus ille, quem Domitianus gloriae eius invidens occidendum curavit. Circa mediam orationem meam miles intrabat et Rustico literas ab imperatore tradebat. Fit silentium, ego subsisto ut eas legere possit. Non vult Rusticus sed demum cum ad finem perveni eas resignat." (522 E).

Alio tempore ad hunc locum redibimus. Nunc hoc unum inde protrahimus non solum narrari hic rem quae multo ante evenerit, sed etiam post Domitiani mortem haud paucos iam praeteriisse annos.

Omnis vero mihi eximitur dubitatio cum reputo verba illa: „patria mea a Chaerone est transposita" tum demum vitae fieri plena cum dicta ea fingimus in conventu hominum quibus et Chaeronea et Plutarchus nota essent nomina, qui Plutarchum „philosophum Chaeroneensem" appellare essent soliti. Ut breviter dicam: orationem hanc habitam censeo in aliquo Boeotiae oppido, quod tunc suo sibi careret „philosopho" vel quo Plutarchus ab oppidanorum principibus esset invitatus ut vitium, quod late serpere ibi inciperet, sua facundia suaque gravitate tollere tandem conaretur.

Quocunque autem modo res se habet, multa noster libellus cum illo de garrulitate habet communia, atque ea unde maxime totum hoc orationis genus cognoscatur. Est hic quoque libellus praestantissimus atque revera utilissimus; gravitatis multum inest simulque multum leporis, atque — id quod maxime ut cum oratione ipsum amemus oratorem efficit — abest inde omnis superbia arrogantiaque. Semper semet ipsum Plutarchus iis adnumerat hominibus, quibus magistro opus est; unus vero locus in hoc genere tam lepidus est ut totum eum hic proponere lubeat: videbis non vereri Plutarchum de sua dignitate quantumvis multum detrahere dummodo eum sua habeant effectum verba quo cum maxime opus esse intelligat. Videamus quae sit ipsius oratoris aetas. Iam mortuus est Rusticus, qui anno 94 est interfectus, atque adeo iam temporis aliquid post Domitiani mortem effluxit. Agit ergo, ut minimum dicam, quinquagesimum annum Plutarchus; equidem iam sexagenario maiorem eum puto, sed hoc mitto, nam si non senex, sed tantummodo senior nunc est, maiorem etiam, si fieri potest, habet noster

locus convincendi vim. Est enim huiuscemodi (522 A. B.): „Cyrus Pantheam videre noluit, cumque dignissimam aspectu eam Araspes dixisset: eam ipsam ob causam, inquit, ego eam vitandam censeo; si enim nunc ego, a te permotus, ad eam accederem, ipsa postea fortasse mihi ut redirem persuaderet, quamvis essem negotiis distractus; tum sedens apud eam eamque admirans gravissimarum rerum tempus perderem. Alexander quoque Darii uxorem, cuius in ore omnium erat forma, in conspectum suum venire vetuit; ad matrem eius, iam anum, veniebat saepe, sed formosam illam et aetate florentem adspicere mulierem non audebat. At *nos*, cum mulierum lecticas speculamur et a fenestris earum oculos nostros non possumus abstrahere, nihil nobis peccare videmur, et tamen iam tunc laborare incipimus lubrico illo morbo curandi ea quae nihil ad nos attinent."

Nos ait gravissimus ille philosophus, aut ipse iam sexagenarius, aut — id quod rem magis etiam admiratione dignam reddit — quinquagenarius: non dubitat semet unum fingere e fatuorum istorum numero qui huc illuc per urbem volitent ut formosas investigent contemplenturque mulieres. Est ei tanti dummodo sibi contingat ut sic adolescentulos aliquos abducat a consuetudine quam periculi plenam esse iure sibi habet persuasissimum.

Nam quod de re amatoria nonnulla praecipit quae nostra aetate nemo paulo gravior sit probaturus, nihil ea res, ubi tantum est saeculorum intervallum, habet quod admirationem moveat. Sic quod de „concessa venere" docet tamquam optimo adulterii remedio statim nobis in mentem vocat spurcissimam quandam Horatii satiram — multo castior tamen hic Graeci nostri quam illius Romani oratio. Sed neque lubet neque licet hic diutius subsistere, nobis satis sit quaerere *quomodo* impugnet morbum quem prae ceteris omnibus vitandum esse sibi habeat persuasissimum: videbimus una illa re — quam tamen minime levem esse lubenter concedo — excepta idem hic sensisse Plutarchum quod hac aetate sentiat quivis homo non levis.

Amabilem se semper praebet magistrum, adolescentulorum se quoque laborare vitiis, quamvis res sit incredibilis, simulare non veretur, et simul sic eos admonet ut penitus sentiant omnes illud de quo agitur vitium quam sit perversum, quam ridiculum atque absurdum. *Exemplis* vero eum hoc docere quae ideo au-

dientium animos moveant quod *nova* sunt et nunc certe a nullo eorum expectantur, demonstrare mihi posse videor uno loco lepidissimo allato (518 D):

(postquam demonstravit curiosum semper in lucem protrahere id quod alii celare cupiant, sic pergit):

„tam ingrata autem ea res hominibus est ut emori malint plerique quam occultum aliquod malum suum monstrare medicis. Finge tibi Herophilum vel Erasistratum, atque adeo ipsum Aesculapium, hominis sumpta facie, per domos rogitantem laboretne aliquis anus fistula vel uteri carcinomate! Et tamen *huius* artis curiositas salutaris esse potest; nihilominus quivis facessere eiusmodi medicum iuberet, quod, non expectans dum se sit opus, invocatus veniat ad aliena cognoscenda mala. At eiusmodi res, aliasque iis peiores investigant curiosi non sanandi sed in lucem protrahendi causa. Ideo et portitores iure odio sunt omnibus, non cum de rebus quae palam importantur portoria exigunt, sed cum, quaerentes quae celantur, hominum iter facientium impedimenta conturbant. Et tamen illis lex ita agere permittit, quod si non faciunt ipsi detrimentum capiunt. Curiosi vero . . . .."

Cognoscite nunc quam lepide Plutarchus cum aptissimis his exemplis coniungat *argumentum* quod non movere quemvis legentem audientemve non possit.

„Curiosi vero sua negligunt commoda, suasque res detrimento afficiunt semper circum alienas occupati. Rus suum raro aspiciunt: quietem illius otiumque ferre non possunt, et si quando eo veniunt, vicini vites magis quam suas examinant, vicini quot boves interierint, quot vini dolia sint corrupta quaerunt. Quae simulatque satis investigasse sibi videntur abire properant. At verus bonusque agricola ne audire quidem rumusculos sponte ex urbe ad se accedentes vult:

dum fodio (ait) pacis de legibus iste nugatur
usque mihi, importunus enim nunc talia curat."

An non moveri putas de vulgo hominem audientem quantum *pecuniae* damnum curiositas secum afferat? Multo magis, ut equidem opinor, quam cum philosophica ratione ei exponitur quam ob causam improbanda illa sit.

Et tamen hoc quoque egregie docere callet Plutarchus etiam

illos qui ne primoribus quidem labris philosophiam attigerint unquam. Parem eam esse demonstrat iis sceleribus quae nemo non abominetur

„qui Thuriis leges dedit" (ait 519 B) „prudentissime vetuit quemquam in scena palam derideri praeter curiosos et ... adulteros. Etenim est curiositatis quaedam species adulterium. Alienis se immiscet gaudiis adulter, investigat ea quae abscondere et alios celare cupis."

Sed nullum est argumentum quod magis curiositatem pervertat, nullumque quod magis et sua vi et disputandi suavitate nobis librum *de garrulitate* in mentem revocet, quam illud quo demonstratur curiosi morbum hoc mali habere quod illud ipsum quod quaeratur obtineatur nunquam (519 C):

„qui multum audit et multum loquitur, quapropter Pythagoras discipulis suis in quinque annos silentium imponebat: exercitium hoc linguae coercendae vocabat. Sed curiositas necessario *male* dicendi studium secum fert. Quod enim aliquis lubenter audit (mali aliquid sc.) de eo et libenter loquitur, quaeque ab aliis cum multo labore congerunt homines ea cum magno suo gaudio ad alios perferunt. Atque sic ipse ille morbus (ut de aliis eius taceam vitiis) impedimento est quominus aliquis illud ipsum quo tendit consequatur. Cavet enim eos quisque et in suas ab iis recedit latebras. Inspectante curioso nemo quidquam agere amat, audiente nemo loqui. Consilia et deliberationes differuntur donec ille abierit. Quoties de graviore re sermo fit vel magni momenti res peragitur, vix in conspectum venit curiosus et sicut appropinquante fele caro in cella reponitur, sic tunc tacetur et abrumpitur opus."

Nonne lepidissima hic dispututatio salsissimo conditur exemplo?

Quodsi quis inter auditores, postquam non sine delectatione quadam didicerit curiositate se *laborare* et *morbum* eum esse, rogitet: „quid mihi ut eo liberer faciendum", vel alius: „quomodo vitabo morbum quem ét ridiculum ét plenum periculi esse tam bene docuisti?" utrique paratum Plutarchus habeat remedium efficax et quod nullo adhibeatur negotio. Audite modo (520 C):

„quemadmodum Romae sunt homines qui pulchras tabulas non curent statuasve, immo vero ne formosos quidem qui ve-

neunt pueros puellasque, sed semper in monstrorum versentur foro eos contemplantes qui tibiarum cubitorumve vitio laborant quique ternis oculis struthionisve capite dehonestantur, denique quodcunque est

compositum monstrum portentum prodigiumque

sed si saepius eo adducantur tandem istiusmodi spectaculorum capiantur taedio, sic qui semper aliorum venantur male facta, familiarumque morbos vitiaque, recordentur quidquid ex eo genere rescierint nunquam se inde quidquam emolumenti percepisse vel delectationis. Sed efficacissimum contra hunc morbum remedium est exercitatio: quam primum ergo assuescamus adversus illum pugnare morbum qui et ipsa assuetudine adeo invaluerit." Cui admonitioni haec adduntur praecepta:

„non introspicere in aedes assuescere, non legere quod insculptum est sepulcris inscriptumve parietibus"

denique hoc sapientissimum (522 B):

„iustitiae optima meditatio est interdum iustum negligere lucrum, sic enim iniustum cavere discis, temperantiae interdum tua abstinere uxore ne unquam cupias alienam. Hoc converte ad curiositatem: interdum aliquid quod ad te attinet audire vel videre noli; si quis ad te venit nuntius de domesticis rebus tuis aliquantisper exspectare eum iube, si de te fieri sermonem putas aures inde remove."

Cui praecepto haec etiam additur disputatio de Oedipode Sophocleo, quam morosior quispiam fortasse graviter sit improbaturus; at qui paulo est lenior non poterit non subridens eam cognoscere:

„curiositas praecipua fuit causa malorum, quibuscum miser ille est conflictatus: quis esset quaerebat nam noluit esse Corinthius: Laium, cui obviam venit, occidit regnumque accepit et simul uxorem suam matrem; cum omnes eum fortunae filium praedicarent, contentus non erat sed quaerere pergebat. Quamvis obtestaretur eum uxor ne faceret illud, minitabundus quaestionem habebat de servo cui sua nota esset origo, cumque iam dispicere veritatem coepisset senexque ille eiularet:

iam terribile istud, heu heu, dicendumst mihi

ipse curiositatis morbo instigante respondit:

et audiendum mihi ... iam loquere, en, audio.

Sic curiositas pruritus quidam est qui nos impellit ut e cicatrice denuo vulnus faciamus sanguinolentum. At qui illo caret morbo et natura lenior est, si quando mali aliquid non cognovit, exclamat:

quam sapiens o malorum es ignoratio."

Profecto nulla unquam Oedipus tragoedia nata esset, si non curiosus fuisset Oedipus. Sed quid artem tragicam atque omnino omnem curat „aestheticam" Plutarchus? Si quid ei Sophocles praebet unde aliquam sibi aegrisque suis petere possit utilitatem, „reliqua sibi poeta tragicus habeat" ait.

Modo haec e libello nostro citabamus verba: „quondam cum Romae orationem haberem". Ullane iusta adest causa cur illam Romae habitam orationem genere diversam a nostro fuisse libello putemus vel ab illo *de garrulitate*? Haud opinor. Illos ergo libellos tam lepidos tamque utiles considerantes, non dubitamus quin magna fuerit inter Romanos fama medici illius qui Chaeronea ad mentes hominum curandas venerat. Qui cum inde in patriam suam redisset, frequenter etiam eum ab absentibus esse consultum persuasissimum nobis habere possumus.

Ad singulos libelli, qui et sermone quam maxime perspicuo conscriptus est et integerrimus ad nos pervenit, locos quae annotem pauca sunt et exigua.

515 B Aedes tuas, si parum sunt salubres, et aliis rebus emendare licet et *θύρας τινας ἀνοίξαντα τὰς δὲ κλείσαντα.*

Admodum inusitatum istud *τινας ... τὰς δέ* pro *τὰς μὲν ... τὰς δέ.*

515 C Olim Chaeronea accipiebat:

τὸν ἥλιον ἐ ρ ε ί δ ο ν τ α δείλης ἀ π ὸ τ ο ῦ Π α ρ ν α σ ο ῦ.

Quid istud est? An *a Parnasso repercussum*? Hoc fere requiritur, sed quomodo e verbis illis efficiatur non video.

515 D *ὅσσον ὕδωρ καθ' ἁλὸς στόνος, ἢ δρυὸς ἀμφὶ πέτηλα* (sic praeclare traditas voces, omni carentes sensu, emendavit Madvigius, quem aiunt in poetis emendandis parum fuisse felicem)

τοσοῦτον πλῆθος εὑρήσεις ἁμαρτημάτων ἐν τῷ βίῳ καὶ παθῶν ἐν τῇ ψυχῇ ....

Hactenus luce clariora omnia, sed adduntur haec *καὶ παροραμάτων ἐν τοῖς καθήκουσι*, quae quomodo praecedentibus annectam non video. Qui enim vocibus *τὰ καθήκοντα*, ita ut praecedentibus *βίος* et *ψυχή*, *locus* quidam indicari potest, in quo vitia quaedam iaceant? An sic fere ista *ἐν τοῖς καθήκουσι* sunt accipienda: „in tua de officiis tuis *opinione*"? Nam in ea *iacere* possunt *παροράματα*, si quis quae apud philosophum (Stoicum) audivit parum intellexit.

515 E *οὕτω σοι τὰ μέν ἐστιν ἀπὸ Φθόνου κακὰ κείμενα τὰ δ' ἀπὸ ζηλοτυπίας ....*

Ista *ἀπό* sic interpres accipit: „quae *ab* invidia,quae *ab* obtrectatione proficiscantur". Parum accurate, ut opinor, et ita ut nullo modo cohaereant cum iis quae proxime praecedunt: „oeconomicus Xenophonteus alia instrumenta in alio reponit loco". Significant ergo: „ex parte (et tamquam in loculis) invidiae, obtrectationis cet.".

516 B Barbaram hic habes formam *ἐπανήρχετο* pro *ἐπανῄει.*

516 D Gallina saepe cibis, qui in aedibus iacent, neglectis in angulo aliquo scrutatur:

ἔνθα γέ που διαΦαίνεθ' ἅτ' ἐν κοπρίῃ μία κριθή.

Istud *ἅτε* non concoquo. Ecquid *διεΦαίνετ' ἄν*?

516 E Et olim et nunc visitor, priusquam introeat in aedes, adesse se significat:

ἵνα μὴ τὴν οἰκοδέσποιναν ἐν μέσῳ καταλάβῃ ἢ τὴν παρθένον.

Verba *ἐν μέσῳ* rem quae requiritur parum diserte indicat. Significandum est *opus* aliquod in quo se deprehendi pudica nolit mulier. Tum enim demum recte additur *ἢ κολαζόμενον οἰκέτην ἢ κεκραγυίας τὰς θεραπαινίδας*. Excidisse post *ἐν μέσῳ* aliquid opinor.

517 B *εἴ τις ἀκονίτου γεύοιτο πολυπραγμονῶν τὴν ποιότητα, Φθάσει τῆς αἰσθήσεως προαναλῶν τὸν προαισθανόμενον.*

Frequentissimo illo in Plutarchi textu vitio secundum illud *προ* e praecedenti verbo composito natum est. Dele, et aptissi-

mum hoc habebis: aconitus eum qui vim eius *vult* experiri (*τὸν αἰσθανόμενον*) occidit priusquam experimentum illud perfecit.

518 C *ἔστι γὰρ ἡ πολυπραγμοσύνη φιλοπευστία τῶν ἐν ἀποκρύψει καὶ λανθανόντων.*

Mire dictum istud *τῶν ἐν ἀποκρύψει* pro *τῶν ἀποκρυπτομένων.* Duplex rerum genus hic significatur: eae quae forte latent et eae quae de industria absconduntur.

518 F Strenuus agricola sic conqueritur de servi sui garrulitate:

εἶτά μοι σκάπτων ἐρεῖ
ἐφ' οἷς γεγόνασιν αἱ διαλύσεις.

Servus ille, ut opinor, modo ab urbe advenit, quo a domino missus est ad petendum vel instrumentum vel aliam rem illi necessariam. Et quia *loquax* hic depingitur, non statim manus operi admovet. Hoc si fecisset, nihil habuisset quod de eo quereretur dominus. Accedit quod de eiusmodi labore agitur, qui non admittit colloquia. *Aut* fodit aliquis *aut* garrit, non utrumque simul. Sed servi loquacitatem non fert rusticus quia *ipse* operi est intentus. Lege ergo *σκάπτοντ' ἐρεῖ,* elisione non inaudita quidem sed tamen rariore ideoque corruptelae obnoxia.

519 A Curiosi vitant *τὴν ἀγροικίαν.*

Aptissime sic, sed rariore vocabuli usu, *rus* et *vitam rusticam* significans inducitur scurra urbanus.

519 C *ἥ τε πολυπραγμοσύνη παράλυσίς ἐστι καὶ φθορὰ καὶ ἀπογύμνωσις τῶν ἀπορρήτων.*

Pro *φθορά* Reiskius coniecit *φώρασις,* ad sensum recte, sed exquisitius aliquid requiro, aliquid in quo, ut in ceteris duobus vocabulis, aliqua insit *methaphora.* Nihil hic nos adiuvat editoris illud *φώρα* ex Hesychio erutum.

519 D *οὔτε πρᾶξαί τι πολυπράγμονος ὁρῶντος οὔτ' εἰπεῖν ἀκούοντος ἡ δ έ ω ς ἔ χ ο υ σ ι.*

Locutio exquisitior, quam suo „neque *libenter* agunt, neque loquuntur" parum accurate reddidit interpres. Oportebat: „neque

agere neque loqui *lubet*" i. e. aut abest aut cessat voluptas. Sic demum recte color orationis redditur(: „ze hebben er geen trek in" vel „de lust vergaat hun").

519 F Idem et curiosi faciunt: πολλὰ καὶ καλὰ θεάματα ... παρελθόντες κτέ.

Structura exigit ut cum Stegmanno γάρ inseramus post πολλά.

ib. χρήσιμον .... πρὸς τὴν (τοῦ πάθους) ἀποτροπήν κτέ.

Sic cum Reiskio supplendum. Editor cur malit ἀπὸ τοῦ πάθους non video: ipsum vitium avertendum est et averruncandum.

520 B Fingitur homo ineptus perversusque qui vetustis poetis operam dans et aliarum faciat rerum collectiones absurdissimas et τῶν ὑπ' Ἀρχιλόχου πρὸς τὰς γυναῖκας ἀπρεπῶς καὶ ἀκολάστως εἰρημένων, ἑ α υ τ ὸ ν π α ρ α δ ε ι γ μ α τ ί ζ ο ν τ ο ς.

Ultima quid significent me fugit. An forte huiuscemodi aliquid: „quibus semet ipsum nobis exhibet exemplum summopere fugiendum"?

520 D Qui in aliena mala et dedecora inquirunt τῶν πρώτων ἀναμιμνησκέτωσαν ἑαυτοὺς ὅτι χάριν καὶ ὄνησιν οὐδεμίαν ἤνεγκε.

Non, ut opinor, *prima* tantum eorum curiositas nullos tulit fructus sed etiam ea quae usque ad recentissimam hanc secuta est. Lege ergo τῶν προτέρων vel τῶν πρότερον (sc. ἐζητημένων vel aliud pcpium. in eam sententiam) et confer 502 A (utilissimum curioso remedium est) ἡ τῶν προεγνωσμένων ἀνάμνησις.

520 E τί γὰρ χαλεπόν ἐστιν ἐν ταῖς ὁδοῖς τὰς ἐπὶ τῶν τάφων ἐπιγραφὰς μὴ ἀναγιγνώσκειν, ἢ τί δυσχερὲς ἐν τοῖς περιπάτοις τὰ κατὰ τῶν τοίχων γράμματα τῇ ὄψει παρατρέχειν;

Parum apte hic ὁδοί et περίπατοι inter se opponuntur et revera *dum otiosus ambulas* non solum ignoscendum tibi est si quidvis oculis perlustras, sed etiam difficillimum est oculis tuis imperare. Aliter se ἐν ὁδοῖς res habet cum certum tibi habes itineris propositum. Accedit quod ἐν τοῖς περιπάτοις non semper se tibi offerunt parietes, iique oppleti literis, nam plerumque *extra urbem* περιπατοῦμεν, in agris viisque desertis. Quosnam

autem parietes prae ceteris verborum, eorumque spurcorum, plenos videmus? Non opus dicere, neque quid hic coniiciam.

520 F Quemadmodum venatores catulos non sinunt omnia odorari sed a plerisque eos vi abstrahunt *οὕτω δεῖ τὰς ἐπὶ πᾶν θέαμα καὶ πᾶν ἄκουσμα τοῦ πολυπράγμονος ἐκδρομὰς καὶ περιπλανήσεις ἀφαιρεῖν καὶ ἀντισπᾶν ἐπὶ τὰ χρήσιμα φυλάττοντας.*

Parum aptum huic loco verbum *ἀφαιρεῖν* pro quo *ἀφέλκειν* legendum censeo. Nam quam eleganter et accurate imaginibus uti possit mox egregium dat exemplum noster (521 C):

δεῖ δ', ὡς οἶμαι, μὴ καθάπερ θεράπαιναν ἀνάγωγον ἔξω ῥέμβεσθαι τὴν αἴσθησιν, ἀλλ' ἀποπεμπομένην ὑπὸ τῆς ψυχῆς ἐπὶ τὰ πράγματα συντυγχάνειν αὐτοῖς ταχὺ καὶ διαγγέλλειν· εἶτα πάλιν κοσμίως ἐντὸς εἶναι τοῦ λογισμοῦ.

Lepidissime hic sensus cum ancilla comparatur: dominus ancillam aliquo dimittit, velut ad cognoscendum quota sit. Si frugi est ancilla, non evagatur sed statim eo currit quo missa est et rem conspectam statim domum nuntiat, ubi deinde modeste operi suo intenta manet. Sic mens sensum aliquo demittit; illum oportet id unum quo missus est statim exploratum referre menti, deinde suo se loco continere ut semper menti praesto esse possit.

522 D *οὕτω τίς ἐστι γλυκύπικρος καὶ ἀκατάσχετος ὁ τῆς πολυπραγμοσύνης γαργαλισμός, ὥσπερ ἕλκος αἱμάσσων ἑαυτόν, ὅταν ἀμύσσηται.*

Sensu cassa mihi videntur ultima, neque quidquam opis in interprete sic vertente: „tamquam *vulnus* sibi sanguinem eliciens *ubi sauciatur*".

522 E Utilis est exercitatio, si venerunt literae non statim eas aperire, si nuntius, non obviam ei currere:

φίλου τινὸς εἰπόντος „ἔχω σοί τι καινὸν εἰπεῖν πρᾶγμα" „μᾶλλον, εἴ τι χρήσιμον ἔχεις ἢ ὠφέλιμον".

Non improbo altercationem hanc subito illatam, dummodo apte inferatur. Quod fiet, si *λέγε* inseres post *μᾶλλον*.

523 A *τοὺς δὲ προσαγωγίδας οἱ Διονύσιοι τοῖς Συρακοσίοις κατέμιξαν.*

Legendum est *ἐγκατέμιξαν*, nam sparserunt eos tyranni per urbem ita ut in populo laterent.

DE CUPIDITATE DIVITIARUM.

Ut libere dicam quod sentio, parum mihi hic libellus placet, neque potest, ut opinor, cuiquam placere qui a libellis *de garrulitate* et *de curiositate* recens est. Unam tantum rem habet quam laudemus planeque probemus: quod hic quoque scriptor semet ipsum non eximit eorum turbae quibus opus est admonitione et vituperatione. Haec virtus totum caput nonum satis nobis reddit iucundum. Est enim huiuscemodi:

„Idem nobis quod Telemacho accidit. Hic enim tam erat imperitus atque adeo tam expers iudicii veram pulchritudinem a falsa discernentis ut cum Nestoris aedes contemplans, quamvis illae abundarent culcitris, mensis, vestibus, stragulis, vino dulci, earum rerum tam utilium tamque necessariarum dominum non praedicasset felicem, adspecta Menelai regia, in qua ebur, aurum electrum splendebant, exclamaret:

ut stupeo! anne Iovis domus haec, rectoris Olympi?
copia quanta patet rerum, quam splendida cuncta!

„Quam tristia cuncta" Socrates aliquis dixissit vel Diogenes:

ut stupeo adspiciens — tot vana et ridicula ista!

Stultissime Menelae! oportebat te uxori tuae purpuram atque omnem adimere pretiosam vestem, ut luxuriari illa desineret et hospites venari. At nunc denuo totam domum tamquam theatrum luxuriae exornatam exhibes intrantibus."

Sed praeterea — id quod etiam de capite hoc nono statuendum nobis est — multo minus amabilem se virum hic scriptor praebet quam esse solet Plutarchus. Multo magis suum virtutis ostentat studium, oratio hominis est qui sibi admodum placeat, fucata, magistelli redolens arrogantiam.

Maxime, ut opinor, sub finem libelli haec deprehenduntur vitia. Audite modo:

„Ergo haec est opulentiae felicitas: spectatoribus eget testibusque inter quos splendeat; sine illis nihili est. At non eiusmodi continentia est, philosophia, recta de diis opinio. Eiusmodi res, etiamsi homines latent, suum sibi habent splendorem, et in ipsa mente magnam pariunt lucem solidamque laetitiam, dum ipsa id quod bonum est arripit, atque illud sive scit praeterea aliquis sive ignorant omnes *dii* hominesque. Ex eo genere sunt virtus, veritas, disciplinarum mathematicarum et astronomicarum pulchritudo. Cum his num possunt comparari phalerae istae bullaeque divitiarum puellariaque spectacula, quae si nemo videt contemplaturque revera omni carent splendore? Vir dives, cum uxore cenans familiaribusve, auratis suis mensis negotium non facessit neque poculis aureis, sed quotidiana utitur supellectile et uxor assidet simplici induta veste sine auro purpurave. At cum convivium, hoc est pompa et spectaculum opulentiae, inducitur, tunc

e nave huc tripodas ferte ocius atque lebetas

clamat, tum poliuntur lychni, tunc occupati sunt circa calices famuli, mutantur pincernae, omnia nova induuntur veste, omnia suo moventur loco, aurum, argentum, caelata omnia promuntur atque sic .... fatetur dominus se in mediis suis divitiis simpliciter vivere solere. Sed quibus rebus in tali convivio carere potest nemo, eae etiam adesse debent cum solus cenat dominus: hilaritas et cibi bene parati."

Agnoscisne hic, quaeso, placidum nostrum lenemque pastorem Chaeronensem? Non ego. Pauca ex hoc loco protrahamus. Postquam enumeravit scriptor omnia quae divites homines convivium apparantes moliuntur protrahuntque, haec addit: *ἁπλῶς πλουτεῖν ὁμολογοῦντες.* Quae verba si recte intelligo hoc significant: eo ipso quod, cum convivium est apparandum, tanto opus est labore tantoque tumultu agnoscunt se *quamvis sint divites, simpliciter vivere solere.* Est ergo illud „simpliciter divites esse" admodum facete dictum, sed quemadmodum totius libri oratio acerbi aliquid habet, acuti et *concitati,* a quo scribendi genere tam abhorret philosophus Chaeronensis — reputa modo pro Taciteo illo „neuter falso" eum hanc dare placidam verbosamque

disputatiunculam: *οὐ ψευδῶς μέν, γελοίως δὲ καὶ ἀνοήτως ὁ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ ἃ προσῆν ἀμφοτέροις ὀνειδίζοντες* — sic illud *ἁπλῶς πλουτεῖν* Senecae potius esse videtur quam Plutarchi *ὀξύμωρον.* Sed hic errare possum, at non possum in duobus vocabulis, quae multo certius mihi praebent indicium cum Plutarcho hic nobis rem non esse. Quale illud sit paulo accuratius exponere iuvat. Apud Horatium (C. IV, 7) legentes:

cum semel occideris et de te, splendide, Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituet *pietas*

miramur *pietatem* inter eas res enumerari, quae unquam videri possint parvi esse momenti; nam facundia hoc habet et nobile genus, sed pietatem etiam apud inferos in summo esse honore vir gravis piusque sibi semper habet persuasissimum. Sed in Horatio, poeta et Epicureo, facile eiusmodi aliquid ferimus, Plutarchum nobis sic disputantem exhiberi: „virtus tua, licet *omnes* lateat *deos* hominesque, verae solidaeque tibi erit causa laetitiae" non ferimus. Stoicus qui prae suo perfecto sapiente, id est prae semet ipso, nihili facit Deum deosque, exclamare potest (ut est apud Senecam in libro de Providentia): „deum tu (o perfecte sapiens!) superas: ille extra malum est, tu supra malum", Plutarchus ét ante Supremi Numinis oculos se ipsum prosternit abiicitque, ne *esse* quidem se confitetur cum de Illo cogitat ét semper et ubique illo utitur carissimo amico atque ex sua virtute — sed quid virtutem hic loquor? non tantum sibi Plutarchus arrogat: sperat tantummodo se in virtute aliquos facere et facturum esse progressus — sed quidquid illud est, hoc praecipuum inde capit gaudium quod a Deo se usquequaque conspici observarique credit novitque.

Denique Stoicum hic habemus *ἀρετάλογον,* qui se Plutarchum esse simulat, et scribendi quidem genere utitur admodum eleganti, quo parum accurate legentem in errorem possit inducere, sed tamen hic illic paucis quibusdam vocabulis semet ipsum prodit. E quo genere est quod p. 524 F legimus. In deliciis Plutarcho fuisse videtur locutio: „circumscribere aliquid *centro et intervallo*", qua *circini* significat usum (*intervallum* enim est spatium inter eius partes). Sic in libro *de garrulitate* (513 C) legimus:

δεῖ τὴν ἀδολεσχίαν συνέχειν ὥσπερ .... κέντρῳ καὶ διαστήματι τῇ χρείᾳ τοῦ πυνθανομένου περιγράφοντα τὴν ἀπόκρισιν
quod rectissime et elegantissime dictum est: „interrogantis usu (eo quo interroganti opus est) nobis utendum tamquam circino, quo nostrum responsum circumscribamus."

Audi nunc nostrum (p. 524 F):

τοῖς γε νοῦν ἔχουσιν ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ὥρισται καὶ τὸ τέρμα πάρεστι τῆς χρείας καθάπερ κέντρῳ καὶ διαστήματι περιγραφόμενον
ubi aut perturbata sunt omnia aut admodum contorte enuntiata. Ipse Plutarchus sic scripsisset: πλοῦτος ὥρισται, τῇ χρείᾳ καθάπερ κέντρῳ καὶ διαστήματι περιγραφόμενος. At nunc (nisi turpe commisit vitium librarius) περιγράφεσθαι dicitur non id quod *continetur* sed id quod *continet* et χρείας est genitivus explicativus. Habes ergo — ut quam plurimum largiamur scriptori — orationis ornamentum perobscurum. Sic scribere solent qui aliis suos surripiunt flosculos.

Atque idem fortasse etiam deprehendimus vitium in capite illo nono a quo laudando fecimus initium. Novimus omnes narratiunculam illam de Hierone et eius uxore. Illam Plutarchus refert *de cap. ex in. ut.* 90 B. Rex iratus in uxorem acriter invehitur his verbis usus: τί λέγεις; οὐδὲ σύ μοι τοῦτ' ἔφραζες; Hic primo aspectu satis absurdum nobis illud τί λέγεις videtur. Quid enim mulieri vitio datur? Quamobrem vituperatur? Quod rem quandam *non* dixerit. Sed admirari desinimus simulac reputamus qui sit inter nostrates usus loquendi hodiernus. Saepe nunc quoque sic aliquis in alium invehi incipit ut *dicere* eum iubeat et tamen nullum ab eo exspectet responsum („zeg ereis"). Sic multae loquendi formulae tamquam nummi usu deteruntur, ita ut pristinam amittant notam. Sed in familiari sermone detritis illis uti formulis licet, neque inepte fecit Plutarchus cum antiquum illum regem loquentem induceret ita ut ipsius tempore de plebe homines loqui solerent: cum uxore enim sua loquitur et de re minime regali. Hoc vero subridiculum quod scriptor ipse ad regem Menelaum conversus sic eum reprehendit: τί λέγεις ἀβέλτερε; Stoici illud est Cynicive vel denique eius qui a Plutarcho mutuatur ornamentum aliquod, quo eum delectatum esse novit, non Plutarchi ipsius. Mox aliud afferemus exemplum huic fortasse proposito aptius etiam.

Non tamen plane spernendus abiiciendusque libellus hic: lectu haud iniucundus est, disputatio, licet acrior acerbior concitatior sit quam pro Plutarchi lenitate et mansuetudine, haud parvam habet convincendi vim, exempla rebus demonstrandis sunt aptissima, et omnino multa hic leguntur quae cognitu sint dignissima. Sic qui artis medicae dant operam historiae lubentur cognoscent, id quod p. 524 D legimus, illius temporis medicos hoc prae ceteris investigasse, *febrine* laboraret is qui sibi male esse conquereretur; quam si non inveniret tum eum *mentis* laborare morbo intellexisse. Fortasse iam Platonis aetate eodem modo agere medici solebant, siquidem in Phaedone 105 C legimus: ἆν ἔρῃ, ᾧ ἂν σώματι τί ἐγγένηται, νοσήσει, ἐρῶ ᾧ ἂν πυρετός.

Ad singulos libri locos haec annoto:

523 D καίτοι πολλcὺς ἂν εἴποι τις, ὅτι μᾶλλον ἐθέλουσι πλουτεῖν καὶ κακοδαιμcνοῦντες ἢ μακάριcι γενέσθαι δόντες ἀργύριον.

Iure, ut opinor, Naberus istud *καί* eximit: *simpliciter* enim inter se opponi debent τὸ κακοδαιμονεῖν et τὸ μxκαρίους γενέσθαι, emphaticum istud *vel* aut *etiam* dicti tollit urbanitatem.

524 C τῶν ποριζόντων ὁ μὲν ἐνδεὴς καὶ ἄπορος παύσεται ἴσως ἑστίαν κτησάμενος ἢ θησxυρὸν εὑρών, ἢ Φίλου βοηθήσαντος ἐκτίσας καὶ ἀπαλλxγεὶς τοῦ δανειστοῦ

at avarus insatiabilis est, hunc habet morbum.

Hic Reiskius rectissime pro ποριζόντων legit ποριζομένων, nam de homine *victum quaerente* sermo esse debet. Sed graviore etiam morbo laborat locus, qui *qua ratione* sit sanandus video, *quo verbo* non video. Primum istud ἴσως plane hinc est alienum: afferendum est non aliquid quod *fortasse* sed aliquid quod *certo* fiat et *semper*. Deinde absurde ἑστία hic infertur. An qui certam habet sedem focumque ob eam solam causam nullos habet metuitve creditores, nullo aere alieno premitur? Quid in istis ἴσως ἑστίxν lateat nescio, sed requiritur aliquid quo *quaestum facit* aliquis, quodque ei praesentes praebeat nummos, puta *procurationem* aliquam, aliamve rem unde lucrum sperare possit.

525 D Byzantini, qui moechum deprehendit apud uxorem tur-

pem, dictum lepide sic in integrum editor restituit: *ὦ ταλαίπωρε, τίς ἀνάγκα σά; παρχγόρα προῖξ ἐμά γε. ἃ δὲ σὺ κλείσας Φυλάττεις τοὺς βασιλεῖς πορίζεσθαι δεῖ κτἑ.*

Videndum tamen annon rectius sit *σοί* et *ἐμοί*.

ib. Regibus, regum ministris, iis, qui primas partes in republica agere cupiunt, pecunia opus est

ἑστιῶσιν χαριζομένοις δορυΦοροῦσι δῶρα πέμπουσι στρατεύματα τρέΦουσι μονομάχους ὠνουμένοις.

Horum participiorum tertium haud dubie corruptum est, non enim viri in republica summi satellitum munere funguntur ipsi sed *satellites habent*. Ergo ad sensum rectissime Madvigius pro *δορυΦοροῦσι* coniecit *δορυΦόρους ἔχουσι*. Nunc elegantissime potentium impensae primum in duas partes dividuntur, quarum prior res spectat domesticas, altera res externas, deinde utraque tripartito. Atque altera quoque illa divisio elegantissima est: I *ἑστιῶσι* (nobiles amicos), *χαριζομένοις* (humilioribus) *δορυΦόρους ἔχουσι* (servos) II *δῶρα πέμπουσι* (ad aliorum populorum magistratus), *στρατεύματα τρέΦουσι* (per totam suam patriam praecipueque in finibus), *μονομάχους ὠνουμένοις* (per quos suam aulam defendunt). Sed ipsum illud *δορυΦόρους ἔχουσι* paulo languidius videtur, quapropter legere malim *δορυΦορουμένοις*, quod et ipsum facile a librario, qui ante oculos haberet *δορυΦορουμένοις, δῶρα πέμπουσι*, corrumpi potuit. Et vide nunc quam eleganter haec inter se respondeant:

ἑστιῶσιν	*δῶρα πέμπουσι*
χαριζομένοις	*στρατεύματα τρέΦουσι*
δορυΦορουμένοις	*μονομάχους ὠνουμένοις*

In priore parte habes unam formam activam duabus mediis sequentibus, in altera duas activas una media sequente. Quisquis fuit scriptor hic, scribendi artificia satis habebat cognita.

525 F Est et *θηριώδης* quaedam divitiarum cupiditas

συκοΦαντοῦσα καὶ κληρονομοῦσα καὶ παραλογιζομένη καὶ πολυπραγμονοῦσα καὶ Φροντίζουσα καὶ ἀριθμοῦσα τῶν Φίλων ἔτι πόσοι ζῶσιν κτἑ.

Non credo stoicum hunc tam pueriliter hiatus metuisse ut ad illos vitandos verborum sensum corrumperet. Legendum enim

est *τῶν φίλων πόσοι ἔτι ζῶσιν.* Nam avarus iste *θηριώδης* amicorum omnium hereditates et legata expetit, quae si diutius morantur, mortem amicorum maturabit.

526 A Minus sunt metuendi qui divitias appetunt, quibus fruantur molliter et delicate vivendo, quam qui praeter ipsas divitias nihil ultra spectant; illi enim tandem aliquando satis sibi divites videbuntur

τοῖς δ' εἰς μηδὲν ἡδὺ μηδὲ χρήσιμον πολιτευομένοις οὐκ ἔστιν ἀνοκωχὴ τοῦ πλεονεκτεῖν οὐδ' ἀσχολία κενοῖς οὖσιν ἀεί.

Quid sibi hic res civilis vult et reipublicae administratio? De hominibus quocunque modo rem facientibus sermo hic esse debet et de multis aliis. Lege ergo *ποριζομένοις* pro *πολιτευομένοις* et confer 525 D *τοὺς βασιλεῖς ποριζεσθαι δεῖ,* regibus, quibus tantae sunt impensae faciendae, etiam res facienda est.

ib. Sic ad adversarium refellendum transit noster:

ἀλλὰ νὴ Δία, φήσει τις, ὅτι παισὶν οὗτοι καὶ κληρονόμοις φυλάττουσι καὶ θησαυρίζουσι.

E textu tandem aliquando expellatur istud a Stegmanno proscriptum *ὅτι.*

526 B Lepide sane avari progenies cum aquaeductu comparatur, cuius fistulae nihil sibi servant sed semper in proxime sequentem quaeque transfundunt aquam

ἄχρι ἄν τις ἔξωθεν ἢ συκοφάντης ἢ τύραννος ἐκκόψας τὸν φυλάττοντα καὶ κατάξας ἀλλαχόσε παρατρέψῃ καὶ παροχετεύσῃ τὸν πλοῦτον.

Hic ego *τὸν φυλάττοντα* „terminum technicum" esse puto („het *reservoir*"), ut hic quoque insigni doceatur exemplo quomodo metaphoris uti soleant antiqui: ea quae comparandi causa adhibentur et ea quae comparatione illustrantur inter se permiscent.

526 C Saepe etiam fit ut

καθάπερ λέγουσιν, εἷς ὁ πονηρότατος ἐν τῷ γένει γενόμενος καταφάγῃ τὰ πάντων.

Quorsum istud *καθάπερ λέγουσιν* hic addatur prorsus me latet:

ipsa enim res nunc quam simplicissime suo nomine significatur. E sequentibus huc aberrasse puto. Sequuntur enim haec:

οὐ γὰρ μόνον γίγνεται δούλων τέκνα
ἀκόλασθ' ὁμιλεῖν γίγνεται δούλων τέκνα
ἀλλὰ καὶ μικρολόγων.

Sic certe Bernardakis edidit, in errorem, ut opinor, nescioquomodo inductus. Nam et in Wyttenbachiana ét in Didotiana est:

οὐ γὰρ μόνον κατὰ τὸν Εὐριπίδην
ἀκόλασθ' ὁμιλεῖν γίγνεται δούλων τέκνα
ἀλλὰ καὶ μικρολόγων.

Puto ergo olim fuisse duas lectiones: *οὐ γὰρ μόνον καθάπερ λέγουσιν* et *οὐ γὰρ μόνον κατὰ τὸν Εὐριπίδην*, quarum haec suo sit loco posita, illa in alienum aberraverit. Quodsi Bernardakis edidit quod in suis invenit codicibus, manifestior etiam res est; bis enim tunc lineae pars in superiorem est transducta lineam.

526 E Avari hominis filii vivo etiam patre bona eius furantur et tamquam alienis iis fruuntur

μεταδιδόντες φίλοις, ἀναλίσκοντες εἰς ἐπιθυμίας ἔτι ἀκούοντες ἔτι μανθάνοντες.

Sic B. edidit, partim cum Madvigio, partim cum Wyttenbachio qui iam pro insano isto *ὅτι ἀκούοντές τι μανθάνουσι* e duobus codicibus recepit *μανθάνοντες*, deinde coniecit *ἔτι ἀκούοντες καὶ μανθάνοντες*. Si ergo B. veram restituit scriptoris manum, rectius W. quam M. emendationis auctor dicetur: quid enim interest utrum *ἔτι ... καί* an *ἔτι ... ἔτι* legatur? Sed hoc in transitu, ut pervulgatam hac aetate virorum doctorum fraudem notem, qui saepe a se inventam gloriantur praeclaram antiqui critici emendationem, quam ipsi facili aliqua correctione perpoliverint etiam. Si revera scripsit noster *ἔτι ἀκούοντες, ἔτι μανθάνοντες*, fucate admodum significavit fures illos tenera etiamnunc esse aetate: aut etiam ludum frequentant literarium, aut iam ad philosophum a patre ducti sunt (hoc enim inter *ἀκούοντες* et *μανθάνοντες* interesse putaverim). Tum haud male haec opponuntur: *ὅταν δ' ἀποθανόντων τὰς κλεῖς παραλάβωσι.* Metuo tamen omnia.

526 F Patre ergo mortuo pro dissolutis avari fiunt et ipsi filii. Tunc semper eos tenet occupatos:

οἰκετῶν ἀνάκρισις καὶ γραμματείων ἐπίσκεψις καὶ πρὸς οἰκονόμους ἢ χρεώστας διαλογισμὸς καὶ ἀσχολία καὶ Φροντὶς ἀΦαιρουμένη τὸ ἄριστον καὶ συνελαύνουσα νυκτὸς εἰς τὸ βαλανεῖον.

Delectat me avarus iste quem noctu cura et insomnia pellat in *balneum*. Utrumne ut ibi mentis morbum eluat an ut vel frigida aqua febrim a corpore abigat vel calida se ad somnum capiendum praeparet? Non cadunt ista in avarum. Qui si fecerit quod ioci causa modo coniiciebam, somnum tamen capiet et omnino somnum *non* capere dicendus est quemadmodum neque prandium (*τὸ ἄριστον*). Lege ergo *ταμιεῖον*, ut aut arca significetur quam noctu inspiciat avarus sitne bene clausa, aut ea pars aedium ubi rem suam familiarem administrat („het kantoor"). Neque mane prandium miser capere potest neque noctu somnum quia semper tabulis suis accepti et expensi inhaeret.

Continuo haec sequuntur:

γυμνάσια δ' οἷσιν ἐνετράΦη Δίρκης θ' ὕδωρ παρώδευται.

Confunduntur sic poetae et scriptoris verba. Poetae haec sunt:

γυμνάσια δ' οἷσιν ἐνετράΦη, Δίρκης θ' ὕδωρ

(nisi quod isto *δ'* pro *θ'* et *ἐνετράΦη* pro *ἐνετράΦην* adaptata huic loco sunt)

quibus de more scriptor addit, non *παρώδευται*, sed *παροδεύεται* i. e. negligitur et cum quodam contemptu praeteritur, cf. Amat. p. 759 F *Λαΐς τις ἢ Γναθαίνιον ἐκδεχομένη καὶ καλοῦσα παροδεύεται πολλάκις.*

527 A „At enim iuvenum istorum multi largiter opibus suis utuntur." Respondet scriptor (et hic quoque equidem magistellum aliquem sua gloriantem doctrina audio, non Plutarchum):

σὺ δ' οὐκ ἀκούεις, Φήσομεν, Ἀριστοτέλους λέγοντος ὅτι οἱ μὲν οὐ χρῶνται οἱ δὲ παραχρῶνται, καθάπερ οὐδ' ἑτέρου προσήκοντος.

Molestum est istud *καθάπερ*, quod et interpres sensit, qui ad sensum recte et eleganter vertit „neutros recte". Aut *καίπερ* est legendum aut litura sanandus locus.

527 D De vetustis Bacchanalibus haec leguntur:

ἀμφορεὺς οἴνου καὶ κληματὶς (ἤγετο τὸ πρῶτον), εἶτα τράγον τις εἷλκεν.

Inclusa rectissime addit Stegmannus.

527 E Telemachus apud Nestorem *οὐκ ἐμάκαριζε τὸν εὐποροῦντα τῶν ἀναγκαίων ἢ καὶ τῶν χρησίμων.*

Annotat editor: „*ἢ* deleverim". Non ego; hoc enim dicit scriptor: „quae apud Nestorem contemplabatur Telemachus aut necessaria erant *aut certe* utilia".

528 A Vera sapientia *ἴδιον σέλας ἔχει καὶ φέγγος ἐν τῇ ψυχῇ μέγα καὶ χαρὰν ποιεῖ σύνοικον αὐτῇ ἐν ἑαυτῇ ἀντιλαμβανομένῃ τἀγαθοῦ.*

Hic a Stegmanno discrepo, qui pro verbis notatis, si recte editor refert, *αὐτῆς ἀντιλαμβανομένης* legere vult. Tradita sana videntur: ipsa mens intus in semet ipsa bonum arripit (non extra se quaerit).

528 B Insolite, neque tamen, ut opinor, male occupationes eorum qui convivium apparant et his describuntur verbis: *τῶν τε λύχνων ἀντέχονται καὶ περισπῶνται περὶ τὰς κύλικας.*

ib. Denique enumeratis iam omnibus quae necessaria videntur convivium apparanti, sic inanes istos labores confutat noster atque sic monendi docendique finem facit:

ἀλλὰ σωφροσύνης γε, κἂν μόνος δειπνῇ, δεῖται καὶ δικαιοσύνης.

Ultimam vocem unde habeat non dicit editor. Mihi ab hoc loco haud minus aliena videtur quam praecedens *σωφροσύνης*. Continentia, opinor, et iustitia semper et ubique opus est, non in cena tantummodo. Quanto rectius ergo Wyttenbachius *εὐφροσύνης ... καὶ εὐωχίας* edidit! Haec revera huius sunt loci, his revera in cena opus est: animo hilari, sine quo vel lautissimae epulae nihil habent delectationis, et cibis quamvis simplicibus, sed quae palato blandiantur.

DE VITIOSO PUDORE.

Sic enim Graecus titulus vertitur, sed opus est aliquo vocabulo, quo, ut Graeco *δυσωπίᾳ*, *oculorum* aliquod notetur vitium. Nam de *oculis* toto hoc libro sermo est aut ad illos alluditur. Et Plutarchus, ut tota sua philosophia semper solido vult niti fundamento („positivistam" eum hac aetate appellaverit aliquis), ita *nomen* nunquam videri vult rei signum, quod inter homines convenit, sed aliquid quod cum ipsa re naturali quadam necessitate quam artissimo cohaereat vinculo, quod ipsam eius naturam quam certissime describat, denique quod in disputationibus de ea certissimi habeat argumenti vim. Atque mentis vitium, de quo hic agitur, illo *vitiosi pudoris* nomine omnino non describitur. Rectius foret *metus hominum*, nam eius est vitium qui unam illam syllabam negativam pronuntiare non audeat: hoc ipse Plutarchus libero homine prorsus indignum esse ait illud *οὐ* in tempore proferre non posse. Sed *signum* hoc vitii est, non vitium ipsum vel vitii causa. Causa est infirmitas animi quae attollere oculos vetat et recto aliquem intueri vultu.

Mentis ergo vitium hic describitur et remedia eius commendantur, sicut in libris *de garrulitate* et *de curiositate*. Sed garrulitas et curiositas non solum pervulgata sunt vitia sed etiam cuivis homini de indoctorum plebe sunt notissima. Qualia sint nemo ignorat, quidquid vel praestantissimus mentium medicus de iis potest disserere id omnibus eius in promptu est auditoribus. Haud quidem prorsus inutilis hic est „philosophi" disputatio: efficere potest ut rem melius perspiciamus utque corroboretur iudicium nostrum, sed nihil nos docet quod prorsus novum sit. At „dysopia", quamvis non minus multi homines ea laborent quam garrulitate vel curiositate, et quamvis aegrotanti multo maiora afferat pericula, multo minus bene observari solet, latet plerumque et ne vitium quidem videri solet, quod curari et exstirpari debeat, quoniam uni aegro noceat, aliis nullum afferat detrimentum, certe nullum quod statim sentiatur. Et tamen est vitium ceteris omnibus metuendum magis.

Acutum ergo et perspicacem „philosophum" esse oportet qui recte illud et accurate describere possit. Et *est* revera noster *de*

vitioso pudore libellus multo quam illi *de garrulitate, de curiositate*, alii φιλοσοφώτερος: morbum tractari, et recte tractari, qui multo magis reconditus in hominis iacet mente, quavis sentis pagina. Quapropter equidem ratus omnium hanc esse orationum — nam quin *oratio* et haec sit in magna aliqua hominum contione habita dubitare nemo potest — quibus hominum mentes sanare Plutarchus studuerit praestantissimam, totam eam vernacule verti. Quam interpretationem qui nostro utuntur sermone consulere poterunt quoties cognoscere cupient de locis in quibus haereant ipsi quid ego sentiam. Ceterorum omnium, qui Belgice nesciunt, causa mox ad nonnullos locos pauca quaedam annotabo. Nam hic illic a communi virorum doctorum discrepo sententia. Sed hoc unum etiam praemonere velim. Quid inter hunc libellum ceterosque, quorum idem est consilium, intersit iam dixi. Sed unam rem cum illis habet communem: statim Chaeronensem agnoscis mentium medicum, virum illum amabilem qui non solum aliis dat praecepta sed ipse quoque eodem cum illis morbo sibi laborare videtur; verbis utitur qualia sunt θεράπευμα et multa alia quibus ars eorum qui *corpora* curant describitur. Auditorem ab ea aggreditur parte, unde maxime est vulnerabilis, docendo quanta detrimenta et *rei familiaris* damna hic afferre soleat morbus; quam ridiculus sit et absurdus ut appareat, hunc aegrum non minus quam garrulum et curiosum, immo multo magis, iis ipsis quas agat rebus eo, quo minime velit, pervenire demonstrat. Denique quae affert exempla ea et commovent audientis animum et suaviter detinent, quae commendat remedia in promptu sunt omnibus et proposito aptissima.

Iam quae ad singulos locos annotare velim haec sunt:

528 F *ὁ δ' εὐδυσώπητος αὖ πάλιν ἄγαν τὸ θῆλυ τῆς ψυχῆς καὶ τρυφερὸν ἐμφαίνει διὰ τῆς ὄψεως, τὴν ὑπὸ τῶν ἀναισχύντων ὄψιν αἰσχύνην ὑποκοριζόμενος.*

Hoc si in codicibus legeretur „en insigne" clamarem „exemplum vitii illius in Plutarchi textu frequentissimi, de quo toties dixi. Quis enim dubitare potest quin describentis errore illud *ὄψιν* e praecedenti *ὄψεως* natum sit: paulisper dormitavit ille et adest mendum." Nam neque Graecum est *ὄψιν* cum praepositione *ὑπό* iunctum, et si *ὄψις ὑπὸ τῶν ἀναισχύντων* dici posset *τὸ ὑπὸ τῶν*

ἀναισχύντων ὁρᾶσθαι, tamen a nostro loco esset quam alienissimum. Nemo, ut opinor, alium vituperabit quod ab aliquo, quisquis ille est, sit conspectus, ne verecundissimus quidem sibi illius rei ulla opus esse excusatione putabit. Sed quae ratio inter aegrum nostrum et impudentem intercedit? Hic rogat, ille negare non audet, concedit, manus dat, se *superari, vinci, cogi* patitur. Ergo quamvis paulo videretur ea emendatio audacior, tamen non dubitaremus *ἧτταν,* quae vox sola huc quadrat, reponere .... et sic legitur apud Wyttenbachium, qui nihil annotat, ergo sic in suis codicibus videtur habuisse. Aut ergo novus editor in sat gravem incidit errorem, aut, si nova sibi paravit subsidia critica, hic quoque notum illud accidit ut inventus thesaurus nos ultro pauperiores reddiderit.

ib. Laudatur Cato, qui se magis amare dixerit erubescentes quam pallescentes, tamquam *ὀρθῶς ἐθίζων καὶ διδάσκων τὸν ψόγον μᾶλλον ἢ τὸν ἔλεγχον δεδιέναι καὶ τὴν ὑποψίαν μᾶλλον ἢ τὸν κίνδυνον.* Cogitari potest disputatio in qua recte haec se habeant, nam revera reprehensio a culpae demonstratione tantundem distat quantum suspicio metusque a vero periculo. Sed hoc non est huius loci; pro *ἔλεγχον* requiritur aliquid quod eiusdem sit *generis* atque *κίνδυνον,* quemadmodum et *ψόγος* et *ὑποψία* eiusdem sunt naturae. Quid sit legendum aliquo modo demonstrat varia lectio *ἔπαινον,* sed disertius demonstrat accurata totius loci consideratio.

Quid vulgo creditur (saepe quidem falso, sed creditur tamen) metuere puer debilis pallidusqne, non metuere atque adeo appetere robustus? Periculum et .... laborem, ut opinor. Lege ergo e Wyttenbachii coniectura *ὀρθῶς ἐθίζων καὶ διδάσκων τὸν ψόγον μᾶλλον ἢ τὸν πόνον δεδιέναι καὶ τὴν ὑποψίαν μᾶλλον ἢ τὸν κίνδυνον,* quid sibi voluerit Cato satis accurate descriptum habebis.

529 E Non oportet *τοῖς δεομένοις ἑαυτὸν ἐκδιδόναι καὶ συνεκταπεινοῦν.*

Quo sensu hic *ἐκδιδόναι* dicatur frustra quaero, suspicorque nunc quoque solito illo in Plutarchi textu vitio bis eandem vocem (praepositionem *ἐκ*) positam esse cum diversae requirerentur duae. Lego ergo *ἐνδιδόναι,* ut dicatur hoc: „non oportet

nos tradere rogantibus (qui saepe sunt impudentes) eosque adiuvare in nobis deiiciendis (*συνεκταπεινοῦν*)." Sic enim recte homo nimis verecundus comparatur cum Bellerophontis equo, quem domino suo iusto magis obedivisse poeta dixit.

529 F Cum aspide, quam Isis Bocchoridis viri duri imposuit capiti, comparatur *ἡ δυσωπία τοῖς ἀτόνοις καὶ ἀνάνδροις ἐπικειμένη καὶ πρὸς μηδὲν ἀνανεῦσαι μηδ' ἀντειπεῖν ἰσχύουσα.*

Ne iusto magis claudicet comparatio, lege aut *παρέχουσα* aut, quod praestare videtur, *διδοῦσα* aliudve vocabulum in eam sententiam.

530 B *ἡ δυσωπία προσδιαφθείρουσα τὸ ἀκόλαστον ἀνώχυρα πάντα .... προδίδωσι τοῖς ἐπιτιθεμένοις.*

Sensu cassa haec (corrumpere enim quod corruptum iam est, intemperantiam, nihil dici potest) in integrum Madvigius restituit legendo *προδιαφθείρασα τοῦ ἀκολάστου*, pro quo cur malit B. *προδιαφθείρουσα τοῦ ἀκολάστου* non video: primum enim corrumpit, deinde corruptum tradit proditque hostibus. Hoc quoque recte M. quod hiatus hic nullam habuit rationem. Quis enim anxie hiatus vitasse Plutarchum credat in eo libro in quo nimia illa diligentia satis acerbe perstringatur hisce (534 F): *ἐνίους γοῦν ὁρῶμεν οὐδὲ φωνήεντι συγκροῦσαι φωνῆεν ἐν τῷ λέγειν ὑπομένοντας*?

531 D Qui etiam in parvis adsueverit nihil dicere vel facere contra suam opinionem *οὐκ ἐάσει μέχρι τούτου προελθεῖν οὐδ' εἰπεῖν πρὸς τὸν ἐν ἐκείνοις ἀδυσώπητον· „ὄμοσον ὑπὲρ ἐμοῦ καὶ τὰ ψευδῆ μαρτύρησον καὶ ἀπόφηναι παρὰ τὸ δίκαιον."*

Minime hic equidem cum Nabero *πρός* delere velim: talia postulare fingitur *ἀναίσχυντός τις* et postulare quidem ab eo qui iam in rebus minoribus se *ἀδύσωπητον* (i. e. eum qui nimia verecundia non laboret) praestiterit. Obiectum verbi *ἐάσει* facile suppletur e vicinia.

531 E Cum Casaubono impudentem illum mendicum, qui Antigono negotia exhibuerit, non Biantem nescio quem fuisse opinor, sed Bionem illum Borysthenitam, qui non acerbus quidem

fuit satyricus sed tamen, ubi ipsius res agebatur, minime verecundus.

De eius aetate v. praeclaram Niebuhrii disputationem Kl. Schr. I, 451 sqq.

531 F *ἡμῖν δὲ πρῶτον ἐμμελετητέον ἐστὶ τοῖς Φαύλοις καὶ γυμναστέον περὶ τὰ μικρά, πρὸς τὸ ἀρνεῖσθαι τοῖς αἰτοῦσιν οὐ προσηκόντως ληψομένοις.*

Eundem hic agnoscis Madvigium sine hiatus metu sanum restituentem sensum legendo *τοῖς ἃ αἰτοῦσιν* pro *τοῖς αἰτοῦσιν.*

532 A Laudato nobili illo Demosthenis dicto: *οὐδεὶς εἰς ἃ μὴ δεῖ καταλώσας τὰ παρόντα τῶν μὴ παρόντων εὐπορήσει πρὸς ἃ δεῖ* semet ipsum aliosque morbo, de quo agitur, laborantes *gravius* etiam vituperat:

γίγνεται δ' ἡμῖν πολλαπλάσιον τὸ αἰσχρόν, ὅταν ἐλλίπωμεν πρὸς τὰ καλά, πλεονάσαντες τοῖς περιττοῖς.

Gravius, aio, accusat: certe hoc voluit, sed noluit librarius oscitans, nam *τὰ κάλα* prorsus idem est atque *ἃ δεῖ* et requiritur *τἀναγκαῖα* vel aliquid in eam sententiam: aeger noster nulla necessitate coactus pecuniam suam profundit, neque iam habet quod solvat creditoribus.

532 D Cetera mentis vitia ea ipsa nobis afferunt quae nos illis vitaturos sperabamus

τῇ δὲ δυσωπίᾳ συμβέβηκεν ἀτεχνῶς Φευγούσῃ καπνὸν εἰς πῦρ ἐμβάλλειν ἑαυτήν.

Sententia perspicua et lepidissime enuntiata: incurrit hic aeger in malum quod fugere vult, idque multo gravius quam illud est quod metuit, sic similis fit ei qui fumum (modicum calorem) fugiens in ignem (summum calorem) se iniicit. Sed omnia haec corrupit qui primus post *καπνόν* in textum recepit annotationem *ἀδοξίας,* quae ne veram quidem lucem loco affert. Non enim solum *ignominiam* vitans aeger noster sibi attrahit *iufamiam,* sed etiam in internecivas incurrit inimicitias metu levissimae offensionis.

352 F Qui primus dixit omnes barbaros uni servire *διὰ τὸ*

μὴ δύνασθαι μίαν εἰπεῖν τὴν „οὔ" συλλαβήν, οὐκ ἐσπούδασεν ἀλλ' ἔσκωψεν.

Falsissima hic sunt ultima, nam quamvis facete iocoseque dictum illud fuerit, verissimam continebat gravissimamque sententiam. Quid enim certius quam omnem vitari servitutem ab eo qui in tempore possit negare? Lege ergo *οὐκ ἔσκωψεν ἀλλ' ἐσπούδασεν*: non iocus erat sed dictum quam maxime serium. Vide nunc quam egregie illam scriptoris sententiam (in tempore negando vitatur servitus) excipiat haec: „at nostro aegro ne verbo quidem opus est semper, saepe enim nutu vel silentio idem efficit."

533 F Lysander postquam Agesilaum sibi irasci cognovit, id non dissimulabat eos qui petebant ut ipsos regi commendaret, sed abire eos iubebat *πρὸς ἑτέρους καὶ πειρᾶσθαι τῶν μᾶλλον αὐτοῦ παρὰ τῷ βασιλεῖ δυναμένων.*

Non est Graecum istud; corrige sodes: *τῶν μεῖζον .... δυναμένων.*

ib. *ἀπ' ἄλλης δ' ἀρχῆς.* *Audisne* hic oratorem? cf. capitis noni initium: *περὶ μὲν οὖν ἀσκήσεως ἱκανὰ καὶ ταῦτα* et undecimi *πάλιν ὁ Πλάτων.*

534 A Zeno cum audivisset quendam e suis discipulis fugere urbem ne obviam veniret cuidam qui ab eo ut falsum diceret testimonium petivisset, sic illum reprehendit: „*τί λέγεις ἀβέλτερε;* iste te non metuit a quo rem tam turpem petat, at tu metuis illum." Videsne unde imitator in libro *de cupiditate divitiarum* (527 F) illud *τί λέγεις ἀβέλτερε* habeat, quo se ad *Homericum Menelaum* convertit?

534 B Omnino malum est praeceptum „improbitate improbitatem repelle", sed impudentem aliqua repellere impudentia *ὀρθῶς καὶ δικαίως γιγνόμενόν ἐστιν ὑπὸ τῶν νοῦν ἐχόντων.* Notetur locutio admodum insolita.

534 F Saepe grammatici, oratores, poetae cane peius et angue metuunt levissimum in sua arte vitium, sed non metuunt rem

turpissimam petere ab alio. Hoc cum fit, petentem suo potes iugulare gladio. Si enim te rogabit ut in iudicio vel comitiis aliquid facias contra leges vel ius, ei responde: „faciam, si tu in aliquo prooemio syntaxeos, in aliqua narratione etymologiae leges violaveris.”

Salsissima haec, sed corrumpuntur putido additamento:

οὐ γὰρ ἐθελήσει διὰ τὸ φαινόμενον αἰσχρόν

quod non a Plutarcho sed ab aliquo sciolo profectum quis semel monitus non audit?

535 D Postquam satis iam demonstravit orator quam absurdum sit ipsum tibi contrahere infamiam ut homini improbo emolumentum parias, sic pergit:

καίτοι παρίσταταί γε τοῖς πολλοῖς τὰ τοιαῦτα καὶ οὐ λανθάνουσιν ἑαυτοὺς ἐξαμαρτάνοντες.

Leviusculum fortasse videbitur quod dicam, dicam tamen, nam mihi videtur gravissimum. Non *claudi* his debet caput 17, sed ab his (καίτοι παρίσταται κτέ.) incipere caput 18. Quod ubi factum erit, vide quam belle decurrat disputatio: „quamquam sentiunt se peccare homines et ipsius peccati eos taedet. Tamen peccare pergunt, nam infirmitate quadam laborant mentis, quae haud est dissimilis infirmitati corporis.” Haec enim sententia est brevis satis longi loci: καίτοι παρίσταταί γε .... δειλῶς ἔχουσι. Sequuntur tum praecepta illius infirmitatis sanandae.

535 E Thucydide auctore non potest non invidia sequi potentiam, monet ergo ut maximo pretio invidiam emamus. Ab eo noster philosophus non plane quidem dissentit sed haud leviter tamen discrepat; putat enim .... τὸ δὲ μέμψει μὴ περιπεσεῖν μηδὲ λυπηρόν τινι γενέσθαι τῶν χρωμένων ἀδύνατον παντάπασι.

Hic, ut opinor, nemo ei obloquetur, et suo iure se scire id et *videre* (ὁρῶντες) Plutarchus dicit. Quid enim certius quam neminem posse semper omnem vitare offensionem vel levissimam? At quid praemittit? Quid putas? τὸν μὲν φθόνον διαφεύγειν οὐ χαλεπόν. Ain vero. Subitane te cepit insania et omnium rerum oblivio? „*Facile* est vitare invidiam.” Quis hoc audivit unquam? καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ, immo vero et mendicus mendico invidet et servus servo, vinctus soluto, ut est in *de tranquillitate animi*

c. 10. Ipsa oppositio *οὐ χαλεπόν .... ἀδύνατον παντάπασι* ferenda non est. Quid attinet componere facilia et quae nullo modo fieri possunt [1]? Oculis tuis non credis cum vides ab editore uno vocabulo „male” improbari Erasmi emendationem *οὐ* delentis. Et tamen hoc unice verum est, hoc dignum quod dicatur: „*difficile* est invidiam vitare, at offensionem vitare plane est *ἀδύνατον.*”

536 A Dixi me posthac falsas interpunctiones missas facturum. Hic tamen tantum est periculum ne quis in longa sententia plane aberret a proposito, ut monendum videatur post *κληθῶσιν* virgula, non maiore distinctione opus esse.

ib. Tamquam magnam et plane immodicam (*νὴ Δία*) adulationem hoc affert si quis homines quosdam *στόματα καὶ φωνάς* appellet. Non memini me usquam alibi ea vocabula sic adhibita legere.

537 C Illud ad hominem qui dixerat „ego te semper et ubique laudo”, responsum: „at ego tibi refero gratiam, facio enim ut vera loquaris”, certe non fuit Pindari, sed aut Spinthari aut alius hominis in republica versati.

ib. Oportet nunquam oblivisci detrimentorum quae tibi ista mentis debilitas iam attulit *καὶ τὰ σημεῖα τοῦ δηγμοῦ καὶ τῆς μεταμελείας θεμένους ἐν ἑαυτοῖς ἀναλαμβάνειν καὶ φυλάττειν ἐπὶ πλεῖστον χρόνον.*

De verbo *ἀναλαμβάνειν* dubito, certe quo modo sit accipiendum nescio.

---

1) Cff. ex egregio libello *de invidia et odio* haec:

538 D *τὸ μὲν πρῶτον οὐ λύει τὸν φθόνον, τὰ δὲ λοιπὰ καὶ παροξύνει* et 538 E *κολούουσι μὲν εἰ δύνανται τὴν δόξαν αὐτῶν καὶ λαμπρότητα, συμφορὰς δ' ἀνηκέστους οὐκ ἂν προβάλοιεν.*

Hoc est eleganter componere et inter se comparare: praemittitur id quod ex eodem genere levius, submittitur quod gravius est, ut nostro loco: difficile .... *ἀδύνατον.* Simul nunc apparet prudentissime editorem Graecum secundo, quem attuli, loco *κολούουσι* proponere pro *κωλύουσι.*

DE INVIDIA ET ODIO.

Praestantissimus hic est libellus, neque dubitare possumus quin cognitu fuerit iucundissimus omnibus Plutarchi aequalibus, tam qui subtili et accurata delectarentur disquisitione quam qui in omni philosophia atque adeo doctrina plane essent hospites. Sed *non* est oratiuncula: accurate prudenterque hic philosophus duo pervulgata hominum considerat vitia, de sanandis hominibus ne cogitat quidem. Et tamen hic libellus statim post illum *de vitioso pudore* ponitur, quo nullus melius nobis ante oculos ponit medicum aegros in suam recipientem curam. Sed quamvis sit horum librorum πρακτικός alter, alter θεωρητικός, statim tamen utrobique eundem agnoscis auctorem. Velut hic quoque quamvis *accurate* disputare studeat, spernit nihilique facit ἀκρίβειαν illam, qua nostrae aetatis viri docti .... (laborant, dicere volebam) gloriantur. Errores, leves praesertim, non curat, dummodo vel illis docere possit. Sic internecivum esse odium ait inter duas aves, *carduelem* alteram, alteram quam interpres vocabulo mihi ignoto *parum* vocat, nos *mees* eam dicimus, *mésange* Francogalli, *Meise*, Germani, *tit-mouse* Angli, *cingallegra* Itali. Adii de ea re quotquot mihi noti erant in eiusmodi rebus versati viri, atque ipsum Büttikoferum meum consului, cui Roterodamensis commissus est παράδεισος ἀγρίων καὶ τιθασευομένων θηρίων πλήρης. Hic certe omnibus animalibus et avibus praesertim tamquam amicis utitur: paulo pugnaciorem esse „parum" mihi respondit, sed de peculiari quodam eius et carduelis odio se ne fando quidem unquam quidquam audivisse. Quod vero Plutarchus contendit *invidia* non tangi animalia hoc quivis nostrum refutare potest et quotidie refutat. Quid enim facimus cum canis noster cibos, quos ei apposuimus, fastidit? Advocare nos felem simulamus vel vicini canem: mox spongia abluta videtur patella.

Lecturis, non audituris, scriptum esse libellum aiebam et nunc quoque aio, sed praeterea de librorum *genere*, quo sit referendus, nihil affirmare ausim. Initium eius est huiusmodi ut verum initium aliquo casu interiisse videatur, et ita se rem habere vulgo credunt viri docti et credit etiam editor Graecus. Sed fac ante illud οὕτω δὴ καὶ δοκεῖ μηδὲν τοῦ μίσους διαφέρειν ὁ

φθόνος poni iustum paucarum linearum exordium, meliusne quid sibi velit hic sex paginarum libellus apparebit? Quem non paucis esse destinatum hominibus sed eo consilio scriptum ut usquequaque per orbem terrarum legeretur e capite tertio optime apparere opinor, quod, quoniam est brevissimum, totum hic apponam:

„deinde odium etiam est adversus bruta animalia; certe sunt homines qui feles oderint, cantharidas, rubetas; Germanicus neque cantum galli gallinacei ferre, neque ipsum aspicere poterat. Magi apud Persas mures occidebant, quia et ipsi et deus suus eos aversarentur. Nam et Arabes et Aethiopes tantum non omnes mures detestantur. Sed invidia tantummodo est inter homines".

Quorsum hic cum magis, Arabibus, Aethiopibus simul commemoratur Germanicus, dux ille Romanus, quem adeo in deliciis habuit Tacitus? Fortasse propter suum Tacitum *hunc* prae ceteris attulit Plutarchus Romanum, sed quod omnino Romanum hic nominat imperatorem indicio est eum sibi persuasum habuisse hunc quoque libellum per omnes provincias imperii Romani atque in ipsa urbium regina lectum iri. Riderer si de Romanorum Graecorumque loquerer annalibus, libris semestribus, menstruis, aliisque quibus nunc viri docti utuntur ut suarum disciplinarum exerceant commercium. Sed eiusmodi aliquid etiam antiquitus fuisse, certe aliquid quod eandem vim haberet, vel maxime e libellis Plutarcheis, qualis et hic est et Quaestiones Platonicae et multi alii, apparet. Illi enim omnes quam maxime similes sunt disputationibus quas nunc nostris Bibliothecis, Museis, Conspectibus inserendas curamus. An sic potius dicam: scribebat vel scripturus erat Plutarchus magnum opus de vitiorum congruentiis differentiisque, sed horis subsecivis tantummodo manum huic admovebat operi, et si quod erat caput absolutum, illud in multa discriptum exemplaria circummittebat, emptum iri sperans confidensque non solum ab iis qui sic sibi spissum illud essent collecturi volumen, sed etiam a multo pluribus illis qui quidquid ab ipso esset profectum, quamvis esset tenue et exiguum, legere et in scriniis suis adservare cuperent? Nam sic quoque apparet quanta apud omnes homines hic fama floruerit philosophus et mentis medicus.

Age iam e libello nostro aliquot protrahamus locos de quibus paulo accuratius disputemus.

536 E Iam in ipso initio tam egregia legitur imago ut statim appareat nullum aliud praemitti potuisse exordium, hac enim nullum exordium praestantius, neque fuit is Plutarchus qui sua ipse corrumperet et pessumdaret inventa. Est enim huiuscemodi:

ὥσπερ πολυάγκιστρον ἡ κακία τοῖς ἐξηρτημένοις αὐτῆς πάθεσι κινουμένη δεῦρο κἀκεῖσε πολλὰς πρὸς ἄλληλα συναφὰς καὶ περιπλοκὰς ἐνδίδωσι.

Recte editor annotat: *πολυάγκιστρον* substantivum. Nam novimus illud instrumentum quicunque unquam Baias nostras visitavimus. In aggere, qui longe excurrit in mare, stant homines otiosi, qui ut tamen *tempus terant* (haec enim eorum vita est) novum quoddam excogitaverunt negotium. Ferreum tenent manu radium, de quo seni septenive dependent hami; his escam (heu, vivam plerumque) affigunt, tum totum in fluctus iniiciunt, retinaculum prope iacet. Illo post aliquod tempus, nam temporis tantum habetur ratio, artis nihil haec habet vel dexteritatis piscatio, nihil unquam vidisti crudelius simulque insulsius: hosce mihi specta piscatores, si vis ex animi sententia hic quoque plaudere Platoni qui *τὴν ἀσπαλιευτικὴν* e sua eiecerit republica; post aliquod igitur tempus attrahitur praeda, miseri aliquot pisciculi, quos dirus cruciatus moveri etiam et salire cogit ita ut inter se tangant et saepe alius alium impediat.

536 F Communia quaedam inter se habent invidia et odium, et hoc est quo decepti homines unum illud esse vitium putent. Sed quoniam non tam congruentiae efficiunt ut *idem* quam differentiae ut *aliud* sit aliquid,

κατὰ ταύτας ζητοῦμεν ἐὰν μεταδιώξωμεν.

Haud dubie corrupta. In integrum haec sic elegantissime — nam qui sensus requireretur multi dudum viderent — mihi quidem restitui videntur: *κατὰ ταύτας τὸ ζητούμενον μεταδιώξωμεν.*

537 A Nascitur odium inde quod sibi fingit aliquis eum, quem odit, vel omnino vel adversus ipsum esse improbum;

καὶ γὰρ ἀδικεῖσθαι δόξαντες αὐτοὶ πεφύκασι μισεῖν, καὶ τοὺς ἄλλως ἀδικητικοὺς ἢ πονηροὺς προβάλλονται καὶ δυσχεραίνουσι.

Reiskius ante *ἀδικεῖσθαι* inserit *οἱ* et *τε* post *αὐτοί*, partim recte. Equidem sic locum refingendum opinor:

καὶ γὰρ οἱ ἀδικεῖσθαι δόξαντες αὐτοὶ πεφύκασι μισεῖν καὶ τοὺς ἄλλως ἀδικητικοὺς καὶ ὡς πονηροὺς προβάλλονται καὶ δυσχεραίνουσι.

Qui ipsi sibi iniuriam aliquam accipere visi sunt natura hoc habent ut oderint et eos qui omnino iniuriosi videntur, eosque ut improbos detestantur aversanturque. Sequitur:

φθονοῦσι δ' ἁπλῶς τοῖς εὖ πράττειν δοκοῦσι.

Et structura et sententia post *ἁπλῶς* etiam desiderat *ἅπαντες*. Malos oderunt tantummodo qui aliqua sunt affecti iniuria, et hanc habent odii sui causam, sed felicibus invident omnes vel sine causa praeter eam quod felices sunt.

Paulo post leguntur haec (B):

invidia infinita est, odium finitum: *ὥρισται καθ' ὑποκειμένων ἀεί τινων ἀπερειδόμενον πρὸς αὐτόν.*

Rectene retulit editor Reiskium pro *πρὸς αὐτόν* legere *προσαντῶν* voluisse? Sic etiam corruptior fit locus, et illud *πρὸς αὐτόν* utique est retinendum. Equidem reputans praecedere comparationem cum re (puta clypeo vel speculo) splendente et fulgente, nullo hiatus metu deterritus sic legere velim

ὥρισται ἀφ' ὑποκειμένων ἀεί τινων ἀπερειδόμενον πρὸς αὐτόν,

odium definitum est, est velut fulgor qui semper a certo quodam homine (*ἀφ' ὑποκειμένων ἀεί τινων*) repercutitur [1]) *in ipsum* (qui eum contemplatur).

Nunc omnia in integrum restituta videntur.

537 C Invidia semper iniusta est

μισοῦνται δὲ πολλοὶ δικαίως, ὡς οὓς ἀξιομισήτους καλοῦμεν ἂν μὴ φεύγωσι τοὺς τοιούτους μηδὲ βδελύττωνται καὶ δυσχεραίνωσι.

Scopae solutae; aptissimum videtur vinculum *καί* pro *ὡς οὕς* (sexcenties *καί* et *ὡς* inter se confunduntur) legere, deinde cum Emperio *οἵ* inserere ante *ἄν*.

537 D Homerus Thersitae *τὴν μὲν τοῦ σώματος κακίαν πολυμερῶς καὶ περιωδευμένως ἐξεμόρφωσε, τὴν δὲ τοῦ ἤθους μοχθηρίαν συντομώτατα καὶ δι' ἑνὸς ἔφρασεν*

---

1) Cf. de S. N. V. 566 D *φῶς ἐκ τοῦ τρίποδος ἀπερειδόμενον εἰς τὸν Παρνασσόν.*

ἔχθιστος δ' Ἀχιλῆϊ μάλιστ' ἦν ἠδ' Ὀδυσῆϊ.

Minime cum editore *δι' ἑνὸς ἔπους* legere velim, nam requiritur quod (per chiasmum) opponatur praecedentibus *πολυμερῶς καὶ περιωδευμένως*. Ultimum adverbium admodum rarum, sed egregie opposito *συντομώτατα* illustratur, est enim „per ambages". Nihil ergo addendum quam *τοῦ* post *ἔφρασεν*.

537 E Invidiam suam omnes dissimulant *ὀργίζεσθαι λέγοντες ἢ φοβεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον ἢ μισεῖν ἢ ὅ τι ἂν τύχωσιν ἄλλο τῷ φθόνῳ τοῦ πάθους ὄνομα περιβάλλοντες καὶ καλύπτοντες, ὡς μόνον τοῦτο τῶν ψύχης νοσημάτων ἀπόρρητον.*

Rectissime vidit Duebnerus ferri non posse articulum qui ante *πάθους* legitur. Videndum tamen annon sic legendum: *ὅτου ἂν τύχωσιν ἄλλου τῷ φθόνῳ πάθους ὄνομα περιβάλλοντες.* Nam simpliciter delendo articulo mihi quidem non persanasse locum Duebnerus videtur. Sed hoc certius in fine sententiae *ὂν* esse addendum.

ib. *ἀνάγκη τοίνυν τὰ πάθη ταῦτα τοῖς αὐτοῖς ὥσπερ τὰ φυτὰ καὶ τρέφεσθαι καὶ αὔξεσθαι.*

Haec quidem lenissima emendatione sanavit Reiskius *ταῦτ' οὐ* legendo pro *ταῦτα*. Hoc opus esse, hoc voluisse Plutarchum clamat tota quae sequitur disputatio: „odium maius fit in eos quorum improbitas, invidia fit maior in eos quorum *virtus* augetur; *extrema* improbitas *auget* odium, *extrema* felicitas *delet* invidiam." Ergo ut alia planta alio augetur nutrimento, ita alio nutrimento invidiae opus est, alio odio. Sed quid iis faciam quae annectuntur *καὶ ἐπιγίγνεσθαι πέφυκεν ἀλλήλοις* non video. Ecquid *καὶ ἐπιτείνεσθαι πεφυκέναι*? Haud alienum hinc *πεφυκέναι* („haec est illorum vitiorum natura") neque inepte verbis *τρέφεσθαι* et *αὔξεσθαι*, quae ét plantarum ét vitiorum sunt, adderetur *ἐπιτείνεσθαι* (intendi), quod proprium magis est vitiorum.

ib. Atque hanc sententiam sic illustrat defenditque philosophus: *μισοῦμέν γε μᾶλλον τοὺς μᾶλλον εἰς πονηρίαν ἐπιδιδόντας, φθονοῦσι δὲ τοῖς μᾶλλον ἐπ' ἀρετῇ προιέναι δοκοῦσι.*

Hic editor, dubitanter quidem, sed coniicit tamen *μισοῦσι μέντοι μᾶλλον*. Utinam ne fecisset! Nam recepta semel Reiskii

emendatione (*ταῦτ' οὐ* pro *ταῦτα*), qua utique opus esse totus contextus clamat, sequi debet non *tamen* verum *nam*, quod sexcenties ut hic non particula *γάρ* sed particula *γε* significatur. Sed hoc leve; multo gravius est quod isto *μισοῦσι* ipse Plutarchus, qui nobis quam maxime vivus stabat ante oculos, occiditur et necatur. Quid enim? Lubenter se hic philosophus iis adnumerat qui ipsi monendi sunt, vituperandi, corrigendi. Semper et ubique omnem vitat arrogantiam, *ἀρεταλόγος* neque est neque videri vult. Et nunc quoque *odio* sibi esse nonnullos homines minime dissimulat, sed *invidere* se aliis, idque iis qui in *virtute* faciant progressus, ne simulare quidem potest; invidorum se turbae eximit neque metuit arrogantiae crimen, et optimo quidem iure eximit. Quis enim aequalium aut posterorum vel suspicari potuit hoc Plutarchum laborasse vitio?

537 F *ὁ φθόνος ἅπτεται μάλιστα τῶν χρηστῶν .... ἠθῶν καὶ προσώπων.*

Haud saepe sic iungi videbis inter se *mores* et *π ρ ό σ ω π α*, quae vox hic nil aliud quam latinum „persona'' significare potest.

538 A *ὁ ἥλιος, ὧν ἂν ὑπὲρ κορυφῆς γένηται, κ α τ α χ ε ό μ ε ν ο ς τὸ φῶς ἢ παντάπασι τὴν σκιὰν ἀνεῖλεν ἢ μικρὰν ἐποίησεν.*

Quorsum istud *medium*? Nonne aut *καταχέων* legendum, aut, deleto *τὸ φῶς*, tamquam *passivum* illud *καταχεόμενος* accipiendum?

538 C *τὸ ῥηθὲν ὑπό τινος τῶν καθ' ἡμᾶς σοφιστῶν, ὅτι ἥδισθ' οἱ φθονοῦντες ἐλεοῦσιν, ἀληθές ἐστιν.*

Scire pervelim quis ille sit qui veram et minime vulgarem hanc sententiam tam lepide enuntiarit. An post illum *aequalem sophistam* ipse Plutarchus latet? Etiam quae statim annectuntur egregia sunt:

ὥστε καὶ ταύτῃ μεγάλην εἶναι τῶν παθῶν διαφοράν, ὡς τὸ μὲν μῖσος οὔτ' εὐτυχούντων οὔτε δυστυχούντων ἀφίστασθαι πέφυκεν, ὁ δὲ φθόνος πρὸς τὴν ἀμφοῖν ὑπερβολὴν ἀπαγορεύει.

In quibus notetur illud *ἀφίστασθαι πέφυκεν*, quod, si quid video, haud infirmum praebet sustentaculum coniecturae meae *ἐπιτείνεσθαι πεφυκέναι* (537 E). Sed haereo in particula *ὡς* quae parum apte respondet praecedenti *ταύτῃ*. Nonne vel *ὅτι* vel *ᾗ* legendum?

538 D Odium beneficio minuitur tolliturque, sed augetur invidia. Apparet ergo hos affectus inter se quam maxime esse diversos

εἰ δι' ὧν ἐκεῖνο πραΰνεται, τοῦτο λυπεῖται καὶ παροξύνεται.

Quid hoc sit „invidia irritatur" et „odium mitigatur" probe intelligo et quis non intelligit? Sed recte dici *τὸν Φθόνον λυπεῖσθαι* vix credo: *dolore afficitur* invidus, non invidia. Aut ergo parum eleganter hic locutus est noster aut aliud verbum isto *λυπεῖται* suo pulsum loco est.

538 E Cognosce nunc quam egregia certaque sit emendatio editoris, quam modo laudabam. „Etiam" sic philosophus disputat „aliud est odii, aliud invidiae propositum; quos odimus eos quam maximo afficere malo cupimus, sed qui invident aliis, saepe cognatis familiaribusque, licet eorum prosperitatem graviter ferant, tamen non perire eos volunt.

καὶ κωλύουσι μέν, εἰ δύνανται, τὴν δόξαν αὐτῶν καὶ λαμπρότητα, συμΦορὰς δ' ἀνηκέστους οὐκ ἂν προσβάλοιεν.

Opponuntur inter se *prorsus pessumdare* (hoc enim est *συμΦορὰς ἀνηκέστους προσβαλεῖν*) homines et eorum gloriam splendoremque .... quid? Num *κωλύειν*? Non opinor. Quid enim illud est? *κωλύει* aliquis alium *μὴ ἔνδοξον ἢ λαμπρὸν γίγνεσθαι* sed *τὴν δόξαν καὶ λαμπρότητα κωλύειν* nihili videtur. Sed gloriam alicuius *infringere* et *imminuere* recte dicitur recteque hic opponitur sequentibus. Lege ergo cum Bernardakio *κολούουσι*.

DE SE IPSUM CITRA INVIDIAM LAUDANDO.

Hoc enim latino nomine liber citari solet qui iam sequitur. Sed quis in extrema barbarie natus unquam sic est locutus? Intelligenda absurda illa vocabula sic sunt „qui possit semet ipsum ita laudare aliquis ut tamen non moveat invidiam" Gr. *περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιΦθόνως.*

Eiusdem generis est libellus atque praecedens ille *de invidia et odio*, sed plura continet quae possint in vitae usum converti. Et quod rarissime fit in libris Plutarcheis, habemus hic tenue

quidem et parum accuratum sed tamen aliquod indicium temporis, quo liber scriptus sit. Etenim, ut semper, non eos solum ad quos se convertit monet docetque sed semet ipsum simul; agitur autem de senum quodam vitio, atque: „illud cavere *debemus*" ait. Sed totum locum (547 A) contemplemur: nusquam se demissiorem, humiliorem, denique amabiliorem noster praebuit: „ad semet ipsos" sic fere disputat „laudandos facile senes delabuntur; nam dum pravos aliorum mores, resque ab aliis male gestas perstringunt, saepe quae ipsi multo melius egerint extollunt. Quodsi non solum aetatem suam afferre possunt, sed etiam gloriam virtutemque, venia iis danda est: non enim inutiliter semet ipsos laudant sed eos quos vituperant ad aemulandum incitant:

οἱ δ' ἄλλοι σφόδρα φυλάττεσθαι καὶ δεδιέναι τὴν ἐκτροπὴν ταύτην ὀφείλομεν."

Non senem solum se fatetur Chaeronensis philosophus, cuius tamen sapientiam expetunt omnes, sed etiam de vulgo senum qui nulla re inclaruerit!

Problema „theoreticum" tractare videtur cf. p. 546 B: „restat exponere quomodo cavere possit aliquis ne semet ipsum intempestive laudet: est enim argumentum quod ordine sit tractandum" [1]), et observa quam saepe hic recurrant formulae quales hae sunt: „porro", „deinde", „accedit quod", „in omnibus eiusmodi rebus". Tamen minime philosophantibus solis scriptus est libellus, sed omnibus et doctis et indoctis, quorum mores hoc remedio sanandi videantur. Prae ceteris autem exempla ex historia *Romana* petita libellum produnt per totum spargendum orbem terrarum. Sunt autem haec:

(540 F) „Romani Ciceronem ferre non poterant semper gloriantem consiliis suis quibus Catilinam oppressisset, sed Scipionem cum dixisset non licere iis de Scipione ferre sententiam, cuius opera iis ius esset de omnibus iudicandi mortalibus coronati in Capitolium sunt prosecuti et cum eo rem divinam peregerunt".

---

1) Confer disertissimum hoc (546 B): *διὸ τοῦτο μὲν συγκατατετάχθω τοῖς εἰρημένοις εἰς τὸ πρόβλημα* et nota praepositionem *εἰς* in dialecticorum sermone usitatissimam.

(542 A) Cum Ciceroni Metellus exprobrasset quod plures homines testimonio dicendo occidisset quam oratione habenda servasset, „nemo negat" respondit „fidei plus in me esse quam ingenii".

(544 C) Dicere solebat Cato se patriae causa res suas negligere et somnum non capere.

Tum omnino limpidissima oratione totus libellus est conscriptus; ultima tantummodo pars parum bene decurrit; equidem certe non dissimulo haerere me hic illic in iis quae inde a 547 E usque ad finem (18 eae sunt lineae Teubnerianae) leguntur. Unum denique lepidissimum hic occurrit exemplum (540 A): „quemadmodum qui cibo egent suo ipsorum corpore praeter naturam vesci coguntur atque haec extrema fames est, ita qui laudem esuriunt, cum alii laudatores non adsunt, ridiculi fiunt dum sibi ipsi congerunt ea quae exoptant",

estque hoc eiusmodi ut *audire* tibi hic oratorem videaris, qui magnam aliquam contionem delectando monere studet.

De singulis locis haec observare velim.

p. 539 B Quis ille sit quem sibi Plutarchus libelli patronum elegit scire cupio, nam vocativus ille Ἡρκλανε vitium contraxisse videtur.

Incipit autem scriptor a versibus quibusdam Euripidis, quibus et vitium de quo agitur reprehenditur et quomodo factum sit ut illud tam fieret pervulgatum demonstratur. Tum sic pergit: „at ipse Euripides

Φορτικωτάτῃ κέχρηται μεγαλαυχίᾳ συγκαταπλέκων τοῖς τραγῳδουμένοις πάθεσι καὶ πράγμασι μηδὲν προσήκοντα τὸν περὶ αὑτοῦ λόγον.

Sicut nunc haec verba se habent, inde efficias in citatis illis modo versibus id fecisse Euripidem; sed in illis iactationis arrogantiaeque nihil est: vituperatur tantummodo, ut iam dicebam, vitium, quod nunc tractatur, et origo eius monstratur. Ne ergo in illum incidamus errorem, post *συγκαταπλέκων* inserendum est *πολλάκις* aliudve vocabulum in eam, similemve, sententiam.

540 B Pervulgatum proverbium eum notat qui „pedem ponit in alieno choro"

τὴν δ' εἰς μέσον ὑπὸ Φθόνου καὶ ζηλοτυπίας ἐξωθουμένην περιαυτολογίαν εὖ μάλα δεῖ Φυλάττεσθαι.

Non nego illud participium, sicut nunc legitur, defendi utcunque posse, sed praepositio *ἐξ* tam ingratam hic nobis praebet imaginem ut non dubitem quin *εἰσωθουμένην* legendum sit.

541 A Qui in re adversa, in iudicio aliove periculo semet ipsos laudant, parata his est venia quoniam videntur *ἐξαναΦέρειν πρὸς τὴν τύχην.*

Aliquo modo haec vocabula illustrant obscuriorem illam imaginem quam 438 B habuimus. Est enim *ἐξαναΦέρειν*: „emergere, sese erigere et attollere".

Et omnino fugere illi homines videntur

τὸ συνεπιθρηνοῦν τοῖς ἀβουλήτοις καὶ ταπεινούμενον.

En insigne exemplum structurae quam alibi in deliciis esse Plutarcho dixi: participii pro infinitivo. Prorsus enim idem foret sed minus exquisitum id quod in promptu magis esse videtur *τὸ συνεπιθρηνεῖν καὶ ταπεινοῦσθαι.*

541 C Ad mortem cum agebatur Phocion unum ex iis qui cum eo damnati erant lamentantem sic est consolatus:

τί λέγεις οὗτος; οὐκ ἀγαπᾷς ἀποθνήσκων μετὰ Φωκίωνος;

Pro *οὗτος* Wyttenbachius reponi voluit ipsum hominis nomen, notum ex Apophth. 189 A *Θούδιππε.* Dubito, nam familiarius loquendi genus etiam in illo *τί λέγεις* cernitur. Sed sive recipimus Wyttenbachii coniecturam sive non recipimus, praeclarum hic habemus exemplum formulae, quam libri *de cupiditate divitiarum* auctor tam inepte adhibet (527 F)

541 E Narrationem de viris qui, cum iniuria afficiebantur, semet ipsos laudarunt, sic concludit:

οὗτοι μὲν οὖν ἄλλως ἀδικούμενοι τῶν κατορθωμένων ἐμέμνηντο πρὸς τοὺς ἀγνωμονοῦντας

at qui ob ea ipsa quae recte fecerunt reprehenduntur hi vero optimo iure illa facta extollunt.

Articulus *τούς* abesse hinc debere videtur: non enim de certo hominum genere sed de certa quadam hominum actione sermo est.

541 F Ex eo genere fuit Lycurgi dictum illud: „qualem me civem vos iudicatis qui post tot annos semel convictus sim pecuniam non accepisse contra legem sed dedisse?" Dixit autem illud *ἐπὶ τῷ πεπεικέναι τὸν συκοφάντην ἀργυρίου λοιδορούμενος.*

Dativo *ἀργυρίῳ* nobis opus hic est, an *emendi* vis nunc verbo *πείθειν* tribuitur? Equidem non opinor.

542 B In Demosthenis oratione pro Corona et alia digna sunt quae observentur et hoc quod *μιγνύων ἐμμελέστατα τῷ περὶ αὑτοῦ λόγῳ τὸν περὶ τῶν ἀκουόντων ἔπαινον ἀνεπίφθονον ἐποίει καὶ ἀφίλαυτον.*

Minime his cum Nabero addere velim *ἑαυτόν*, quod neque necessarium est (quis enim non sponte tamquam obiectum *τὸν περὶ αὑτοῦ λόγον* addit?) et ingrate sonat.

ib. Demosthenes enim in ea oratione commemorat quam bene Athenienses meriti sint de Euboensibus, Thebanis, Byzantinis, Chersonesiis, sibique partem tantummodo laudis hic vindicat, prudentissime:

λανθάνει γὰρ οὕτω τὸν ἀκροατὴν τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις συνυποδυόμενος ὃς τοῖς ὑπὲρ αὑτοῦ λεγομένοις ἥδεται.

Haec B. edit quae non intelligo, et si intelligerem misere languere mihi illa sententia relativa videretur. Et annotat se sic correxisse id quod traditum sit *συναποδυόμενος*. Apud W. *συνυποδυόμενον* legitur, sed et quae in textu ponit ille et quae coniicit ipsa nocte obscuriora sunt. Fac ergo de lectione tradita recte rettulisse editorem Graecum, eam equidem sic mutaverim:

λανθάνει γὰρ οὕτω τὸν ἀκροατὴν τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις συναποδύων ὡς τοῖς ὑπὲρ αὑτοῦ λεγομένοις ἥδεται

quod elegantissime dictum videtur hoc sensu: dum semet ipsum laudat (*τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις συν-*), simul aperit auditorem eique vestem, involucrum, personam detrahit, demonstratque *ὡς τοῖς ὑπὲρ αὑτοῦ λεγομένοις ἥδεται.* Cum auditor semel est confessus se laetari quod laudetur, aequo animo ferre debet oratorem semet ipsum laudantem.

543 A *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως πρὸς τοὺς παντάπασι χαλεποὺς*

καὶ βασκάνους ἀνάγκη τὰ φάρμακα καὶ [τὰ] παρηγορήματα μηχανᾶσθαι.

Tenue sed certum hic quoque documentum bene Graece se scire dedit Stegmannus, qui istud *τά* deleverit. Quousque tandem in textu retinebitur?

543 C *τοῦτο δὴ τὸ παράδειγμα καὶ ῥήτορι δίδωσιν, ἄνπερ ᾖ χρηστός, ἐπαινουμένῳ περὶ λόγου δεινότητα, μεταθεῖναι τὸν ἔπαινον ἐπὶ τὸν βίον καὶ τὸ ἦθος.*

Interpres *δίδωσιν* vertit „docet". Oportebat: „permittit, concedit." Hoc enim sensu frequentissimum apud Plutarchum.

544 B Apponi Agathocles et aurea caelataque et fictilia pocula iussit, tum: „en quid possit industria" ait „et indefessus labor":

ἡμεῖς πάλαι ταῦτα, νῦν δ' ἐκεῖνα ποιοῦμεν.

Egregie sensum restituit Cobetus legendo: *ἡμεῖς πάλαι ταῦτα ἐποιοῦμεν, νῦν δ' ἐκεῖνα ἔχομεν.* Sed collato apophthegmate (176 E) quod sic est traditum:

τοιαῦτα ποιῶν πρότερον νῦν τοιαῦτα ποιεῖ

nescio an illic pro *ποιεῖ* legendum sit *ποιοῦμαι* et noster locus sic refingendus; *ἡμεῖς πάλαι ταῦτ' ἐποιοῦμεν, νῦν δ' ἐκεῖνα ποιούμεθα.* Olim Agathocles ipse fictilia faciebat, sed rex factus alios sibi aurea *facere iubebat* pocula.

544 E Commemorata illa Spartanorum cantilena *ἀμές ποκ' κτέ.* haec addit:

καλῶς καὶ πολιτικῶς τοῦ νομοθέτου τὰ πλησίον καὶ οἰκεῖα παραδείγματα τοῖς νέοις δι' αὐτῶν τῶν εἰργασμένων ἐπιθέντος.

Ultimum vocabulum unde habeat editor non curo. Multo rectius W. *ἐκτιθέντος*. Possis etiam *προτιθέντος*.

546 A Versiculum, quem recte sic edidit W.:

> *ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος*
> *(τέρφθην)*

plane *ἄμετρον* reddidit novus editor *ἠδέ* legendo pro secundo *καί*.

546 B C *μέγα γὰρ ἡ περιαυτολογία τὴν Φιλαυτίαν ὁρμητήριον ἔχουσα ....*

Haec sic vertit interpres: „etenim amorem sui *arcem* habens de se ipso dicendi studium". Immo vero *locum unde procedit* (*ὁρμητήριον* cf. illud in expeditionum descriptionibus frequentissimum *ἐντεῦθεν ὁρμώμενος*). Sic demum sequentia bene intelligimus: quemadmodum sanitatis tuendae causa locos insalubres vitamus ita et vitanda est *ἡ περιαυτολογία* quae et ipsa habet

τόπους ὀλισθήρους καὶ περιΦέρουσα εἰς αὐτήν

nempe *εἰς τὴν Φιλαυτίαν* unde est profecta.

Atque eos locos sic enumerare incipit:

τὸ Φιλότιμον ἐξανθεῖ τὴν περιαυτολογίαν

Verbum sic vertit interpres: „extrudit". Recte, dummodo et vox latina — id quod nescio — suum sibi locum habeat in hortis agrisque.

546 D Ut de se loquantur maxime evenit *τοῖς ἐκ πότων ἡγεμονικῶν καὶ πραγμάτων μεγάλων ἐπανήκουσι.*

Calamine lapsu sic B. edidit an e coniectura? Nam W. *τόπων* habet, quod egregie friget, licet *ἐκ τ. ἡ* vertat interpres „e provinciis a se gubernatis". Sed neque *πότων* placet. Oportebat sane *συμποσίων*.

547 A Pro absurdo *ἀλλὰ μέγα ζῆλον ἐμποιοῦν* acute editor coniecit *ἀλλ' ἅμιλλαν καὶ ζῆλον ἐμποιοῦν*.

547 B Mire titillationum effectus his verbis describitur: *τὰ λειότατα τοῦ σώματος ὀλισθάνοντα καὶ συρρέοντα κινεῖ καὶ συνεξορμᾷ τὸ πάθος.*

Mihi oraculi instar ista sunt.

547 C Cautissimum esse oportet cum laudaris, nam in loco tunc versaris pleno periculorum. Quae sic describuntur:

ἔνιοι μὲν οὖν κολακεύοντες αὑτοὺς ὥσπερ γαργαλίζουσι καὶ Φυσῶσι.

Quid hic rei nobis est cum hominibus qui *sibimet ipsis* blandiuntur et quid illis cum iis qui deinceps inferuntur? Pro *αὑτούς* legere velim *ἄλλως*, „qui nihil aliud nisi blandiuntur,

quique id aperte faciunt" (cf. 541 E ἄλλως ἀδικούμενοι), tum statim opponuntur qui κακοήθως οἷόν τι δέλεαρ μικρὸν εὐλογίας ὑποβάλλοντες ἐκκαλοῦνται τὴν περιαυτολογίαν.

547 D Utilissimum est alios dum semet ipsos laudant observare et meminisse quam ingrata nobis res ea fuerit:
οὐδὲ γὰρ ἔχοντες εἰπεῖν ὅτι πάσχομεν ἄλλο κακὸν ὑπὸ τῶν αὑτοὺς ἐπαινούντων . . . .
naturali quodam instinctu eos aversamur.

Non coniunctione sed pronomine ὅ τι (ὅ τι ἄλλο) hic opus est.

CAPUT XV.

DE SERA NUMINIS VINDICTA.

Ne quis unquam dubitare posthac possit quin **ipsius** („ipsissimi" paene cum poeta comico dixeram) **Plutarchi** aureum illud dictum sit

φιλοσοφίας τέλος Θεολογια

hunc librum vel obiter inspiciat: statim videbit hunc scriptori ex omnibus suis libris primarium visum esse. Quapropter in libro, quo ab inferis reducere ad nostros homines vivum loquentumque Plutarchum conatus sum, totum eum quam accuratissime potui — nam, profecto, haud levis fuit labor ille — in vernaculum transtuli sermonem. Tractatur enim ibi quaestio, qua nulla ad perturbandas *piorum* hominum mentes aptior videri possit, nulla magis doctrinam et acumen perfecti requirat et consummati philosophi. „Cur tam sero plerumque dei plectunt noxios?" et — nam haec cum illa quaestio est coniunctissima — „cur saepe dant poenas filii eorum quae deliquerunt parentes?" sic anxii rogare solent homines qui ét Summum esse Numen credunt et penes illud esse summam iustitiam sapientiamque sibi habent persuasissimum. Et adest philosophus qui hanc iis demat curam sollicitudinemque re ab omni parte consideranda perpendendaque, mythoque addendo, qui tamquam tabula picta auditorum lectorumque mentes devinctas teneat. Mytho carere non posse disputationem ullam graviorem nedum eam quae ad Divinae Providentiae pertineat mysteria Plutarchus putat et recte putat. Solida enim argumenta, praesertim cum id iis demonstratur quod neque absurdum sit neque incredibile, in ali-

quod tempus animi perturbationes placent sedentque, postea certo aliquo sustentaculo homini opus est quod semper in promptu habeat. Nam argumenta licet alia argumenta deiiciant profligentque, novae subinde surgunt dubitationes, quae certiore sint curandae remedio. Et mythis suis adeo confidit Plutarchus ut in iis proferendis Platonico illo non vereatur uti exordio: „quod nunc sum dicturus tibi fortasse ficta videbitur fabula, at mihi firmissima rei de qua agitur videtur demonstratio." Primum convincit hominem et pectus quidem magis convincit quam rationem, deinde spectaculum ei ponit ante oculos colorum figurarumque plenum, quod nulla aetas sit deletura.

Iam si quis me roget quid de illo libro Chaeronensis nostri philosophi et theologi tam saepe laudato, tot admirantium versato manibus mentibusque, ipse sentiam, non possum non confiteri ipsam illam partem quae proprium decus et suum sibi ornamentum praebere toti libro debeat, mythum dico, ea ipsa carere virtute qua quam maxime opus sit. Mihi quidem hic idem evenit quod in similibus Dantei operis fit locis: quae describuntur oculis meis non video, atque idem ceteris omnibus qui hunc legant librum accidere suspicor. Quodsi docti editores pictorum munus susceperint, totidem suspicor tabulas quot editiones prodituras, quae omnes unam rem inter se communem habeant, quod difficultatis pars tollatur nulla, id quod et in Dantes editionibus fieri videmus. Sed quemadmodum quivis *indoctus* in praeclaro Itali opere legendo iis ipsis locis quos non intelligere non possit, quia tam sunt praeclari, ideo fortasse magis etiam commovetur quia inter tenebras circumiacentes umbramque qua obteguntur clarius splendent fulgentque, sic Plutarcheus quoque mythus lumina quaedam habet, quae ob eam causam magis oculos ad se attrahunt quod vicina paulo sunt obscuriora. E quorum numero et honorificentissimum illud est de Vespasiano iudicium, quod uno continetur versu tanti ponderis:

vir fuit hic iustus, morbo regnum exuet ergo.

Sed proprius quidam et peculiaris nitor inest pulcherrimo illi de Nerone loco, de quo hanc divina quaedam vox, cum iam in eo sunt daemones ut in horrendam eum diramque convertant viperam pronuntiat sententiam: „canorus fiat ales, quales ad

stagna quaedam et paludes vivunt: populo enim dis acceptissimo libertatem dedit". Quod iudicium iusto quidem clementius, atque adeo cupidum nobis videri possit, absurdum videri non possit, Equidem mirari satis non possum doctissimum illum acutissimumque virum Hirzelium *ludicrum* illud vocare. An non ex animi sententia paratam habeat veniam Plutarchus tyranno qui dilectissimam carissimamque sibi Graeciam praeclaro libertatis donaverit munere? An ludere et iocari videtur cum divinam illam vocem sic inducit ratiocinantem:

ὧν μὲν γὰρ ἠδίκησε δεδωκέναι δίκας· ὀφείλεσθαι δέ τι χρηστὸν αὐτῷ, ὅτι τῶν ὑπηκόων τὸ βέλτιστον καὶ θεοφιλέστατον γένος ἠλευθέρωσε,

nisi forte hoc obstitit quominus veram eorum vocabulorum perspiceret vim Hirzelius quod languidissimum his putidissimumque emblema *τὴν Ἑλλάδα* addiicitur? Nam eo abiecto ipsum audimus Plutarchum quam maxima declarantem gravitate quod ipsi sit persuasissimum. Vere praeclarus vero locus ille ubi vividis nobis coloribus dirissimus impiorum apud inferos depingitur cruciatus ille inde natus quod, cum sibi iam defuncti videntur doloribus, in pristinum relabuntur malum, usque novo exoriente prognato qui poenas dederit eorum quae deliquerunt illi, quod malum semper ideo fit saevius, quia qui sic plectuntur iam notos habent dolores illos, qui denuo sibi sint perpetiendi. Praeclarus ille locus est oratione, sed, si fieri potest, magis etiam argumento, nam sic admodum probabiliter quaestio illa solvitur quae haud iniuria saepe homines torqueat vexetque: quae sit iustitia illa quod saepe insontes liberi pro sontibus puniantur parentibus. Equidem in libro, cuius hoc sit praecipuum argumentum, usquam lusisse et iocatum esse Plutarchum haud crediderim, minime vero eo libri loco ubi de patriae suae, qua nihil unquam ei carius fuit, sorte agit.

Atque etiam alibi compositio dispositioque libri haud iniuria reprehendi possit. Sic — id quod iam notavit Wyttenbachius — quae c. XVII proferuntur exempla, licet rem, de qua agitur, animi immortalitem, sat bene illustrent, non id nobis exhibent quod promissum est: dixerat Plutarchus *recentia* se commemoraturum exempla, at haec omnia ex remota sunt petita antiquitate.

Et sunt alia eiusmodi vitia levissima quae multo maioribus facile compensantur virtutibus. Egregie enim id ipsum quod probandum est probatur. Exempli causa e capite XI πλουταρχειότατον illud affero argumentum, pro lucro, quod appetitur, damnum semper afferre peccata; egregie capite XVII acerbiore quam pro placido lenique Plutarchi ingenio usum eum esse affirmo oratione, ubi id agitur ut penitus sentiant omnes non adeo stultum esse ineptumque Deum ut tantum laboris tantumque curae eorum suscipiat gratia quos immortale nihil habere sciat. Neque minus praeclarum illud laudo exordium quo Patrocleas et Olympichus utuntur ad describendum quantam habeat sera numinis vindicta crudelitatem. Aptissima porro sunt exempla humanarum legum, quas obiter adspiciens aliquis, sicut et multa deorum decreta, absurdas et insanes appellitare possit, cum tamen — id quod in multis earum cognitu est facillimum — summa sapientia prudentissimoque sint perlatae consilio. In transitu hic observo eas quae huic sunt accomodatissimae proposito e *Romanorum* esse petitas republica, eas quae ad *decimationem* est ad *heredem fiduciarium* pertineant; per totum est spargendus liber imperium Romanum ideoque primis omnium approbandus iis a quibus illud administratur. Denique ea oratione tota est exornata disputatio, quae legentem ad finem usque devinctum teneat. Sed disputationis illius, id quod res ipsa clamat, primas partes ipse agit Plutarchus. Ille eam esse mentis humanae demonstrat infirmitatem ut non *possimus* semper Dei intelligere voluntatem, deum cum puniat hominem remotissimum esse ab omni *ulciscendi* consilio, sed semper hoc solum spectare ut *emendentur* homines docet, illius sunt praestantissima haec: „ipsum peccatum poena est, sera poena est poena diuturna, poena est et poenae metus", ille in capite XI praeclara illa utitur peroratione, quae in mentem nobis vocat ea quae praestantissimus ille liber *non posse* habet praestantissima: „si fas est dicere, peccatoribus omnibus nullis opus esse opinor vindicibus, neque divinis neque humanis, ipsa eorum vita, pravitate corrupta et perturbata, idonea poena est".

Atque haec omnia — lubenter hoc concedo — nihil (ut strictiore sensu illud adhibeam vocabulum) *demonstrant*, non logica quadam necessitate hominem „insanientis sapientiae con-

sultum" errasse se fateri *cogunt*. Sed cui in huiuscemodi rebus pluris sunt argumenta quae *pectus* quam quae *rationem* tangunt, is quae hic offert Plutarchus lubenter tamquam summi pretii accipiet dona; negare enim non poterit vix unquam se legisse quidquam quod melius hominem non impium deiectum erigere, sustentare labentem possit. Nam quod ante omnia habere debet is qui *pietatis* suscipit patrocinium, id hic plenum adest perfectumque, eius ipsius qui loquitur pietas, ex ipso nata pectore, in pectore alte haerens: haec enim mentes sibi conciliat, mortales acuit oculos, sursum corda attollit.

Iam de locis dubiis obscurioribusve qui Belgice sciunt illam quam dixi interpretationem meam consulant. Reliquorum omnium causa haec annoto:

548 A: *τοιαῦτα μὲν ὁ Ἐπίκουρος εἰπών, ὦ Κύντε, καὶ πρὶν ἀποκρίνασθαί τινα .... ᾤχετ' ἀπιών.*

Viro quem hic alloquitur Plutarchus hoc nomen Reiskius dedit, nam in codicibus est ὦ Κύνιε. Equidem sic corrigere malim, ut fiat Κυητέ (v. p. 243, 1). Nam quidni hic sic alter fratrum quibus liber de *fraterno amore* scriptus est? In iis quae praecedunt editor Graecus ne commemorat quidemFabricii coniecturam Ἐπικούρειος pro Ἐπίκουρος legentis. Est tamen certissima ea emendatio. Nam quid nobis hic cum Epicuro ipso? Porco de grege eius opus est, quemadmodum sequentia clamant. Quod autem fingit scriptor *continuari* hic disputationem, mirum quantum vitae illud toti libro praebet. Eodem vel simili artificio et alibi Plutarchum uti videmus.

548 B „Ergone" Patrocleas rogat „totam omittamus disquisitionem an *τῷ λόγῳ καθάπερ παρόντος ἀποκρινώμεθα τοῦ εἰπόντος*; Sic locutum Patrocleam Plutarchus finxit; omnia perturbavit sciolus, qui post *παρόντος* addidit *καὶ μὴ παρόντος*. Fraudem detexit Emperius.

548 C Rectissime hic editor Madvigii recepit emendationem *ἡμῖν* pro *ἡμῶν*. Hac enim fit ut omnia bene inter se cohaereant respondeantque: „Brasidas telo e vulnere extracto hostem percussit; nobis facile quidem sit poenas sumere ab eo qui nos vulneravit, sed satis est telum removere".

549 A Quid profuit Orchomeniis dirus ille morbus quo multo postea cruciatus est proditor Lyciscus, qui identidem pedes in fluvium intingens *ὤμοσε καὶ κατηράσατο σαπῆναι [προδόντος αὐτοῦ καὶ ἀδικήσαντος]*;

Insulsissima sunt inclusa, praesertim illud *ἀδικήσαντος*. Et proditorem esse hominem modo legimus.

549 C *τὴν πίστιν ἡ βραδυτὴς ἀφαιρεῖται τῆς προνοίας καὶ τὸ μὴ παρ' ἕκαστον ἀδίκημα τοῖς πονηροῖς ἐπακολουθοῦν κακόν, ἀλλ' ὕστερον εἰς ἀτυχήματος χώραν τιθέμενοι, καὶ συμφορὰν οὐ τιμωρίαν ὀνομάζοντες, οὐδὲν ὠφελοῦνται.*

Casu aliquo sub finem hinc excidit *οἱ κακοί*. Durius enim videtur id e praecedenti *πονηροῖς* petere. Nam virgula non post *προνοίας* sed post *κακόν* est ponenda.

ib. In equo regendo verbera aliaque quae diu post delictum veniunt

ἑτέρου τινὸς ἕνεκα μᾶλλον δοκοῦσι γενέσθαι ἢ διδασκαλίας

venuste lepideque dictum hoc, sed plane corrumpitur insulsissimo additamento: *διὸ τὸ λυποῦν ἄνευ τοῦ παιδεύειν ἔχουσι*. Admodum facile semper est vocem Plutarchi et vocem magistelli inter se discernere.

549 E *ῥηθέντων οὖν τούτων κἀμοῦ πρὸς αὐτὸν ὄντος, ὁ Τίμων κτέ.*

Potestne etiam dubitari quin recte hic Reiskius *πρὸς αὐτοῖς* pro *πρὸς αὐτόν* coniecerit? „quae cum dixissent illi egoque mecum perpenderem". An ullus aptus sensus e lectione tradita potest elici?

ib. Rogat ergo Timon *πότερον ἐπιθῶ καὶ αὐτὸς ἤδη τῷ λόγῳ τὸν κολοφῶνα τῆς ἀπορίας*.

Magnopere vereor ut recte haec interpres intellexerit. Vertit enim: „vultisne ergo ut ipse quoque difficultatibus *huius disputationis* colophonem addam?" at *ὁ λόγος* non est „haec disputatio" verum *nostra philosophia* (Academica) pia, metuens deorum, confisa Providentiae, denique inimica Epicureorum impietati. Luce clarius hoc apparet e sequentibus: *ἢ πρὸς ταῦτ' ἐάσω πρότερον αὐτὸν διαγωνίσασθαι* et: *τί γὰρ δεῖ τὸ τρίτον ἐπενεγκεῖν κῦμα*

καὶ προσκατακλύσαι τὸν λόγον, εἰ τὰ πρῶτα μὴ δυνατὸς ἔσται διώσασθαι μηδ' ἀποφυγεῖν ἐγκλήματα. Sunt ergo ἐγκλήματα crimina illa, quibus Epicureus aggressus est philosophiam eorum qui deos esse et sapienter prospicere generi humano credunt. Quapropter sic fere verba citata ego verterim: „utrum nostrae philosophiae praeter difficultates iam in eam collatas (sive praeter crimina in eam collata) imponam etiam quasi sarcinae cumulum aliquem?" Paululum ergo quidem sed tamen recedit Plutarchus a Platonico vocis quae est κολοφών usu. Apud hunc enim est (Leg. 674 C): οὗτος κολοφὼν ἐπὶ τῷ περὶ οἴνου λόγῳ ῥηθέντι εἰρήσθω et Epl. 3, 318 B: τὸν κολοφῶνα ταῖς ὑποσχέσεσιν ἐπέθηκας, recteque Scholiasta ad priorem locum annotat: κολοφὼν σημαίνει τὸ κῦρος τῆς ἐπικρίσεως. Nam quicunque est proprius vocabuli quod est κολοφών usus, apud Platonem dubitari non potest quin τὸν κολοφῶνα ἐπιθεῖναι sit: „ultimam manum alicui rei adhibere, eamque perficere et implere".

549 F Multo perversius quam de musica vel de arte bellica disputare imperitum est:

τὰ δαιμόνια πράγματα διασκοπεῖν, ἀνθρώπους ὄντας, οἷον ἀτέχνους τεχνιτῶν διάνοιαν ἀπὸ δόξης καὶ ὑπονοίας κατὰ τὸ εἰκὸς μετιόντας.

Ante κατά inserendum est καί. Imperiti nullam habent certam scientiam, sed in disputando opiniones, suspiciones, probabilitatem sequuntur.

In sequentibus denuo editor, semicolon ponens post ἔργον ἐστι totam sententiam perturbavit immemor Demosthenei οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ.

550 B „Etiam humanae leges multae absurdae videri possunt iis qui earum rationem cognitam non habent". Huius sententiae et alia afferuntur exempla et Spartanorum illud μὴ τρέφειν μύστακα et Romanorum *vindicta*. Sed his exemplis haec interseruntur vocabula:

καὶ πείθεσθαι τοῖς νόμοις ὡς μὴ χαλεποὶ ὦσιν αὐτοῖς

quae utique sunt delenda. His enim sciolus ea ipsa explicare conatur, idque admodum pueriliter, quae nisi aliquantisper maneant inexplicata obscuraque, totus locus fiat absurdissimus.

550 C Haec ideo affero *ὅπως ὁ λόγος, οἷον εἰς λιμένα καὶ καταφυγὴν ἀποβλέπων, εὐθαρσέστερον ἐξαναφέρῃ πρὸς τὴν ἀπορίαν.* Denuo hic *ὁ λόγος* est „nostra philosophia'', iterumque hic in verbo *ἀναφέρειν* habes metaphoram navis, quae diu luctata tandem superavit molestias (cf. ad p. 438 A). *Portu* denique illo et *perfugio* significatur *audientium benevolentia.*

550 D *ἡ πάντων φύσις ἄτακτος οὖσα ταύτην ἔσχεν ἀρχὴν τοῦ μεταβαλεῖν καὶ γενέσθαι κόσμος ὁμοιότητι καὶ μεθέξει τινὶ τῆς περὶ τὸ θεῖον ἰδέας καὶ ἀρετῆς.*

Quodnam tandem exordium et initium chaos ceperit convertendi se in „mundum'' neque hinc apparet neque e praecedentibus sequentibusve. Sed lege *ὁμοιότητα καὶ μέθεξίν τινα*, omnia erunt quam aptissima et quam maxime perspicua. Hoc illud fuit initium quod materies particeps dei deique similis facta est.

550 F Sero tardeque poenas sumendo nos Deus docet *ἐν τάξει καὶ ἐμμελείᾳ τὸν ἥκιστα μετανοίᾳ προσοισόμενον χρόνον ἔχοντας σύμβουλον, ἅπτεσθαι τῆς δίκης.*

Verba notata aut corrupta sunt aut hoc fere significant: „quam maxime a poenitentia remotum et alienum''.

551 C Imitentur homines *τὴν πραότητα καὶ τὴν μετριοπάθειαν ἣν ὁ θεὸς ἐνδείκνυται τῷ μὲν κολάζειν ὀλίγους ἐπανορθοῦσαν, τῷ δὲ βραδέως πολλοὺς ὠφελοῦσαν καὶ νουθετοῦσαν.*

Minime cum Reiskio ante *κολάζειν* inserendum est *ταχέως* vel *ταχύ* cum editore Graeco: mira enim est *mansuetudo* quae poenas sumere festinet! Sed haec est sententia: Deus paucos plectit plectendoque corrigit, sed tarde puniendo multos cum maximo eorum emolumento monet.

551 E Non eadem in omnibus puniendis Deus celeritate utitur: *ἀλλὰ τὸ μὲν ἀνήκεστον εὐθὺς ἐξεῖλε τοῦ βίου καὶ ἀπέκοψεν, ὡς ἑτέροις γε πάντως βλαβερὸν αὐτῷ τε βλαβερώτατον ἀεὶ συνεῖναι μετὰ πονηρίας.*

Post *βλαβερόν* Reiskius *ὄν* inseruit. „Nihil opus'' B. annotat: mihi ne Graeca quidem videtur oratio, nisi illud addatur participium.

552 C Vir agri colendi imperitus non probat agrum obsitum agrestibus stirpibus, ferarum, aquae luti plenum, *ἀλλὰ τῷ μεμαθηκότι διαισθάνεσθαι καὶ κρίνειν, αὐτὰ ταῦτα τὴν ἰσχὺν καὶ πανθ' ὅσα ὑποδείκνυσι καὶ τὴν μαλακότητα τῆς γῆς..*

Arena sine calce, neque satis proficimus Stegmanni coniectura *καὶ πάνθ' ὅσα τὴν ἰσχύν*. Sed deleta virgula sic transpone et supple: *ἀλλὰ τῷ μεμαθηκότι διαισθάνεσθαι καὶ κρίνειν αὐτὰ ταῦτα καὶ πάνθ' ὅσα τοιαῦτα τὴν ἰσχὺν ὑποδείκνυσι καὶ τὴν μαλακότητα τῆς γῆς*, ipsam Plutarchi, ut opinor, manum habebis.

552 D E Prudenter Aegyptii condemnatam mulierem gravidam ante partum occidi vetant. *ἐὰν δὲ παιδία μὴ κύῃ τις, ἀλλὰ πρᾶξιν ἢ βουλὴν ἀπόρρητον εἰς Φῶς ἡλίου δυνατὸς ᾖ προαγαγεῖν χρόνῳ καὶ ἀναδεῖξαι, κακόν τι μηνύσας λανθάνον ἢ σωτηρίου γνώμης γενόμενος σύμβουλος ἢ χρείας εὑρετὴς ἀναγκαίας* nonne expectare quam festinare praestat? Verba *κακόν τι μηνύσας λανθάνον* ad sola praecedentia pertinent. Ponenda ergo virgula non post *ἀναδεῖξαι* verum post *λανθάνον*. Sed ex iis quae sequuntur excidit aliquid in hanc sententiam: „bene de patria mereri". Verba Graeca non praesto.

553 E Aristo rapuit *τὸν Ἐριφύλης κόσμον ἐνταῦθα κείμενον. ἐνταῦθα* hic, Delphis. Ibi ergo colloquium habetur et Delphici templi iam summus est sacerdos Plutarchus.

554 B Vita improbi et alios multos cruciatus secum affert et *οἴκτους σὺν αἰσχύνῃ.*

Male me habent illae *multae miscericordiae*, suspicorque *οἰκτισμούς* pro *οἴκτους* esse legendum: saepe lamentatur improbus simulque eorum ob quae lamentatur eum pudet.

554 C Nominat hic Plutarchus notum istum e Platone Herodicum Selymbrianum *εἰς ἀνήκεστον πάθος ἐμπεσόντα.*

Quis hic ferat istud post *εἰς* pueriliter prorsus insertum *Φθίσιν*?

554 D Improbus qui nondum poenas dedit comparari potest cum condemnato qui in carcerem est coniectus: ipsa vita ei

carcer est et interea ei praebet *εὐωχίας καὶ πραγματείας καὶ δόσεις καὶ χάριτας*.

Absurde hic istud *δόσεις* ponitur. Requiritur fere: „res quae abducunt a tristibus cogitationibus" (nostrum „afleidingen").

554 F Improbus malefacti dulcedinem statim tamquam escam devoravit, tum ut piscis hamo adhaeret *τὸ συνειδὸς ἐγκείμενον ἔχων καὶ ἀποτῖνον*.

Absurda vox ultima: mala conscientia non *dat* poenas sed sumit et *cruciat*. Lege ergo cum W. *ἐπιτεῖνον*.

555 C Ptolemaei Cerauni amici viderunt eum in ius vocatum a Seleuco *γυπῶν καὶ λύκων δικαζόντων καὶ κρέα πολλὰ τοῖς πολεμίοις διανέμοντα*.

Ne in iudicio quidem quod dormientes vident talia *reus* agit; *carnes* vero distribuere vulturum est luporumque, qui eas de campo, ubi pugnatum fuit, sustulerunt. Lege ergo *διανεμόντων* cum R.

555 D *καὶ γὰρ εἰ μηδὲν ἄλλο φαίη τις ἂν τῷ βίῳ καὶ τῷ χρόνῳ τῶν πονηρῶν ὑπάρχειν κακόν* .....

Dirum soloecismum removit Naberus *ἐν* pro *ἂν* legendo.

Sequitur: *ἀλλ' ἐξελεγχομένης που τῆς ἀδικίας, πράγματος ἀκάρπου καὶ ἀχαρίστου, καὶ χρηστὸν οὐδὲν οὐδ' ἄξιον σπουδῆς ἀναφέροντος ἐκ πολλῶν καὶ μεγάλων ἀγώνων ἡ αἴσθησις αὐτῶν ἀνατρέπει τὴν ψυχήν*.

Tam molestum mihi istud *αὐτῶν* est, quod quo sit referendum prorsus nescio, ut hiatum non reformidans *αὐτὴ* proponam: iniusti mens *eo ipso* pervertitur deiiciturque quod sentit convictam esse iniustitiam nihilque boni eam afferre vel allaturam esse.

555 F Commemorato Simonidis dicto de cista sua semper plena argenti, gratiae (*χαρίτων*) [1]) vacua, sic pergit:

οὕτως οἱ πονηροὶ τὴν κακίαν ἐν ἑαυτοῖς διορῶντες ἡδονῆς μὲν εὐθὺς κενὴν χάριν ἐχούσης καὶ ἐλπίδος χρηστῆς ἔρημον εὑρίσκουσι.

1) Quem sensum in Simonidis dicto vox illa habeat me fugit; an hoc sibi vult poëta: „pecuniam mihi solvunt multi, sed pauci mihi gratias habent, pauci enim carmina mea tenent memoria"?

Ain vero? *Caretne* improbitas voluptate quae *statim inanem* habet gratiam? Equidem putabam nullam aliam improbitate afferri voluptatem quam *brevissimam* atque mox ita *perituram* ut solidi relinquat nihil. Utrumque inest in vocabulis εὐθὺς κενήν. Et cum taline voluptate *vana* atque *inani* iungatur spes *bona*, hoc est firma et laetum habitura eventum? Vides prorsus contrarium requiri. Sed quomodo id e traditis eliciamus verbis? Docebunt proxime sequentia:

φόβων δὲ καὶ λυπῶν καὶ μνήμης ἀτερποῦς καὶ πρὸς τὸ μέλλον μὲν ὑποψίας ἀπιστίας δὲ πρὸς τὸ παρὸν ἀεὶ γέμουσαν.

Mala ergo quae voluptas affert aeterna sunt neque unquam intereunt, nam metu et suspicione usque *renovantur*. Satis nunc, ut opinor, pro εὐθὺς κενήν lenissima emendatione αὖθις καινήν legendum esse apparet: improbitas nullam affert voluptatem quae et *postea novam* incunditatem sit habitura; omnis improbitatis fructus puncto temporis adest, tum subito dominum deserit.

556 B ὅπου φιλοπλουτία καὶ φιληδονία περιμάχητος ἐνοικίζεται ibi statim et alia mala multa adesse videbis.

Haud multis verbis opus esse puto ad demonstrandum iure Emperio adiectivum περιμάχητος ab hoc loco quam maxime alienum visum esse. Prorsus contrarium requiritur: vitia enim, quae tantum secum afferunt mali, non *appetenda* sed quam maxime fugienda sunt. Aptissimum contra est περιμανής quod idem proposuit: quodvis enim studium quod modum excedit recte *insanum* appellatur. Minus alteram probo Emperii coniecturam ἀπαραμύθητος, quod melius de *dolore* quam de *cupiditate* dicitur et praeterea ingratum praebet hiatum.

556 C Improbi τοὺς ψέγοντας φοβοῦνται καὶ τοὺς ἐπαινοῦντας δεδίασιν ὡς ἀδικουμένους τῇ ἀπάτῃ, καὶ μάλιστα τοῖς κακοῖς πολεμοῦντας ὅτι τοὺς δοκοῦντας ἀγαθοὺς ἐπαινοῦσι προθύμως.

Praeclara sententia, dummodo ὅτε pro ὅτι legamus: metuunt improbi eos a quibus laudantur, nam ut laudarentur fraude effecerunt, et laudatores illi *tum* acerrimum cum malis gerunt bellum cum eos laudant improbos qui bonorum sumpserunt speciem. Coniunctio ὅτι hic aut languida aut obscura reddit omnia.

556 D Ad demonstrandum quantopere facinorum suorum recordatione torqueri debeant ii qui crudeliter et impie egerunt, eorum utitur exemplo quos etiam recte factorum poeniteat. [Et adhibet hic notam illam figuram enthymematis *οὐ γὰρ δήπου .... μὲν .... δέ*, quae tota perturbetur nisi membrum, quod illo *δέ* annectitur, a praecedentibus tantummodo virgula separetur, non, ut est et apud B., semicolo.] Sic quod argentum dederit atque adeo debitum reddiderit dolet .... quis? Num *ὁ Φαῦλος*, ut est in codicibus? Minime vero! Certa specie hic opus est non *improborum* (nimis durum hoc vocabulum) sed communi aliquo et pervulgato laborantium vitio. Rectissime ergo W. *Φιλάργυρος* reposuit.

556 F *οἷον ἐνταῦθα δήπουθεν λέγεται ἐλθεῖν Αἴσωπον .... ὅπως .... Δελφῶν ἑκάστῳ διανείμῃ μνᾶς τέσσαρας.*
V. ad p. 553 E.

557 B Non laudandus Alexander qui post tot saecula Branchidarum urbem vastarit, *Ἀγαθοκλῆς δὲ καὶ σὺν γέλωτι χλευάζων Κερκυραίους ἐρωτῶντας* .... sequitur quid Corcyraei rogaverint et quid responderit tyrannus.

Minime hic equidem cum B. *καί* deleverim, nam sic duo illi duces inter se opponi debent: „non laudandus Alexander, Agathocles *vero etiam* ....” Sed nunc requiritur verbum quod gravius aliquid quam *non laudari* significet, sed hoc deest, nisi quis mihi illud aliquanto post sequens *εἶπε* opponi velit; satis enim absurde dicitur: „non laudandus Alexander .... Agathocles vero etiam .... dixit”. Lege ergo *ὦφλε γέλωτα* pro *σὺν γέλωτι* ut haec habeas optime cahaerentia: „non laudandus Alexander, ridiculus *vero* Agathocles fuit”.

557 F *τοῖς σφόδρα πυρέττουσιν, ἐάν θ' ἓν ἱμάτιον ἐάν τε πολλὰ περιβεβλημένοι τυγχάνωσι, ταὐτὸ καῦμα καὶ παραπλήσιον* (immo *ἢ παραπλήσιον*, nam „idem *et* simile absurdum est”) *ὅμως δ' εἰς παραμυθίαν ἀφελεῖν τὸ πλῆθος.*

Aequabiliter in omnes saepe iusto severior est B. Receptam enim oportuit optimam ipsius emendationem: *ὅμως δ' εἰκὸς εἰς π. ἀ. τ. π.* Alioqui infinitivus *ἀφελεῖν* non habet unde pendeat.

Sequitur *εἰ δὲ μὴ βούλεσθε, τοῦτο μὲν ἔασον.*

Quid certius quam, quod W. vidit, *μὴ* esse delendum? Non enim cogitando supplere *ἀκούειν* vel eiusmodi aliquid possumus. Ne commemorat quidem editor hanc emendationem. Idem W. bene intellexit non *ἀφαιροῦντες* sed *ἐξαιροῦντες* esse legendum, ubi de hostiae parte agatur quae honoris causa convivarum uni apponitur. Testis Homerus.

558 A B Timonem fratrem, qui dixerat iniquissimum esse posteros poenas dare eorum quae deliquerunt proavi, Plutarchus sic refutat ut dicat secundum istam rationem etiam, id quod nemo concessurus sit, iniquum esse propter proavorum merita saepe posteros certis honoribus affici. Cuius rei et alia affert exempla et hoc:

ὑμεῖς γε δήπου πλέον ἔχειν ἑτέρων ἔν τε Βοιωτοῖς Ὀφελτιάδαι γένος ὄντες ἀξιοῦτε καὶ παρὰ Φωκεῦσι διὰ Δαΐφαντον.

Sic hunc locum recte X. restituit. Quod si quis roget quomodo ergo pluralis ille sit accipiendus, respondeam: „tu, et qui praeterea in nostra gente tecum sentiunt". Ipse fortasse Plutarchus privilegia illa non tanti faciebat.

Statim sequitur:

ἐμοὶ δὲ καὶ παρῆτε καὶ συνελαμβάνεσθε πρῶτον Spartanae cuiusdam gentis privilegium defendenti.

Scire velim quo consilio istud *πρῶτον* in textu retineatur postquam a Reiskio vera sit inventa lectio *πρῴην.*

558 F Miramur longo temporis intervallo rerum instaurari cursum, longo locorum intervallo idem fieri non miramur

καίτοι θαυμαστότερον εἰ, πάθους ἐν Αἰθιοπίᾳ λαβόντος ἀρχήν, ἀνεπλήσθησαν αἱ Ἀθῆναι, ἢ εἰ, Δελφῶν καὶ Συβαριτῶν γενομένων πονηρῶν, ἡ δίκη φερομένη περιῆλθεν εἰς τοὺς παῖδας..

Hic Reiskius, si recte eius coniecturam B. refert, a loquentis aberravit consilio post *καίτοι* inserens *τί.* Sic enim ratiocinatur Plutarchus: „quae de pestilentiae origine tradit Thucydides lubenter credimus et non miramur licet illud mirabilius sit quam (id quod miramur et vix credimus) poenas dare posteros eorum quae deliquerunt proavi".

559 B Tempore multo magis singulorum hominum quam civitatum mutantur mores; qui post triginta annos Athenas visit eas agnoscit:

καὶ τὰ νῦν ἤθη καὶ κινήματα παιδιαί τε καὶ σπουδαὶ καὶ χάριτες καὶ ὀργαὶ τοῦ δήμου πάνυ γε τοῖς παλαιοῖς ἐοίκασι.

Ut bene haec cohaereant, *γάρ* post primum *καί* est inserendum.

Contra:

αἱ δὲ τῶν ἠθῶν μεταβολαὶ παντὶ λόγῳ καὶ πόνῳ καὶ πάθει καὶ νόμῳ ῥᾳδίως τρεπόμεναι καὶ πρὸς τὸν ἀεὶ συνόντα τὴν ἀτοπίαν καὶ τὴν καινότητα θαυμαστὴν ἔχουσιν.

Mutantur, ut opinor, *mores*, non *mutationes*. Lege ergo *τρεπομένων* pro *τρεπόμεναι.*

559 C Eundem tamen manere hominem sumendum nobis est, nisi volumus omnia in Heracliti iniicere fluvium *εἰς ὃν οὔ φησι δὶς ἐμβῆναι.*

Bene haec B. correxit legendo *εἰς ὃν οὔ φησι δὶς ἄν σ' ἐμβῆναι.*

559 D Si civitas unum et continuum est, *ἔστι δήπου καὶ γένος ἐξηρτημένον ἀρχῆς μιᾶς καὶ δύναμίν τινα καὶ κοινωνίαν διαπεφυκυῖαν ἀναφερούσης.*

E dittographia natum istud *ἀνα* in ultimo vocabulo: communis illa origo illa omnia fert, affert, secum fert, non *effert* vel *refert.*

ib. *φαίην ἂν ἀνδρίαντα Κασάνδρου καταχαλκευόμενον ὑπ' Ἀθηναίων πάσχειν ἀδικώτερα* quam filios tyrannorum qui pro patribus plectuntur.

Lege cum W. (non cum R. ut refert B.) *χαλκοῦν καταχωνευόμενον.* An *καταχαλκεύεσθαι* significare potest: „minutatim concidi ut aerei inde fiant nummi"?

560 A *οὐ μέρει διὰ μέρους ἑτέρου μόνον, ἀλλὰ καὶ ψυχῇ διὰ ψυχῆς γίγνονταί τινες διαθέσεις καὶ κακώσεις καὶ ἐπανορθώσεις μᾶλλον ἢ σώματι διὰ σώματος.*

Egregie W. prima sic correxit *οὐ μέλει διὰ μέλους.* Nunc enim tria habemus quae hic requiruntur: anima, corpus, artus.

560 C Dei multum laboris insumentes pro hominibus qui immortale nihil habeant comparari possnnt cum feminis qui Adonidis serunt coluntque hortulos. Aeque enim puerile est *ποιεῖσθαι λόγον τοσοῦτον .... ἐφημέρους ψυχὰς ἐν σαρκὶ τρυφερᾷ καὶ βίου ῥίζαν ἰσχυρὰν οὐ δεχομένῃ βλαστανούσας, εἶτ' ἀποσβεννυμένας εὐθὺς ὑπὸ τῆς τυχούσης προφάσεως.*

Non cohaerentia haec in ordinem redegit W. legendo *ἐφημέρων ψυχῶν .... βλαστανουσῶν .... ἀποσβεννυμένων.* Sensus enim est: „inepti forent dii rationem habentes unius diei animarum, crescentium in molli carne quae firmam vitae radicem non recipit, deinde statim prima quaque causa intereuntium."

561 A (De animae agitur apud inferos conditione) *ἃς μὲν ἐκεῖ καθ' ἑαυτὴν οὖσα κομίζεται τῶν προβεβιωμένων χάριτας ἢ τινας κολάσεις*, eae ad viventes non pertinent.

Quam absurdum languidumque istud *τινας* sit sentiunt omnes, neque unde pedem huc intulerit latet: in margine aliquis ad *χάριτας* annotavit *τιμάς*, idque corruptum in textum aberravit.

561 B „Sententiae meae de deo per posteros puniente proavos" Plutarchus ait „certam possum afferre rationem, sed metuo ne mythus ea vobis videatur, *μόνῳ οὖν χρῶμαι τῷ εἰκότι*". Tum ceteris obtestantibus ut narret mythum illum „*ἐάσατε*" ait „*ἀποδοῦναί με τῷ λόγῳ τὸ εἰκός*".

Graeca sic vertit interpres: „itaque tantum utar probabilibus" et „sinite me probabilia persequi".

Perversissime: opponuntur inter se disputatio quae argumentis nititur et mythus qui delectat tantummodo atque adeo delectando persuadet audientibus. Sic ergo fere sunt vertenda „(fabula vobis videbitur de nihilo ficta) ergo tantummodo ratiocinabor et argumentis utar" et „sinite me disputationi meae persolvere quae ei debeo argumenta".

561 D Bio deum malorum filios punientem cum medico comparat qui non ipsum aegrum curet sed filium eius. Haec comparatio partim diversas continet res

ᾗ δὲ προσέοικε τῷ ζητουμένῳ τὸ παραβαλλόμενον ὑπὸ τοῦ Βίωνος ἔλαθεν αὐτόν.

Minime cum W. pro *αὐτόν* (ipsum Bionem) legere velim *ἄν τινα*. Sed quod delet *ὑπὸ τοῦ Βίωνος* plane cum eo facio.

Tum minime ineptire medicum qui propter morbum, quo pater laboravit, filii corpus in suam recipit curam longa sententia Plutarchus demonstrat qua se ipse impedit; sub finem enim ponit verba *ἐσκέδασε καὶ ἀπέπεμψε* tamquam si praecedat obiectum *νόσον*, non *υἱόν*.

562 A „Atque eadem ratione" ait „recte agit qui morbum paternum in filio renascentem statim compescit" eamque disputationem sic concludit ad aliamque transit:

ἢ κατὰ τοῦτο μὲν ὁ θεὸς οὐδὲν τοῦ Ἡσιόδου σοφώτερος

sequuntur versus Hesiodi et tota fit sententia interrogativa. Admodum contorte et impedite. Lege *καὶ* pro *ἢ* et pro interrogandi signo colon vel semicolon pone, ut haec evadat disputatio: „atque hactenus nihilo sapientior Deus quam Hesiodus, sed in aliis longe eum superat".

ib. Monet ergo Hesiodus:

μηδ' ἀπὸ δυστήνοιο τάφου ἀπονοστήσαντα
σπερμαίνειν γενεήν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός

ὡς οὐ κακίαν μόνον οὐδ' ἀρετὴν ἀλλὰ καὶ λύπην καὶ χαρὰν καὶ πάνθ' ὅσα ἀναδεχομένης τῆς γενέσεως.

Immo vero *γεννήσεως*, de ea enim hic sermo est. Et supple *πάνθ' ὅσα τοιαῦτα*, ne nihil dicatur.

In iis quae statim adduntur: *ἱλαροὺς καὶ ἡδεῖς καὶ διακεχυμένους ἄγειν πρὸς τὴν τέκνωσιν* denuo turbata est structura (ipsius, ut opinor, Plutarchi culpa), sed sententia perspicua.

563 B Sic ergo mythum suum narrare incipit Plutarchus:

ὁ Σολεὺς Θεσπέσιος . . . .

Dubium non est quin sciolus iam statim gravem mytho calamitatem intulerit, intempestive illud nomen hic ponens. Quis enim nunc intelligit quae p. 564 C leguntur? Ibi umbra cognati sic eum alloquitur: *χαῖρε Θεσπέσιε*. Sequitur: *θαυμάσαντος δ' αὐτοῦ καὶ φήσαντος ὡς οὐ Θεσπέσιος ἀλλ' Ἀριδαῖός ἐστι κτἑ.* Qui obsecro, mirari potest is, cui Thespesio nomen, se Thespesium vocari? Sed *non* esse sibi Thespesio nomen clamat noster

declarans Aridaeo sibi nomen esse, quod minime negat genius qui eum ducit per inferos: „hactenus" enim „Aridaeus vocabare" ait „at in posterum Thespesio tibi erit nomen". Res ergo sic se habet: verum viri nomen Aridaeus erat; nomen omen: quis enim non novit Aridaeum illum tyrannum Cilicem qui apud Platonem in X Rep. merito diras luit poenas? Sed genius ille gnarus quantum ei hoc per inferos iter sit profuturum, quod ei deorum concessit benignitas, iam nunc eum „pium deorumque metuentem" appellat, quo nomine ne cogitari quidem potest aliud magis oppositum funesto illi Aridaei nomini. Ergo hic pro *ὁ Σολεὺς Θεσπέσιος* rescribo *ὁ Σολεὺς Ἀριδαῖος*, nam quidni huic quoque Cilici illud nomen fuerit? Multo enim verisimilius de more aliquid hic deliquisse sciolum aliquem — nam admodum frequens esse istud praematurorum emblematum genus et alii demonstrarunt et ego in libello *de emblematis in Platonis textu obviis* — quam id quod coniicit Wyttenbachius ipsum Plutarchum hic omisisse aliquid, quae incredibilis foret negligentia.

563 D Rogavit ille Aridaeus deum *εἰ βέλτιον βιώσεται τὸν ἐπίλοιπον βίον*. Et respondit ille *ὅτι πράξει βέλτιον, ὅταν ἀποθάνῃ.*

Ex ingeniosissima Wyttenbachii coniectura verba *βιώσεται* et *πράξει* locum inter se mutare debent: avarus iste, de nulla alia re sollicitus quam de divitiis recuperandis, deum rogat *εἰ πράξει βέλτιον*, maioresne quam nunc sit aliquando habiturus opes. Et respondet deus eum melius *victurum* postquam *occiderit*, quod ét lepidissimum est *ὀξύμωρον* et sapientissime dictum: revera enim post mortem illam melius *vixit* iste homo, ab impio enim probus piusque erat factus.

563 E Mirabantur Aridaei amici subitam illam eius in melius mutationem neque temere eam factam arbitrabantur:

ὅπερ ἦν ἀληθές, ὡς αὐτὸς διηγεῖτο.

„Malim eiecto *ὡς* sententiam ita accipere, quasi dixerit *διηγεῖτο αὐτοῖς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν*, ut solent Graeci: *rem totam ipsis narravit*" annotat W. Fortasse recte, dummodo *δέ* inseramus post *ὅπερ*.

563 F Narrat ergo illo casu se ita esse affectum:
ὥστε τὴν ψυχὴν ἐποχουμένην λείως οἷον ὥσπερ ἐν γαλήνῃ τῷ φωτὶ ῥᾳδίως πάντῃ καὶ ταχὺ διαφέρεσθαι.
Legendum *λείως ὥσπερ ναῦν ἐν γαλήνῃ* e praeclara Reiskii emendatione, quam ne commemorat quidem editor.

564 A Narrat quasdam animas *μικτήν τινα φέρεσθαι καὶ τεταραγμένην κίνησιν [καὶ] πολλῷ πάνυ χρόνῳ καὶ μόλις ἀποκαθισταμένην.*
Inclusum *καί* non ferendum opinor.

564 B *φοράς τε πάσας πρὸς οὐδὲν ἀκρίτως ἐφέροντο.*
Sensus perspicuus, sed rectene habent verba notata?

564 C Sic genius mortuum illum nec mortuum edocet:
οὐδὲ γάρ τοι τέθνηκας, ἀλλὰ μοίρᾳ τινὶ θεῶν ἥκεις δεῦρο τῷ φρονοῦντι· τὴν δ' ἄλλην ψυχὴν ὥσπερ ἀγκύριον ἐν τῷ σώματι καταλέλοιπας.
Lege ex egregia Wyttenbachii emendatione *ἄλογον* pro *ἄλλην*, quod *τῷ φρονοῦντι* non potest opponi.

564 D *σύμβολον δέ σοι καὶ νῦν καὶ αὖθις ἔστω* ....
„Cuiusnam rei?" rogat W. suspicaturque deesse hic aliquid. Sed optime habent omnia: videt Thespesius sibi adhaerere umbrae aliquid, vere mortuorum animae sunt perlucidae. Mox illud discrimen agnoscit.

564 E Adrastea *ἐπὶ πᾶσι τιμωρὸς ἀνωτάτω τέτακται τοῖς ἀδικήμασι.*
Recte Naberus *ἀδικήσασι* coniecisse videtur.

565 A In descriptione variarum pro delictis poenarum omnia ordine procedunt et sunt admodum perspicua. Sed Wyttenbachii coniectura pro *ἡ μὲν ὑπὸ τῆς* Ποινῆς *ἐν τῷ βίῳ ταῖς βαρβαρικαῖς ἔοικεν* (sequitur narratio de „symbolica" vestimentorum verberatione) legentis *ἡ μὲν μετὰ τὴν ἐν τῷ βίῳ ποινήν* omnia perturbantur. Quae de viventibus sumuntur poenae eae ad res

externas tantum pertinent, *οὐδ' αὐτῆς ἐπιλαμβάνονται τῆς κακίας ἀλλὰ πρὸς δόξαν αἱ πολλαὶ καὶ πρὸς αἴσθησιν αὐτῶν εἰσιν.*

Pro inani isto *αὐτῶν* prudentissime W. *ἄλλων* reposuit. Ut „symbolicae'' illae Persarum poenae, alias (verasque) poenas ponunt ante oculos.

ib. *ὃς δ' ἂν ἐκεῖθεν* (a terris) *ἀκόλαστος ἐνταῦθα* (ad inferos) *καὶ ἀκάθαρτος ἐξίκηται, τοῦτον ἡ Δίκη διαλαβοῦσα τῇ ψυχῇ καταφανῆ γυμνὸν κτἑ.*

Eleganter W. *ἰδίᾳ λαβοῦσα,* qui deinde ante *γυμνόν* inserit *καί,* quod recipiendum puto, sed simul otiosum istud *τῇ ψυχῇ* delendum. Graeci editoris lectionem *τῇ ψυχῇ καταφανεῖ* secutus sum in interpretatione. Nollem factum.

565 B *οὐλαὶ δὲ καὶ μώλωπες ἐπὶ τῶν παθῶν.*

Immo *ἀπό.*

565 C Alii sunt aliarum colores animarum:

ὅπου δὲ τὸ γλαύκινόν ἐστιν, ἐντεῦθεν ἀκρασία τις περὶ ἡδονὰς ἐκτέτριπται μόλις.

Absurde hic colores et vitia perturbantur. Verum restituit ordinem W. legendo: *ὅπου δὲ ἀκρασία τις περὶ ἡδονάς ἐστιν, ἐνθαῦθα τὸ γλαυκινὸν ἐντέτριπται.*

ib. Comparantur quorundam peccatorum colores cum colore sepiae, sed magnum aliquid interesse ait: *ἐκεῖ* (in sepiis) *μὲν γὰρ ἡ κακία τῆς ψυχῆς τρεπομένης ὑπὸ τῶν παθῶν καὶ τρεπούσης τὸ σῶμα τὰς χροὰς ἀναδίδωσιν, ἐνταῦθα* (*hic,* apud inferos) *δὲ καθαρμοῦ καὶ κολάσεως πέρας ἐστί, τούτων ἐκλεανθέντων παντάπασι τὴν ψυχὴν αὐγοειδῆ καὶ σύγχρουν γενέσθαι.*

Sepiae color nihil est nisi vitiositatis signum, peccatorum apud inferos color est medicatio quaedam, quae suum sibi consilium et finem (*πέρας*) habet. Non intellexit locum W. qui post *ἐκλεανθέντων* inseruerit *ὥστε.* In errorem, ut opinor, eum induxit molesta illa virgula post *πέρας ἐστί* posita. Quam deleamus!

565 D Persanantur aliae animae, *τὰς δ' αὖθις εἰς σώματα ζῴων ἐξήνεγκε βιαιότης ἀμαθίας καὶ φιληδονίας εἶδος.*

Pro ultimo vocabulo requiritur aliquid quod *stimulum* significet, nam quod R. coniecit *ἰσχύς* nimis languidum videtur. Sed quod B. dat *ἧλος* *stimulum* posse significare vix crediderim. Vocabulo autem *ζῴων* tam *hominum* quam ceterorum animalium formae indicantur.

565 E Alia anima eam formam ignavia induit, alia *ὀργάνου τῷ ἀκολάστῳ δεομένη ποθεῖ τὰς ἐπιθυμίας συρράψαι ταῖς ἀπολαύσεσι καὶ συνεπαίρεσθαι διὰ σώματος.*

Cur notatum vocabulum, quod plane sensu hic caret, in textu retineatur, cum verum iam sit inventum? Egregie enim Madvigius *συνεπαυρέσθαι* reposuit.

565 F Antrum illud, quo duxit Aridaeum genius, exhalabat *μαλακὴν καὶ πραεῖαν αὔραν ὀσμὰς ἀναφέρουσαν ἡδονῆς τε θαυμασίας καὶ κρᾶσιν, οἷαν ὁ οἶνος τοῖς μεθυσκομένοις, ἐμποιοῦσαν.*

Pro *κρᾶσιν* requiritur aliquid quod *gratum sensum* significet. Sed et de illo *τε* dubito.

566 C „Hoc" genius ait „est"

Νυκτὸς καὶ Σελήνης μαντεῖον κοινόν, οὐδαμοῦ τῆς γῆς περαῖνον οὐδ' ἔχον ἕδραν μίαν, ἀλλὰ πάντῃ πλανητόν.

Pro *περαῖνον* frater meus reposuit *παραμένον*. Haec est de illo emendationum genere una quae sine ullo verborum adiumento satis se ipsas commendant.

ib. „Hinc enim" sic pergit:

οἱ ὄνειροι μιγνύμενοι, ὡς ὁρᾷς, τῷ ἀπατηλῷ καὶ ποικίλῳ τὸ ἁπλοῦν καὶ ἀληθὲς παραλαμβάνοντες διασπείρουσι.

Non, ut opinor, somnia miscentur, sed spargunt per terras mixta vera falsaque. Lege ergo *μιγνύμενον* pro *μιγνύμενοι.*

567 A Cum se in fugam convertere volebat Aridaeus non iam placidum illum adspiciebat genium *ἀλλ' ὑφ' ἑτέρων φοβερῶν τὴν ὄψιν εἰς τὸ πρόσθεν ὠθούμενος ὡς ἀνάγκην οὖσαν οὕτω διελθεῖν, ἐθεᾶτο κτέ.*

De verbis notatis subdubito.

Spectabat ergo eorum qui, quoniam culpa eorum manifesta fuerat, iam in terris dederant poenas

τὴν σκιὰν οὐκέτ' εἶναι χαλεπῶς οὐδ' ὁμοίως τριβομένην, ἅτε δὴ περὶ τὸ ἄλογον καὶ παθητικὸν οὖσαν.

Haec quidem sensu cassa esse nemo negabit. Commemorat editor Madvigii coniecturam *οὐκέτι λίαν χαλεπῶς οὐδ' ὠμῶς* qua vix quidquam proficimus, praeclaram Reiskii emendationem

οὐκέτι χαλεπῶς οὐδ' ὁμοίως τριβομένην ἀ τ ε λ ῆ περὶ τὸ ἄλογον καὶ παθητικὸν ε ἰ κ ῇ π ο ν ο ῦ σ α ν.

qua totus locus persanatur, non commemorat. Qui natus est infelix ....! Egregium enim hoc: umbra eius qui iam vivus poenas dedit non magnopere cruciatur neque ut ceterae omnes: unica eius poena est quod frustra operam dat rebus nullum exitum habituris quae ad partem eius „irrationalem'' pertinent.

567 E Umbra in quam impetum faciebat ardens ira prognatus aliquis, qui illius culpa dederat poenas, fugere volebat sed non poterat:

ταχὺ γὰρ μετέθεον οἱ κολασταὶ π ρ ὸ ς τ ὴ ν Δ ί κ η ν, κ α ὶ ἐ ξ ἀ ρ χ ῆ ς ἤ π ε ι γ ο ν ὀλοφυρομένας τῷ προγιγνώσκειν τὴν τιμωρίαν.

Cum W. (qui alia in editione, alia in commentario proponit) legendum:

καὶ ἐξ ἀρχῆς ἀπῆγον πρὸς τὴν Δίκην.

Malim tamen simplex *ἦγον*, quamquam et *ἀπάγειν* verbum suum sibi locum in iure „criminali'' habet. Certe *non* legendum *ἐπῆγον*.

567 E *ἐνίαις δὲ καὶ πολλὰς ἅμα τῶν ἐκγόνων ἔλεγε* (sc. genius) *συνηρτῆσθαι, καθάπερ μελίττας ἢ νυκτερίδας ἀτέχνως ἐχομένας.*

Ante ultimum vocabulum R. inserit. *ἑαυτῶν*. Mihi et requiri et facilius excidere potuisse *ἀλλήλων* videtur.

568 A. Nero leniori multo afficitur supplicio quam pro ceteris maleficiis quod *τὸ βέλτιστον καὶ θεοφιλέστατον γένος ἠλευθέρωσε* [*τὴν Ἑλλάδα*].

Insulsum additamentum delendum esse iam demonstravi.

In sequentibus cum W. deletis verbis *κακῷ* et *διὰ φόβον* elegantem locutionem *ἐν παντὶ γενέσθαι* restituendam arbitror.

Cum eodem legendum est *ἀπὸ μηρίνθου σπασθέντα* pro *ὑπὸ σύριγγος* et *ἀναβλέψαι σχεδὸν ἐπ' αὐτοῦ τοῦ μνήματος* pro *ὑπ' αὐτοῦ.*

DE FATO.

Hunc librum qui primus Plutarcho obtrusit operam dedisse videtur ut quam firmissimis eum muniret sustentaculis: posuit enim inter librum *de Sera Numinis Vindicta* et librum *de Genio Socratis,* quorum ille summam philosophi, cui theologia philosophiae finis, continet *sapientiam,* hic, id quod mox videbimus, prae ceteris omnibus Plutarchi libris quantus ille fuerit scribendi componendique *artifex* ostendit. Sed nihil impostori dolus hic profuit; nemo enim, quantum scio, hasce quisquilias Plutarcho vindicat. Quodsi quis quaerat rarus ille inter viros doctos consensus unde natus sit, in promptu est respondere hiatus in causa esse: hos enim homuncio iste non *vitasse* sed de industria quaesivisse videtur. Vide mihi, ut ex innumeris exemplis unum afferam, hiulca haec simulque ineptissima (571 D): *ἐπὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ ὁρμῇ ὑποτέτακται, ὃ δὴ ἐφ' ἡμῖν κτἑ.*

Quodsi revera ita se res habet, mire nunc „externa" et „interna" argumenta inter se concinunt. Quis enim qui *legere* hunc librum *conatus* est a Plutarcho scriptum credere potest? Cum anti-Plutarcho quodam potius nobis res esse videtur. Talem se iam in ipso prodit initio:

τὰ περὶ τῆς εἱμαρμένης δοκοῦνθ' ἡμῖν, ὡς οἷόν τε σαφῶς καὶ συντόμως πειράσομαι ἐπιστεῖλαί σοι, Φίλτατε Πείσων, ἐπειδὴ σὺ τοῦτ' ἠξίωσας οὐκ ἀγνοῶν ἣν ἔχω πρὸς τὸ γράφειν εὐλάβειαν.

Imitari se *simulat* ludimagister Plutarchum, cum inter Romanos nobiles potentesque sibi fetus sui patronum quaerit, sed simul perstringere videtur illam *συγγραμμάτων ἀπειρίαν* propter quam postea Plutarchum Favorinumque adeo est admiratus Suidas.

Et ludimagistri vocem stridulam usque audimus: „Antea exposui; nunc docebo; haec in universum dicta sunto; singula mox accuratius tractabo", haec quaque pagina ad nauseam usque

recurrunt. Ergo scriptorem notum habemus, notiorem etiam quam cupere quisquam potest, sed quid tandem sibi velit id latet latebitque in densis tenebris. Nam legere *conari* utcunque ista potes, revera *legere* nemo poterit unquam. Quis enim se extricet ex subtilibus istis divisionibus, quae innumerae nobis proponuntur, quis intelligere quid intersit inter ἐν εἱμαρμένῃ et καθ' εἱμαρμένην potest atque adeo cupit? Omnino haud facile detrimentum capiet qui ulli rei investigandae dat operam, hic tamen multo est utilius librum quam primum e manibus abiicere quam aliquamdiu ei immorari. Neque immorari opus. Mox enim apparet quid magistellus hic sibi demonstrandum sumat neque demonstrare possit. Huc enim fere redit eius disputatio — si disputatio est dicenda ista verborum rudis indigestaque moles —: Fato non tolli Providentiam neque liberum hominis arbitrium. Sed neque persuadebit cuiquam, neque, si tamen cognitum hunc habeo scriptorem, persuadere conatur: satis ei est demonstrare quam sit doctus acutusque quamque versatus in Platone, sed praesertim in eius Timaeo. Huncine unquam Plutarchum fuisse quisquam opinabitur? Veram doctrinam magni facit Plutarchus, sed prae virtute illam quoque spernit, certe nullum eius esse pretium nisi ad mores emendandos conferat aliquid semper et ubique habet persuasissimum. Horum nihil iste Orbilius sentit, sed quid eum sensisse dicamus?

Ad singulos locos neque ego annotabo quidquam neque annotavit Naberus. Aut ne ille quidem per istum labyrinthum ullam invenit semitam, aut tempus perdere noluit hoc Augiae stabulum penicillo purgans. Certe de me utrumque statuat lector.

DE GENIO SOCRATIS.

Si quis unquam ipsum Plutarchum rogavit ex omnibus libris suis quo maxime delectaretur, hunc eum protulisse arbitror. Quod cur dicam et qua mente paulo accuratius exponere lubet.

Nemo mortalium tam gravis est homo quin suam sibi gloriolam appetat. Qui oratione venusta et lepida narratione legentes

detinere studet, tamen non recusabit quominus simul satis doctus iis videatur; neque quisquam philosophus tam difficiles quaestiones tanta cura tractat quin et propter sermonis elegantiam laudari cupiat. Toto caelo, ut aiunt, inter se distant philosophus et sophista, qui Plutarchi aetate ita nominabantur — vix tantum inter Socratem Gorgiamque interfuit — et tamen inter Plutarchi libros unus et alter est qui et a Luciano scribi potuerit. Ut uno exemplo contentus sim: colloquium illud Ulyssis cum Gryllo, quod inscribitur *bruta ratione uti*, si sine scriptoris nomine ad nos pervenisset, quis a Samosatensi illo, qui nobis perfectam sophistae praebet imaginem, scriptam esse negare auderet? Possum rem illustrare exemplis, quae nostra tulit aetas. Haud unum vidimus egregium mentium medicum piique gregis pastorem, qui sanctissimo suo munere omisso ad acta diurna componenda redigendaque transiret. Narratiuncularum fictarum genus illud, quo prae ceteris inclaruit immortalis ille Mecklenburgensis, a nostratibus quoque minime absurde est tractatum, sed a nullis felicius quam qui et contionibus sacris habendis moribusque emendandis optime de genere humano meruerunt. Quin et ceteri omnes interdum ita scribunt narrantque ut eos prae monendi studio illud delectandi parum curasse dixeris, aut, nam hoc quoque saepe fieri videmus, utrumque tam venusto inter se misceant temperamento ut vere divini nascatur aliquid. Quis unquam quidquam vidit quod mentem legentis simul detineret suavius et altius attoleret quam Reuteri narratio de fidi pastoris obitu, quem non a se demisit Cremerus nostras confirmatum animo laetissimaeque spei plenum?

Nunc ad nostrum veniamus librum. De eius compositione sic disputat is, quo nemo melius de Plutarcho meritus est, Richardum Volkmannum dico, virum prudentissimum doctissimumque et morum suavitate ipsi non disparem Plutarcho (ipsa eius afferam verba): „immerhin was es ein merkwürdiger und *höchst origineller* Einfall Plutarchs die Form des Platonischen Dialogs auf eine Art von historischer Novelle zu übertragen, und es erinnert uns dies wiederum an die engeren Beziehungen in denen Plutarch zu allerhand Bestrebungen der Sophistik steht."

Quam vellem ultima de istis „engeren Beziehungen zu allerhand Bestrebungen der Sophistik" omisisset praestantissi-

mus vir, quem vix laudare, nedum reprehendere, ne nimium mihi arrogare videar, audeo! Quid enim attinet scriptori, Plutarcho praesertim, suum sibi adsignare loculum in quo iaceat conditus abditusque, neque unquam inde promendus? Et nonne sensit Volkmannus se docto isto de Sophistica additamento plane tollere et redarguere id quod dixit in proxime praecedentibus? Quid *proprium* et *peculiare* scriptori relinquitur, quid *lepide invenisse* dici potest, si certam aliquam scribendi rationem est secutus certoque aliquo usus artificio, non quod ipsi videretur, sed quia fatalis quaedam eum cogebat lex quae eum in illa ponebat parte libri de literarum historia, qua de eo agitur tempore quo sic scribebant homines quia aliter scribere non poterant?

Ne hoc quidem Volkmanno concedere possum quod de conditione qua liber ad nos pervenerit dicit:

„leider ist die interessante Schrift in einem sehr lückenhaften und äusserst verderbtem Text uns überliefert".

Nam quicunque paulo accuratius textum illum aspexerit minime de eo desperabit. Quod non ita velim acceptum quasi facile semper sit vocabula, quae interciderunt, ita restituere ut nullus dubitationi relinquatur locus. Immo vero nunquam nusquamque facile illud est. Ita ut locum emendent Bentleiis quoque Cobetisque raro contingit, divino quodam afflatis instinctu. Tales emendationes non *quaeruntur*, nemo eas *certa ratione* invenire studet; certa ratione qui ingeniosus esse vult, quique sibi ut ingeniosus sit imperat, is sibi dari postulat quod nusquam sit in rerum natura.

Sed sentio me videri Volkmannum tamquam adversarium quendam impugnare; omnino *οὐχ οὕτω τετύφωμαι*, nunc vero quod ad rem, de qua agitur, pertinet libenter cum eo facio, plaudoque ex animi sententia verbis illis: „interessante Schrift" et „merkwürdiger und höchst origineller Einfall".

Ipse tamen meam de externa libri specie sententiam aliter enuntiaverim. Redeo enim ad id quod in initio huiusce disputationis dicebam de omnibus scriptoribus, etiam gravissimis, gloriolam aliquam appetentibus. Cuiusnam ergo gloriolae cupidus Plutarchus fuit? Tribus verbis dici potest. Suae aetatis Plato esse cupit. In adornandis exornandisque praecipuis libris suis

Platonem imitatur atque adeo Platonem superare studet. Quod non tantum de mythis illis dico quos et hic et in libro *de Sera Numinis Vindicta* doctis acutisque adiicit disputationibus, quibusque tantum tribuit ut in iis exordiendis non vereatur Platonica uti formula: „vobis ficta videbitur fabella, mihi rei videtur demonstratio", sed etiam, atque praecipue, de scena quam disputantibus instruit. Quae scenae Platonicae admodum similis esse solet, sed saepe multo ornatior pluribusque distincta coloribus. In *Septem Sapientium Convivium* competit illud, in *Amatorium* aliosque libros sed praesertim in hunc nostrum. Quam multa variaque hic mentibus atque adeo oculis legentium exhibentur; quam strenue dat operam scriptor ut semper novo aliquo spectaculo eorum occurrat satietati!

Ipsum argumentum quam apte est inventum! Etiam hac aetate daemonium Socratis quod fuerit ab hominibus neque plane illiteratis et rerum obscuriorum amantibus non minus studiose quaeritur quam *Casparus Hauserus* quis fuerit, quis ille miser latuerit sub *ferrea persona.* Quodsi quis paulo certiora de iis tradere se posse contendit, statim accurrunt curiosi et tantum non e manibus eius rapiunt chartam. Quanto studio descriptum, emptum, lectitatum censeamus librum quem de *Socratis daemonio* in lucem ediderat praeclarus ille philosophus Chaeronensis! Qui de eo disputantem inducit, atque in fabula philosophica primas agentem partes eum quo nemo melius ipsam rem notam habuisse censendus esset, Simmiam dilectissimum ipsius Socratis discipulum.

Atque de re illa gravissima, animisque hominum commovendis aptissima Simmias disputat Thebis nimirum, haec enim eius patria est. Sed quando disputat? Quo tempore ibi gloriosum illud parabatur facinus, quo notius nullum iis qui omnem quidem amant historiam, sed eam praesertim quae tragoediae similis sit suasque sibi habeat *περιπετείας* atque *καταστροφήν*, quae audientium animos diu perturbatos vexatosque tandem aliquando placet recreetque. Apud Simmiam enim morbo laborantem, qui lecto quidem eum teneat affixum sed ingenii acumen hebetare non possit, desident disputantque fortissimi viri qui iamiam patriam crudeli Spartanorum sunt liberaturi dominatione, hostemque depulsuri ex arce quam fraude et proditione occupavit.

Neque de una tantummodo disputant re, ipsum quoque argumentum mirum in modum variatur. De Alcmenes sepulcro narratur effosso inscriptioneque ibi inventa, deque oraculo Deliis reddito, quod non minus docte et ingeniose sit interpretatus Plato quam illam Chonuphis Aegyptius. Iusserat Apollo Delios cubum construere duplum: „hoc difficillimo" dixerat Plato „omnium problematum mathematicorum proponendo sic deus non Delios solos sed omnes mortales erat allocutus: summae omnium date operam disciplinae, mathematicae"; inscriptio Haliarti inventa in Alcmenes sepulcro praecipiebat civibus ut Musis rem facerent divinam: „iubentur hoc praecepto" sic Chonuphis docuerat „omnes Graeci pacem inter se servare et pacis colere artes".

Et sunt alia in quae identidem excurrit disputatio de argumento primario. Sed multo plura multoque diversa magis sunt ornamenta quibus illa disputatio illustratur. Lubenter quidem Xenophontem audimus de Pelopida eiusque sociis Thebas liberantibus narrantem: brevis est narratio sed quominus exilis sit et arida res ipsa, plena vicissitudinum, obstat. Plutarchus vero poetam hic se praebet tragicum, qui Thebanos heroas vivos spirantesque in scenam producat. Quam multa ibi fiunt quibus audientium et spectantium animi vehementer perturbentur. Mitto nunc locum illum vulgo notum de Archia eiusque dicto „seria cras", aliaque minus insignia. Sed quam lepide nobis ante oculos ponitur Hipposthenidas vir ille parum strenuus, qui suis tergiversationibus rem totam esset perditurus, nisi dii benevoli tamquam instrumento usi essent Chlidonis cursoris uxore, qui de mandato a se non peracto tam vitae plena oratione conscios coniurationis facit certiores ut nostris auribus hominem narrantem audire nobis videamur.

Et possum sic multa narrandi artificia protrahere et laudare, nisi longus fieri vererer. Sed in uno mihi ornamento paulo diutius est subsistendum. Hoc enim praecipuum libri decus quod facultatem nobis praebet, licet in transitu illud fiat, melius cognoscendi praeclari illius viri, quo tamquam deo semper, idque iure, gloriati sunt non Boeoti soli sed quotquot fuerunt in orbe terrarum Graeci, Epaminondum dico, cuius tota domus legentibus proponitur ante oculos. Nam dum consilium illud

Thebas liberandi paratur (vix credibile est quam multae res cognitu dignissimae iucundissimaeque in unum hunc librum paulo plus sexaginta paginarum Teubnerianarum non constipentur sed apte et eleganter contrahantur ita ut sponte videantur nasci altera ex altera), dum ergo illud consilium paratur, Thebas advenit hospes ex Italia, multas magnasque secum ferens divitias, et adessentne Thebis inquisivit Polymnidis filii. Neque illos solos, Caphisiam Epaminondamque, invenit domi sed et patrem ipsum: nunc quatuor illi se conferunt ad libertatis assertores apud Simmiam disputantes. Hospitem illum quid Thebas adduxit? Ante multos annos Lysis, sapiens ille Pythagoreus, ita ut omnes illius sectae philosophi, ex Italia aufugit; Thebis eum esse cognoverunt amici eius, iamque in eo erant ut domum eum reducerent, cum certiores fiunt eum ibi obiisse post placidam quietem in summa omnium rerum abundantia peractam. Ergo nunc ad corpus defuncti petendum legatum illum miserunt cum magna pecunia ad remunerandos hospites qui venerandum magistrum tanta coluissent pietate. Polymnis cum filiis illi sunt. Iam quod ad corpus magni illius Pythagorei pertinet, illud in Italiam transferri haudquaquam opus esse suis vidit oculis hospes. Noctem enim in sepulcro degit, precibus cerimoniisque deditus, cognovitque rite conditum senem philosophum nihilque ei deesse earum rerum quas Pythagoreorum requirat religio. Restat ergo ut munera illa recte disponantur. Neque de ea re diu quaerendum esse mox intelligit hospes: Polymnis enim exulem Lysidem ad se recepit non benigno solum sed etiam honorificentissimo hospitio: suos enim ei dedit educandos filios, maxima semper pietate philosophum est prosecutus et, quod gravissimum est, tam bene ipse ab eo omnem didicit sapientiam Pythagoricam, ut, cum placida morte omnium rerum satur exspirasset animam Lysis, in eo componendo etiam arcana Pythagorae praecepta posset observare. Sed nunc res obstat quam minime exspectaverat hospes. Non solum ipse senex Polymnis filiusque eius Epaminondas, omnium quotquot sunt virorum gravissimus, sed etiam minor natu frater eius Caphisias, licet ille luxum opulentiamque non adeo aversari antea visus sit, quidquam divitiarum sibi oblatarum accipere nolunt: in pristina sua dilectaque paupertate vivere malunt pergere.

Quae omnia paulo accuratius sum persecutus ut quid mihi hic in mentem venisset dicere possem. Epaminondae gentem tamquam amicus describit Plutarchus qui eam singulari quadam veneretur pietate. De sua gente eum cogitasse opinor cum de Polymnide eiusque filiis narrat, de semet ipso, de fratre et patre suo. Nam haud dubie, ita ut omnes Graeci, Plutarchus suspicit Thebanum illum, qui nescio an omnium totius Graeciae virorum fortium non fortissimus solum sed et integerrimus fuerit, eiusque hic vivam legentibus ante oculos ponit imaginem ut sic quoque eorum refutet contumelias qui et ex Herodoto et aliunde conquirant argumenta ad demonstrandum semper Thebanos ita se gessisse ut contemptione ceterorum Graecorum digni essent. Sed prae ceteris laudat probatque eius prudentiam: coniurationis particeps esse Epaminondas non vult: sunt enim inter eos haud pauci nimis vehementes, qui non contenti eorum poena, qui crudeliter vexarunt miseros cives, totam urbem sint sanguine impleturi. Sed semel ad eum, quem et ipse sperat, finem coniuratione perducta, cum, id quod non fieri non potest, ad apertum cum Spartanis erit perventum bellum, lubenter in se patriae militumque qui pro ea sunt pugnaturi recipiet curam.

Quid quod et in re philosophica sibi quodammodo magistrum sumit Epaminondam Plutarchus. Academicus enim hic fit Epaminondas qui de rebus obscuris certi quidquam pronuntiare vereatur. Simmias postquam quid sibi de daemonio Socratis videatur exposuit „nonne et hospitem" ait „Italum quid censeat rogemus? Pythagoreo enim hanc rem cordi esse consentaneum est". Atque ille: „immo Epaminondam rogetis potius qui et ipse nostrorum unus". Hic senex Polymnis risit et „filium meum ignoratis" inquit „nec scitis quam sit ille silentii amans, in loquendo modicus sed insatiabilis in discendo. Quapropter et Spintharus Tarentinus, qui aliquamdiu hic nobiscum vixit, dicere solet se nunquam vidisse quemquam qui plus sciret et minus loqueretur."

Simmias, sapiens ille dilectissimusque Socratis discipulus, in disputatione de Socratis genio quodammodo suo iure primas partes agit, certe omnium longissima utitur oratione. Quae ne, quod ad externam attinet speciem, Platonicae esset impar disputationi, narrationem ei addidit de Timarcho qui, ut ipsam

cognosceret veritatem, in antrum descenderit Trophonii atque inde redierit plane de vita futura edoctus. Admodum similis haec narrationi de Thespesio in libro *De Sera Numinis Vindicta*, et *πάνυ Πλατωνικῶς* ei praemittuntur verba illa (589 F): *οὐκ οἶδα μὴ μύθοις ὁμοιότερα ἢ λόγοις ὄντα σιωπᾶν ἄμεινον*, quae ei dubitatio statim ab amicis audiendi cupidissimis adimitur.

Primas partes in disputando agere dicebam Simmiam. Certe nemo accuratius doctiusque illo disputat. Sed non eum ipsam quaestionem ita solvisse opinor ut ipsi quoque Plutarcho plane satisfaceret. Quid enim rei est? Duae praesertim inter se opponuntur opiniones, Simmiae altera, quae et mytho de Timarcho illustratur, altera Theanoris Pythagorici: secundum illam Socratis genius nihil aliud est quam vox quaedam ex ipso homine profecta et optima quaeque monens (atque adeo, ut eo utar loquendi genere „melior ego" quidam); Theanor contra docet cum vero, non ficto, genio hic nobis rem esse, qui revera hominem ducat sustentetque. Quid autem Plutarchus? Utramque defendit sententiam et neque solidiorem Pythagorae reiicit sententiam neque a subtiliore Simmiae est alienus. Nihil certi statuere audet, quia et daemonium Socratis unum ei esse videtur e mysteriis illis sanctissimis, quae explicare atque suo arbitratu interpretari velle nefas sit. Et omnino esse in rerum natura daemones quosdam credit Plutarchus et saepe lubenter credit. Praesto enim ei sunt ad illam quaestionem solvendam, qua nulla magis torquere et sollicitare homines solet: *de mali origine*. „A Deone profectum malum?" anxii quaerere solent homines, atque „immo vero" Plutarchus respondet „mali illud creaverunt daemones, qui saepe etiam bonorum virtutem concutiunt labefactantque" (cf. Vita Dionis c. 2).

Sed redeo ad externam libri nostri speciem. Disputationem de Socratis genio mirum in modum a Plutarcho esse exornatam, qui non solum illius causa fabulam composuerit in qua res animis legentium commovendis quam maxime idoneae peragerentur sed etiam cum primaria illa disputatione alias elegantissime coniunxerit, neque illas exigui momenti, hoc satis iam ei quoque notum est qui aut ipsum librum obiter tantummodo percucurrerit aut me de eo audiverit referentem. Neque tamen iis omnibus quae hic enumeravimus contentus Plutarchus, col-

loquium illud varium rerumque plenum, quod habitum est Thebis, inclusit in aliud colloquium quod Athenis habere finguntur Epaminondae frater Caphisias et Archidamus rex Spartanorum. Nonne hic in claram prodit lucem studium illud gloriolae, a quo sum exorsus, non philosophicae sed literariae? Nonne strenue operam dantem Plutarchum deprehendimus ut narrandi exponendique atque adeo pingendi artificio ipsum superet Platonem?

Nam quae aliis fortasse magni momenti videbitur quaestio, illam ego vix dignam arbitror quae accuratius pertrectetur. Erunt enim qui rogent qui factum sit ut in narratione de Thebis liberatis adeo recedat Plutarchus ab illo auctore, quem magni facere soleat quique illo vixerit tempore, Xenophontem dico. Iamque praesagit animus „impense doctas" (ut cum Gellio loquar) disputationes quarum hoc est consilium ut cum Xenophonte Plutarchus „reducatur" (sic enim loqui solent viri docti, quorum summa nunc auctoritas) ad communem quendam auctorem cuius ne una quidem ad nos pervenerit pagina. Qui si semel e Photio, aliove fonte lutulento erit erutus, continere se fossores non poterint quin crudeli illi indulgeant voluptati superstitis scriptoris ita discerpendi dilaniandique ut pro vitae plena narratione vilem habeamus et exanimem materiem. Nam hunc eventum tota illa habebit disquisitio ut quidquid Plutarchus habet decoris et ornamenti in illum conferatur tenebrionem cuius nomen adversa quaedam nobis servavit fortuna, Plutarcho vero relinquatur nihil praeter servilis compilatoris infamiam. At mihi omnes illas quae inter Xenophontem Plutarchumque sunt discrepantias consideranti (ad *numeros* praesertim eae pertinent: apud Xenophontem de *septem* legimus exulibus Thebanis, apud Plutarchum de *duodecim*; de triginta loquitur coniuratis Plutarchus, nullum eorum numerum profert Xenophon) solum hoc videtur verisimile atque hoc unum statuere posse opinor eos qui non iniquissimi de Plutarcho esse velint iudices, quae postremo Xenophon de Archiae eiusque in illa tyrannide collegarum dicat morte: „sic nonnulli illos viros occidisse tradunt, alii vero narrant Melonem sociosque eius tamquam commissatores ad convivium accessisse et polemarchos necasse", ea sic in suum usum convertisse Plutarchum ut et ipsos illos numeros

et praeterea multa alia libere fingeret deque Thebis liberatis omne insereret narratiuncularum genus, quae tunc in ore hominum versabantur, et fortasse etiam legebantur in libellis de moribus, virtutibus, egregiis viris, quos terere solebant pueri prima τῆς ἠθικῆς discentes elementa.

Denique a summo viro Volkmanno novicium illud „novellae" sumo vocabulum atque librum *de genio Socratis* novellam esse philosophicam declaro egregie scriptam et, si quis unquam quidquam *invenisse* dici potest, ab ipso Plutarcho inventam.

Iam de singulis locis brevissimus ero. Nam lacunae, quas admodum multas nobis codices praebent, neque magnopere legentem morantur (nam semper per transennam quid Plutarchus voluerit videmus) neque certa possunt suppleri ratione. De aliis locis corruptis pauca habeo quae mihi in lucem protrohenda videantur.

575 C Tabulas pictas alii obiter contemplari, alii accurate examinare malunt; in historiis legendis alii ad finem properant alii singulas res gestas earumque causas cognoscere cupiunt: τῷ μὲν τοῦ τέλους πολλὰ κοινὰ πρὸς τὴν τύχην ἔχοντος, τὸν δ' ἐν ταῖς αἰτίαις καὶ τοῖς ἐπὶ μέρους ἀγῶνας ἀρετῆς πρὸς τὰ συντυγχάνοντα καὶ τόλμας ἔμφρονας παρὰ τὰ δεινὰ καθορῶντα καιρῷ καὶ πάθει μεμιγμένου λογισμοῦ.

Cetera utcunque intelligo licet structura admodum sit impedita; e sententia enim principali petenda sunt verba unde pendeant dativus τῷ et accusativus τόν in sententia participiali. Sed notata mihi ipsa nocte videntur obscuriora, neque, si ullum sensum inde possem extundere, cur ob eam causam lector iste ad finem properet intelligerem. An Plutarchus fere scripsit: τοῦ τέλους πολλὰ καινὰ διὰ τὴν τύχην ἔχοντος „exitus rerum nova multa affert intercedente fortuna"?

575 E „Quod μισόλογοι εἶναι Boeoti dicuntur" Caphisias ait „est ὄνειδος ἤδη μαραινόμενον παρὰ Σωκράτη τὸν ὑμέτερον.

Neque de praepositione παρά certus sum, neque quis ille sit Socrates scio. Alloquitur enim Caphisias Archidamum *Spartanum*.

Additque idem: *ἡμεῖς δὲ παρὰ Λῦσιν τὸν ἱερὸν σπουδάζοντες οὕτω διεφάνημεν.*

Sic editur e C. F. Hermanni coniectura pro *παρὰ δυσὶ τῶν ἱερῶν*, neque unquam quidquam vidi quod maiorem haberet „probabilitatem diplomaticam”. Utinam accederet ut sanum sensum praeberet, nam nunc ne insanum quidem extundere possum. An Hermannus locum quem citavi sic acceptum vult: „nos disputationum inimici visi sumus quia Lysim Pythagoreum aemulamur”? Quid ergo praepositio *παρά* cum acc. iam *non* poterit significare?

576 B A Caphisia petit Archidamus ut narret *τὴν κάθοδον αὐτὴν τῶν Φίλων καὶ τὴν ἅλωσιν τῶν τυράννων.*

Interdum audacioribus opus esse remediis et hic locus documento est. Quis enim pro absurdissimo isto *ἅλωσιν* cum Schaefero *αἵρεσιν* reponere dubitet?

576 C „Veniebat ad nos apud Simmiam desidentes”, sic Caphisias narrat, nuntius:

ἐδήλου δὲ τῶν Φυγάδων ὄντας δώδεκα τοὺς νεωτάτους μετὰ κυνῶν περὶ Κιθαιρῶνα θηρεῦσαι ὡς πρὸς ἑσπέραν ἀΦιξομένους.

Immo *θηρεύειν*, nam nunc nondum vesperascit (vide proxime praecedentia) ergo nunc cum maxime venantur iuvenes illi aut venari se simulant.

576 E Excepturum se illos iuvenes Charon est pollicitus: hunc ergo Theocritus vates vehementer laudat *προερχόμενον.*

Recte vidit edior hic *προσερχόμενον* requiri: vix hoc de Charonis promisso audivit et videt eum accedentem.

576 E „Quam praeclarus vir” exclamat „Charon ille qui tantum periculum adierit”

Φύσει πρὸς τὸ καλὸν ὑπὸ τῶν νόμων ἀγόμενος.

Rectissime Holwerda ante *ὑπό* inseruit *οὐχ*, nam privatus est Charon neque ulla eum lex iubet patriae in se recipere curam.

577 A „De coniuratione loquebar” ait Caphisias „cum Galaxidorus ipsos tyrannos accedentes videns *διέκρουεν*”.

Sic edidit B. pro tradito διακούων quod neque iustam structuram neque aptum sensum praebet. Sed nonne ἀνέκρουεν „inhibebat me" est legendum?

577 D „Quid hoc sibi vult" anxii inter se rogant coniurati „quod Theocritus vates, qui tamen nostri est consilii particeps, tam diu cum tyrannis colloquitur?"

καὶ ὁ Φυλλίδας „οὐ σαφῶς" εἶπεν „οὐδ' ὡς ἐπιστάμενος (λέγω)· ἤκουον δὲ σημεῖα καὶ μαντεύματα δυσχερῆ καὶ χαλεπὰ προτεθεσπίσθαι τῇ Σπάρτῃ".

Sic haec distinguenda et supplenda videntur. Certe recipienda Emperii emendatio, praeclara, ut assolet, προτεθεσπίσθαι pro tradito προστίθεσθαι.

Ad fores Simmiae cum venerunt. obviam iis fit Phidolaus et „μικρὸν" εἶπεν „ὑμᾶς ἐνταῦθα περιμεῖναι (κελεύει) Σιμμίας".

Lacunam supplevi.

578 B Narrat Theocritus tyrannos investigaturos esse Dirces sepulcrum additque

. . . . καλῶς ἐξευρήσειν αὐτοὺς νομίζω.

In praecedentibus lacuna est quae quomodo fere explenda sit sponte apparet. Sed pro καλῶς contrarium requiri apparet e sequentibus: „qui lege hipparchorum munere functi sunt omnes exulant praeter duos, quos interrogare tyranni non audebunt. Hipparchi, quos ipsi fecerunt, nihil norunt, nam iustis tantummodo hipparchis et qui rite eo functi sunt munere notum illud mysterium est."

579 C Delii iussi duplam aram facere octuplam struxerunt: δι' ἀπειρίαν ἀναλογίας ἡ τῷ μήκει διπλάσιον παρέχεται.

Sensu cassa haec sic in integrum restituit Holwerda: ᾗ τὸ μήκει διπλάσιον ὀκταπλάσιον παρέχεται κατὰ τὸ στερεόν.

Nonne lenissima emendatione idem obtinebimus ἣν τ ὸ μήκει διπλάσιον παρέχεται legentes? Ignorabant homines quantam id quod longitudine duplum esset efficeret *analogiam* (i. e. „tertiam potestatem").

ib. Intelligebat Plato summi mathematici ἔργον εἶναι δ υ ε ῖ ν μ έ σ ω ν ἀ ν ά λ ο γ ο ν λ ῆ ψ ι ν. Verba notata significare debent (ut

hodierna ratione rem significem): „invenire lineam cuius longitudo sit $\sqrt[3]{2}$". Sed quomodo id inde extraham non video.

580 A Ridicula est philosophia quae confugit ad oracula et εἰς θεοὺς ἐπαναχωρεῖ τῆς τῶν πράξεων ἀρχῆς.

Audaciori coniectura B. restituit id quod requiritur: εἰς θεοὺς ἐπαναφέρει τὰς τῶν πράξεων ἀρχάς.

Adduntur haec: ὡς τοῦ λόγου καταφρονοῦσα καὶ τὴν ἀπόδειξιν ᾗ δοκεῖ διαφέρειν ἀτιμάσασα.

Ultima sic vertenda: „spreta rerum demonstratione qua excellere videtur (philosophia)".

580 C „Philosophiam" ait Galaxidorus „a Pythagora et Empedocle oppletam insaniis Socrates εἴθισεν ὥσπερ πρὸς τὰ πράγματα πεπνῦσθαι".

Sanavit haec W. legendo εἴθισεν αὖ περὶ τὰ πράγματα πεπνῦσθαι. Non utendum Graeci editoris remedio εἴθισεν ὥσπερ ἔρωτι πρὸς τὰ πράγματα πεπνῦσθαι.

Sed recte idem in sequentibus οἷον Ὅμηρος Ὀδυσσεῖ πεποίηκε τὴν Ἀθῆναν „ἐν πάντεσσι πόνοισι παρισταμένην" τοιαύτην κτέ. pro οἷον reposuit οἵαν.

581 C Socrates in paupertate perseveravit σὺν ἡδονῇ καὶ χάριτι τῶν διδόντων ἔχειν δυνάμενος.

Notabili brevitate hic ἔχειν pro „divitem esse" dictum est.

581 E „Pyrilampes apud Delium ab hostibus captus, cum audisset Socratem cum Alcibiade salvos evasisse πολλὰ μὲν τοῦτον ἀνεκαλέσατο, πολλὰ δὲ φίλους τινας, qui ab hostibus erant occisi".

Graeca perversissime sic interpres vertit: „multis semet ipsum incusavit, multis amicos suos quosdam". Veram eorum vim egregie illustrat locus Ciceronis in Caeliana § 59 (in mortis articulo Metellus) „crebro Catulum, saepe me, saepissime rempublicam nominabat".

581 F Gubernatori saepe procellam praedicunt et alia multa et πελάγους φθόγγος.

Avis nomine opus hic; editor πελαγίας proposuit.

582 B Saepe ignoramus vaticinationis vim ᾗ συμβάλλει πρὸς τὸ μέλλον.

Ecquid ᾗ συμβάλλεται τὸ μέλλον legendum?

582 C. Miratur Polymnis quod Socrates sternutationem, vocem τραγικῶς πάνυ τὸ δαιμόνιον ὠνόμαζεν.

Et Graeco editori Stegmannus recte articulum delevisse videtur. Cur ergo ipse retinet in textu?

ib. Et alia egregie callebat et κρατεῖν ὀνομάτων.

Rara admodum locutio, cuius hic sensus: „recte et accurate vocabulis uti".

582 D ἑωρῶμεν ἡγούμενον μὲν τὸν Ἐπαμεινώνδαν καὶ συνεστώτων Φίλων Ἰσμηνόδωρον καὶ Βακχυλίδαν καὶ Μέλισσον.

Quid attinet sensu cassa ista legentibus exhibere et non cum Reiskio καὶ σὺν αὐτῷ τῶν Φίλων corrigere?

583 A Cylonei igne circumdatis Pythagoreorum aedibus necarunt omnes πλὴν Φιλολάου καὶ Λύσιδος νέων ὄντων ἔτι ῥώμῃ καὶ κουφότητι διωσαμένων τὸ πῦρ.

Recte post ἔτι Reiskius καί inseruit. „Nihil opus" ait editor Graecus. Equidem nihil opus censeo pro Graecis venditare quae quivis sermo respuat.

583 C Theanor Pythagoreus sic Polymnidem filiosque eius laudat:

Λῦσις δὲ καὶ κεῖται καλῶς ὑφ᾽ ὑμῶν, καὶ τάφου καλοῦ κρείττων αὐτῷ χάρις ἐκτινομένη Φίλοις ὑπὸ Φίλων καὶ οἰκείων.

Pro καὶ κεῖται Cobetus coniecit κεκήδευται. Equidem duplex illud καί retinendum censeo sed pertinacius etiam defendo ἠθικώτατον illud κεῖται καλῶς. Sequentia sic vertit interpres: „pro quibus vobis gratiam omnino ab amicis et familiaribus eius persolvi par est". Falsissime, oportebat enim sic: „et omni sepulcro pluris ei est ab amicis suis et familiaribus gratiam amicis persolvi". Venit enim cum donis quibus Polymnidem filiosque remuneraretur.

584 A „Si arma nobis afferres" his verbis dona illa respuit Polymnis „tamquam bellum gerentibus, et in summa nos vivere pace cognosceres, non illa nobis relinqueres. Nunc vero cum opibus venis socius futurus in bello quod cum paupertate nos gerere suspicaris; at cum illa vivimus in pace:

οὔκουν δεῖ [χρημάτων οὐδ'] ὅπλων ἐπ' αὐτὴν μηδὲν ἀνιῶσαν.

Quisquamne adeo hiatus in textu Plutarchi reformidabit ut inclusa defendere possit? Sunt enim turpissimum pulcherrimi loci dehonestamentum.

584 B Olim parum urbane Epaminondas Iasoni Thessalo respondit dona offerenti. Nunc ab eo hoc petit hospes:

πραότερον .... ἡμῖν ἢ τῷ Θετταλῷ πρὸς τὰς ἀποκρίσεις ἐνδίδου σαυτὸν ὑπὲρ τούτων.

Primum vocabulum praestantissima est Wyttenbachii emendatio pro *πρότερον*. Sed nunc *πραότερον .... ἐνδίδου* molestam mihi quidem praebere videtur tautologiam. Quapropter simplex praefero verbum *δίδου*.

584 E „Aliae cupiditates" sic ratiocinatur Epaminondas „sunt innatae (*ἔμφυτοι*), aliae adventiciae (*ἐπήλυδες*). Illis resistere assuescamus quo melius cum his bellum gerere possimus". Nunc miro utitur vocabulo ad has significandas. Sic enim loquitur: „oportet nos omnes vires, quas exercitatione assecuti sumus *ταῖς ἐπεισοδίοις καὶ περιτταῖς προσαγαγόντας ἐπιθυμίαις*, expellere eas."

Nonne hic quoque *ἐπήλυσιν* legendum?

584 F „Atqui" sic pergit „ratio saepe famem sitimque reprimit. Quanto facilius est:"

φιλοπλουτίαν κολοῦσαι καὶ φιλοδοξίαν ἀποχαῖς ὧν ἐφίενται καὶ ἀνείρξεσιν εἰς τέλος καταλυθείσας.

Non concoquo istud *praeteriti* temporis participium et *καταλυθησομένας* legendum suspicor. E compendio facile nasci corruptela potuit.

585 A „Interest aliquid inter ipsam exercitationem et id propter quod ea fit". Illius hoc dat exemplum:

ἄσκησιν καὶ μελέτην ἐγκρατείας ἧπερ ἔτι νῦν ἐφείλκυσθε πάντες ὑμεῖς (Pythagorei) ὅταν γυμναζόμενοι καὶ κινήσαντες ὥσπερ ζῷα τὰς ὀρέξεις

„opiparas apponi epulas iubeatis, deinde illas servis relinquatis, ipsi quotidianis utamini cibis". Hic ego γυμναζόμενοι καί tamquam pulchrae imaginis ineptum interpretamentum deleo. Utique *praeteriti* temporis participio (γυμνασάμενοι) opus foret. In praecedentibus recte vidit editor ἐφείλκυσθε ferri non posse, sed quod coniicit ἧσπερ .... ἐφικνεῖσθε parum placet. Requiritur verbum quo non *effectus* aliquis significetur sed tantummodo *actio* ipsa, quale est χρῆσθε.

585 C Locum hunc de lucri cupiditate, quae nisi in legitimo lucro coerceatur ad turpem excrescat avaritiam, egregie Emperius et Holwerda nostras persanarunt.

585 E „Relinquisne nobis" hospitem Simmias rogat „Lysidem vestrum?" additque:

εὐμενέσι καὶ φίλοις ὅταν ἐκεῖ γενώμεθα συνοίκοις χρησόμενον.

Ne quis in his haereat (aliquantisper haesi ipse), moneo illud ὅταν ἐκεῖ γενώμεθα lepidissimam esse εὐφημίαν. Hoc enim vult: „cum erimus mortui".

585 F „Transferre eum volebamus" respondet hospes

ὅπως ἐκεῖ μεταλάχῃ τῶν νομιζομένων.

Venuste οἴκοι correxit Holwerda.

ib. „Accessi ergo ad Lysidis sepulcrum et libationibus eum evocavi κατελθεῖν".

Scire velim quomodo ultimum vocabulum accipiat editor qui tantummodo in calce paginae commemoret Herwerdeni emendationem κάτωθεν ἐλθεῖν.

586 A Qui inter se opponi εὐρεῖαι et ὀλίγαι ἀτραποί possunt? Alterutrum adiectivum corruptum videtur.

ib. Medicus περιέλυσε τοῦ Σιμμίου τὸν ἐπίδεσμον ὡς θεραπεύσων τὸ σῶμα.

Dubiumne etiam est quin recte Reiskius pro ultimo vocabulo τραῦμα dederit?

586 B „Quid tandem accidit?" perturbatum Phyllidam rogat Caphisias, et ille:

ἐμοὶ μὲν οὐδὲν κακόν.

Ain vero? Et metuit idem Phyllidas ne Hipposthenidae ignavia tota coniuratio sit prodita! Quid legendum sit sequentia καὶ γὰρ προῄδειν καὶ προὔλεγον ὑμῖν τὴν Ἱπποσθενείδου μαλακίαν docent. Nempe: ἐμοὶ μὲν οὐδὲν καινόν. Et sic habet W. ét in textu ét in interpretatione!

586 C „Totum perdidisti negotium" sic Phyllidas in socium illum mollem invehitur:

(coniuratos) ἀναστρέφειν κελεύσας καὶ μὴ κατατεῖναι σήμερον ὅτε τῶν πρὸς τὴν κάθοδον αὐτοῖς τὰ πλεῖστα καὶ ταὐτόματον συμπαρεσκεύασεν.

Pro Wyttenbachii coniectura κατιέναι non pugno, licet mihi in promptu non sit locus qui satis illud κατατεῖναι (hoc sensu: „propere accedere") illustret. Sed ultimum καί cum editore delere velim. An αὐτὸ ταὐτόματον est legendum?

586 E „Non possumus" Hipposthenidas ait „praesidium Spartanum pellere hinc δυσὶ νεκροῖς ἢ τρισίν".

Perturbatum hunc quoque sentis, nam mire loquitur. Hoc enim sibi vult: „duobus vel tribus occidendis".

Additque: „si occiderimus Archiam suppotum, ἐφεδρεύει τῇ νυκτὶ νήφων Ἡριππίδας".

Praeclara est Herwerdeni emendatio πύκτης scribentis pro τῇ νυκτί.

587 C Rogat Hipposthenidam Caphisias:

τίνα πρὸς τοὺς ἄνδρας ἐξαπέστειλας; εἰ γὰρ οὐ πολὺ προείληφας, διωξόμεθα.

Solito in Plutarchi textu vitio illud προείληφ α ς ex ἐξαπέστειλ α ς natum est et προείληφεν est legendum.

587 D „Aurigam Melonis primarium" respondet Hipposthenidas. Tum sic narrare pergit Caphisias:

κἀγὼ κατιδὼν τὸν ἄνθρωπον· „ἆρ' οὐ Χλίδωνα λέγεις" εἶπον.

Sed sic tota narratio pessumdatur. Hic pro *κατιδὼν τὸν ἄνθρωπον* aliquid in hanc sententiam requiritur: „cum intelligerem quis ille vir esset". Tum optime sic Hipposthenidem alloqui perget: „quis ergo ille est qui adstat foribus?" sequiturque: „convertit se H. et Chlidonem conspicit".

587 F Tum interrogatus Chlidon sic refert:

ὡς γὰρ ἐκέλευσας τάχει παντὶ χρησάμενον ἐπὶ τοῦ ὄρους ἀπαντῆσαι τοῖς ἀνδράσιν .....

Immo vero *ἐπὶ τῶν ὅρων*. Nam in monte *occurrere* dispersis venatoribus nemo potest.

588 E *Σωκράτει δὲ ὁ νοῦς* sic disputat Simmias *εὐαφὴς ἦν καὶ λεπτὸς ὑπὸ τοῦ προσπεσόντος ὀξέως μεταβαλεῖν.*

Sensu cassa haec sic corrige: *τοῦ προσπεσόντος ὀξέως μεταλαβεῖν*. Quidquid se obtulerat mens Socratis celeriter *poterat* (hoc enim inest in infinitivo pendente ab adiectivo *λεπτός*) arripere.

ib. Sapientis *νοῦς ἄγει τὴν ψυχήν· ἡ δ' ἐνδίδωσιν αὐτῷ χαλῶντι καὶ συντείνοντι τὰς ὁρμάς, οὐ βιαίους ὑπὸ παθῶν ἀντιτεινόντων, ἀλλ' εὐστρόφους καὶ μαλακὰς ὥσπερ ἡνίας ἐνδούσας.*

Inepte hic frena et equi inter se confunduntur. Fortasse leni hac emendatione *ὥσπερ ἡνίαις ἐνδιδούσας* omnia persanantur. Certe multo sanatu difficiliora sunt quae mox (589 BC) sequuntur de cogitatione corpus impellente.

589 D *αἱ πληγαὶ τῶν ***όντων ἀσπίσι χαλκαῖς ἁλίσκονται.*

Multis modis lacuna suppleri potest. Mihi prae ceteris placet *simplex ὀρυττόντων.*

590 B *ἔφη δὲ καταβὰς εἰς τὸ μαντεῖον περιτυχεῖν σκότῳ πολλῷ τὸ πρῶτον, εἶτ' ἐπευξάμενος κεῖσθαι πολὺν χρόνον.*

Istud *ἐπευξάμενος* quid sibi *hic* velit non video. An ipsas adorat tenebras?

590 C Narrat se terram conspexisse nusquam *νήσους δὲ λαμπομένας μαλακῷ πυρί, κατ' ἀλλήλων ἐξαμειβούσας ἄλλην ἄλλοτε*

χρόαν, ὥσπερ βαφὴν ἄγειν τῷ φωτὶ ποικιλλομένῳ κατὰ τὰς μεταβολάς.

Ante ὥσπερ Herwerdenus supplet ὥστε et pro ἄγειν Reiskius προσάγειν coniicit. Ne sic quidem locum intellego. An nihil mutandum et tantummodo eximenda post χρόαν virgula? Tum haec erit loci sententia: „insulae illae sedem inter se mutabant et, quoniam illis mutationibus convenienter etiam lux variabatur, nunc hunc nunc illum colorem accipiebant singulae."

590 D Narrabat mare modo esse stagni instar *πολλαχῇ δὲ καὶ ὑπερχεῖσθαι καὶ ἀπολείπειν αὖθις.*

Recte αὖθις, contraria enim inter se opponuntur; non legendum εὐθύς cum Holwerda.

591 C Luna Stygem fugit, *λαμβάνεται δ' ἅπαξ ἐν μέτροις δευτέροις ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἑπτά.*

Dictumne hic μέτροις pro περιόδοις an vitium latet?

592 B Poenitentiam describit narrator tamquam *ἀλγηδόνα καὶ πληγὴν οὖσαν ἐνθένδε τῆς ψυχῆς.*

Praeclare dictum erit, si praeclara Herwerdeni recipietur emendatio ἐνδόθεν pro ἐνθένδε legentis.

592 F Epaminondas a Pythagoreo hospite dicitur *ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀναγόμενος ἡμῖν.*

Hoc est: „ab iisdem a quibus nos profectus principiis". Videtur istud ἀναγόμενος e solemni esse Pythagoreorum sermone. In sequentibus notetur οὐκ ὀλίγον αὐτῷ συνδιατρίψας ἐ ν τ α ῦ θ α χρόνον, ubi ἐνταῦθα est: hic, nobiscum. De hospite Tarentino narrat Epaminondae pater.

593 D Saepe inter homines versantur daemones, hac in re similes athletis quos rude iam donatos *οὐ τελέως ἀπολείπει τὸ φιλότιμον καὶ φιλοσώματον.*

Praeter necessitatemne Emperius pro ultimo vocabulo φιλάγωνον restituit, editor? Ergone et athleta daemon aliquis est qui corpus humanum exuit?

594 F Vocatus per lictores a tyrannis Charon „nuntiate" ait „ὅτι .... θεὶς τὸν στέφανον ἤδη καὶ λ α β ὼ ν τ ὸ ἱ μ ά τ ι ο ν ἕ π ο μ α ι· μεθ' ὑμῶν γὰρ τηνικαῦτα βαδίζων διαταράξω τινὰς ὡς ἀ γ ό μ ε ν ο ς.

Requiritur futurum ἕψομαι et verbum quod notet Charonem *solitam* suam vestem sumere velle. Tum cum Herwerdeno ἀπαγόμενος legendum. Restat ut doceamur quinam homines illo τινάς significentur.

595 B „Committo vobis" ait Charon, iam ad mortem se duci suspicatus „filium meum" πρὸς θεῶν ἅπασι πρὸς δαιμόνων ἐπισκήπτων.

Post alterum πρός insere τε cum Reiskio.

595 E ἐν τούτῳ, Κ η φ ι σ ο δ ώ ρ ῳ Δ ι ό τ ο ν ο ς ε ἷ ς τ ῶ ν φ ί λ ω ν παρῆν πρὸς ἡμᾶς.

Ut recte procedat narratio, lege cum Stegmanno: Διότονος εἷς τῶν Κηφισοδώρου φίλων.

ib. „Praestat" ait ille: προελθόντας ἐν ὑπαίθρῳ συμπλέκεσθαι, πρὸς ἀλλήλους ἀσυντάκτους καὶ σποράδας ἢ μένειν ἐν οἰκίσκῳ καθείρξαντας αὑτοὺς ὥσπερ σμῆνος.

Sensu cassa haec corrige cum X. legendo συμπλέκεσθαι πρὸς αὐτούς. Addere etiam ὄντας post ἀσυντάκτους velim.

596 A Reversus ad socios Charon narrat se ab Archia ita esse interrogatum ut posset intelligere λόγον εἶναι τὴν μήνυσιν οὐ βέβαιον οὐδ' ὑπὸ τῶν συνειδότων ἐξενηνέχθαι τὴν πρᾶξιν οὐδενός.

Haec inter se pugnant: si nemo consciorum quidquam protulit, nullum est indicium (μήνυσις), nam index nemo esse potest nisi conscius. Incertus rumor μήνυσις non est. Ecquid λόγον, οὐ μήνυσιν εἶναι βέβαιον legendum? Cf. δόξαν βέβαιον S.S.C. 161 E.

596 B „Respondi ei" sic pergit narrare:
ζῶντος μὲν 'Ανδροκλείδου πολλάκις ἐπίσταμαι φήμας τοιαύτας ῥυείσας.

cf. Xen. H. V, 2, 3 ubi Androclides simul cum Ismenia nominatur tamquam adversarius Spartanorum et tyrannidis.

596 D Alii alio vestitu et ornatu ad epulantes tyrannos accedunt, ἔνιοι δὲ καὶ χιτώνια τῶν γυναικείων ἀμπεχόμενοι [μεθύοντας] ἀπομιμούμενοι κώμῳ χρωμένους μετὰ γυναικῶν.

Quis non sentit vocabulum inclusum esse eiiciendum? Addidit sciolus qui Isocratis instar nullos ferre posset hiatus, quod hominum genus Plutarcho semper tam ridiculum visum est.

597 B τὸ δόρυ προεβάλλετο κατ' αἰχμήν.

Ignota mihi locutio.

598 A Occisis tyrannis coniurati ἀσπασάμενοι ἀλλήλους καὶ συλλαλήσαντες ad custodiam publicam profecti sunt.

Ne sermones quidem serendi nedum *nugandi* nunc tempus est. Mox ubi custos carceris Phyllidam admittere non vult ὁρῶν καὶ τῆς ὥρας τὴν ἀτοπίαν καὶ τὸ μὴ καθεστηκότα λαλεῖν αὐτῷ τὸν Φυλλίδαν, rectissime ea vox adhibetur: *ebrium* enim Phyllidam esse homo putat. Sed socii, cum re peracta primum alii aliunde congrediuntur, quid faciunt? Inter se salutant gratulanturque, ut opinor. Hoc est in ἀσπασάμενοι ἀλλήλους. Et praeterea quid? Quid *possunt* praeterea aliud nisi *laetis clamoribus* gaudium significare? Lege ergo συναλαλάσαντες.

598 D ἧκε δὲ καὶ Ἱπποσθενείδας .... σαλπιγκτὰς παραλαμβάνων, qui tum statim tubis suis signa dederunt. Ergo eos iam *adsciverat* legendumque παραλαβών.

598 F Milites qui Cadmeam tenent totam urbem plenam tumultus videntes descendere non audent atque ἄλλως προὐφασίζοντο Λυσανορίδαν. περιμένειν γὰρ (αὐτὸν ὀφείλοντα παραγενέσθαι) τῆς ἡμέρας ἐκείνης.

Sic aptissime Reiskius supplet. Editor Graecus mavult hoc: περιμένειν γὰρ αὐτὸν ἀπόντα τῆς ἡμέρας ἐκείνης, credo ne quidquam Reiskio concedat. Nam nihilo melius hoc supplementum, si iam aptum sensum praebet.

Male me in sequentibus habet quod de Lysanorida hic idem

illud *χρήμασιν ἐζημίωσαν* narratur quod p. 576 A de eius decessore: *Φοιβίδαν μὲν ἐζημίωσαν.* Boni scriptores semper et ubique repetitiones vitarunt aut de industria se eadem repetere declararunt.

DE EXILIO.

Hunc librum magnopere Bernhardyus laudavit, quem refutat Volkmannus. Optimo iure, ut mihi quidem videtur. Puerile enim opus est, quo illud „patria est ubicumque est bene" defenditur, quam sententiam equidem crediderim abominatum esse Plutarchum, virum illum patriae, atque adeo paguli sui, amantissimum. Et defenditur ineptissimis plerumque argumentis, uno vero exemplo spurcissimo obscenissimoque (p. 601 E), quo non patriae solum sed etiam uxoris liberorumque amor deridetur et ludibrio habetur. Atque hic praesertim locus efficit ut credere non possim a Plutarcho omnium maritorum patrumque optimo fidelissimoque scriptum hunc librum, qui praeterea tam multa habeat quae cum *imitatore* Plutarchi rem nobis esse moneant. Ut mittam flosculos illos Plutarcheos, sine ulla quidem necessitate sed tamen sat bene adhibitos (structuram *ὅπου γάρ .... ἤπου* p. 602 F; *τί λέγεις* 605 D alia) vide mihi quam ridiculum in modum hiatus hic scriptor vitet et alibi et in hisce (600 F): *ὥσπερ ἐκ ῥίζης τὸ σῶμα τῆς κεφαλῆς ὀρθὸν ἱστάσης* (ne *ὥσπερ ἐκ ῥίζης τῆς κεφαλῆς τὸ σῶμα ὀρθὸν ἱστάσης* diceret) observa p. 599 C *ψηλαφᾶν* „tangendi" non „in tenebris appetendi" sensu positum (*τὰ πράγματα ὑπὸ τοῦ λόγου ψηλαφηθέντα.* Quis bonus scriptor sic scripsit unquam?), et quod multo gravius est, in memoriam tibi revoca dilectissimum illud Plutarcho ornamentum, quod praebent verba: „centro et distantia (i. e. circino) circumscribere aliquid", tum nostrum sic loquentum, immo vero balbutientem audi (603 E): „vir neque inanium plenus opinionum neque insano laborans turbae amore, non culpabit fortunam si insula continebitur, sed multo magis laudabit quod demptis molestiis erroribus peregrinationibus, litibus forensibus, periculis maritimis sibi det vitam stabilem otiosam inconcussam, revera

propriam denique, tamquam centro et distantia circumscribens rerum necessariarum usum." Quam inepte et vere pueriliter hic ornamentum illud adhibetur! An quidquam „abstractum" istud „centro et distantia" praebet quod non *res ipsa* in qua cum maxime versamur multo magis perspicue declaret atque ponat ante oculos? Nonne *insula mari cincta* sortis humanae certis circumscriptae finibus disertissima est imago?

Atque nihilo magis ipsum agnosco Plutarchum in longis illis hominum locorumque enumerationibus, quibus demonstratur semper praestantissimos viros sponte patriam reliquisse et extra patriam diem obiisse supremum. Lege mihi totum caput XIV et taedium devora si potes.

Tum nihil toto libro invenitur quod certum aliquem casum certumque hominem cui scriptus sit nobis proponat. Inanima sunt omnia exsanguia frigida. Velut c. IV et initio quinti sic nugatur noster:

„quemadmodum in comoedia quadam amicus amico, adversa fortuna uso, quem ut sumat animos monet et fortiter resistat sorti, quo modo id faciat roganti, „philosophice" respondet, sic *nos quoque* fortunae obnitamur ita agendo ut philosophos agere oportet."

Aquilone flante, undante quid facimus Iove?
Cum veste tectum petimus, ignem balneum,
Non desidemus conquerentes quod pluat [1]).

Tibi quoque nunc magis quam ulli alii adest facultas id quod in tua vita refrixit suscitandi et calefaciendi, neque ad eam rem subsidiis extrinsecus allatis tibi opus est, dummodo recte utaris iis quae habes ipse. Nam medicorum cucurbitulae in se recipiunt quidquid in corpore pravi est et sic reliquum corpus levant sanantque, sed lamentatores querulique, dum semper sortis suae pessima quaeque colligunt reputantque et amplexantur tristissima, etiam quod utile est sibi inutile reddunt idque eo tempore quo maxime prodesse poterat. Duo enim dolia ista, *amice*, quae in coelo stare Homerus dicit, alterum plenum bonorum, malorum alterum, non Iupiter custodit semper adsidens

1) Cum Meinekio F.C.G. IV p. 672 illa quoque πῦρ — κλαίομεν e comoedia esse credo, sed quomodo turbatos versus in integrum restituam non video.

atque inde ad alios mittens fluctus lenes boni malique mixti ad alios meri mali, sed nos ipsi, qui quidem sana sumus mente praediti, boni aliquantum haurimus et malo affundimus, atque sic vitam nostram iucundiorem et potabilem magis facimus, ceteris tamquam in cribris pessima quaeque haerent, effluunt meliora.

Ergo etiamsi incidimus in aliquid quod revera malum sit et triste, eodem ferre nos oportet quidquid in rebus quas habemus quaeque relictae nobis sunt hilare est et iucundum et sic externa mitigare iis quae intus sunt recondita. Iis vero rebus quae natura sua omnino non sunt mala, quarumque omnis molestia vana nostra opinione fingitur, utendum est sic ut larvis, quas metuentibus pueris afferimus, in manus tradimus, convertimus ut sic eas contemnere discant; ita nos oportet illa pravi iudicii commenta nostra firmiter admota ratione sana quantum habeant insani, quantum inflati et quantum inane ostendere. E quorum numero et ista tua migratio est ex ea quae patria tua putatur. Patria enim non nascitur, sicut neque domus, ager, taberna aeraria, officina medica, ut ait Aristo, sed fit unumquodque eorum atque adeo vocatur et nominatur prout cum maxime certi cuiusdam hominis est domicilium vel instrumentum."

Quam languida sunt haec omnia, inania, vitae expertia! Licet enim scriptor interdum sumat personam magistri ét severi ét comis, ideoque hic illic inserat vocabula qualia sunt *et nos*, *amice*, *tibi*, nunquam sentimus id quod dicatur *hunc* praecipue decere magistrum vel *huic* utile esse discipulo. Nam huic quid tandem acciderit nullo modo explicare possumus. Nonnunquam ex aliqua Graeciae vel Asiae urbe in exsilium pulsus videtur. Audi modo (602 C):

„Pulchrum illud Pythagoreorum praeceptum *elige vitam optimam, usus eam iucundam reddet* hic quoque sapiens est et utile: elige optimam et iucundissimam urbem, tempus eam patriam faciet, eamque patriam quae non abstrahat a negotiis, molestias exhibeat imperetque: *fer tributum, legatus proficiscere Romam, recipe proconsulem, onera publica in te recipe.* Ista enim qui recordatur vir sana praeditus mente neque vanis inflatus opinionibus, vel insulam incolere exsul malet, Gyarum Cinaramve

sterilem aridamque, vix aratro perviam

ibique non animo aeger sedebit lamentansque, neque semper in ore habebit haec mulierum apud Simonidem verba

tenet hic fremitus me strepitantis circum maris usque agitati sed multo magis reputabit quod quondam dixit Philippus. Cum enim quondam cecidisset in palaestra et conversus corporis sui figuram in pulvere videret: di boni, inquit, totum appetimus orbem terrarum cum tantillam terrae particulam nobis dederit natura."

Dictum istud Philippi quorsum hic afferatur parum apparet, et praeterea rogare subit eine qui optimam regionem sibi domicilium elegerit nullum sit pendendum tributum nullisque fungendum muneribus.

Esto: sermo est de homine Graeco vel Asiano in exsilium pulso.

Idque — ita certe videtur — propter turbas in republica natas et inimicorum calumnias. Sic enim p. 602 D legimus:

„Alcmeon in limo quem Achelous aggesserat consedit ut sic matris effugeret Furias; ita poetae narrant, sed ego suspicor *hunc quoque* civiles fugientem turbas seditionesque et furiales calumnias exiguam quandam elegisse sedem ubi quietus posset degere vitam."

Quid quod semel hunc exulem *Chaeroneae* consedisse dixeris. Locum enim modo citatum proxime praecedunt haec:

„Naxum te vidisse opinor, aut certe Hyriam *nobis* (ἐνταῦθα) vicinam [1])." Prope enim Chaeroneam Hyria sita est. Nisi ergo noster homo Chaeroneae habitat aut certe in Boeotia, cur verisimilius est Hyriam quam Naxum ab eo conspectam?

Aut ergo ex Asia aut e magna aliqua Graeciae urbe pulsus noster est. At alio loco scriptorem nostrum docte disputantem audimus quae exilii sint *apud Romanos* genera:

altera est *deportatio in insulam*. Hanc illustrat (602 E) voluntario exilio Tiberii in insula Capreis. (In transitu moneo Tiberium hic a nostro, ut alibi a Plutarcho, summo affici honore).

Altera *relegatio*, de qua agitur p. 604 B.

Praeterea e *Romana* historia petitum est exemplum Clodii et Ciceronis (605 F).

---

1) Male interpres: Hyriam *ei* vicinam.

At enim librum nostrum Volkmannus scriptum esse ait viro cuidam nobili Sardiano, qui exsul vitam degit in insula maris Aegaei. Ita si res se habet, dubium non est quin hic habeamus epistolam, quam monendi consolandique gratia mentium medicus ille Chaeronensis scripserit. Sed, si quid ego video, non ita se habet. Unde enim Volkmannus Sardes illas habet?

Capite 2 lepidissimi Alcmanis citantur versiculi, qui Sardibus natus est sed Spartae habitat, ubi eum suspiciunt omnes tamquam praeclarum illum poetam qui verum patriae amorem inspiret civibus. Hic poeta patriam suam sic alloquitur: „o Sardes, vos si semper incoluissem, nunc victus quotidianus mihi vili aliquo quaerendus esset ministerio. At hic praeclarus ille Alcman factus sum, et in maiore sum honore quam ipsi reges nostri." Statimque sequuntur haec: „haud multos esse puto Sardianos qui non malint tuam vel extorres vivere vitam quam in sua patria boni nihil habere aliud quam quod sine molestia domesticis fruuntur bonis, testudinum instar suis affixi aedibus." Et p. 601 B haec legimus: „quod vero Sardibus non habitas nihil est".

Ergone Sardianus noster? Haud vidi magis. Nihil toto libro legimus unde appareat eum cui scriptus liber ad magnam pervenisse dignitatem, quod haud dubie, si potuisset commemorare scriptor, non omisisset. Sed non illi dicta sunt ista: „plerique Sardiani suam mutare cum tua vellent fortuna" et „non habitas Sardibus" verum eidem cuius versus citantur Alcmani. Ut accuratius dicam: flosculo illo utitur scriptor, quem omnes in deliciis habent sophistae, quemque ne Plutarchus quidem spernit, ut inter se permisceat imaginem et rem hominemve cuius causa imago est adhibita; quo flosculo quam lepide orationem suam exornare Lucianus soleat scimus omnes. Eodem modo hic scriptor e *ficto* homine quem alloquitur Alcmanem aliquem facit. Quod vero etiam sub finem libri (607 E) Sardes nominantur, in eo argumenti nihil est: *exempli* enim causa illud fit, nam sic disputatur: „exulamus omnes non Sardibus Athenas vel Corintho Lemnum Scyrumve, sed de coelo in terram". Accedit quod *illud* potissimum hic affertur exemplum, quod scriptor memor est Alcmanis versiculorum in initio positorum, qui tantum toti libro praebent ponderis.

Denique non cum ipso Plutarcho sed cum Plutarchi imitatore vel discipulo nobis res est, qui pennis quae pavoni exciderunt satis ridicule se exornavit.

Quam sententiam nequis hoc argumento refutare conetur quod Menemachus ille, cui *Praecepta Reipublicae Gerendae* scripta sint, haud dubie Sardianus fuerit, quodque inde discamus illo tempore ea ibi evenisse propter quae multi inde exules spargerentur per Graeciam, hoc dico: libellus noster, qui Plutarchei nihil habeat sed multa quae Plutarcho iram et indignationem movere debuerint, scriptus est ab eo qui illa *Praecepta* legisset et inde suae declamatiunculae sumpsisset argumentum.

Age iam videamus ecquid nobis de singulis sit locis observandum.

599 D Non natura sua alia adversa, alia secunda sunt sed ea *ἕκαστος ἑαυτῷ κοῦφα καὶ βαρέα καὶ ῥᾳδία φέρειν ποιεῖ, καὶ τοὐναντίον.*

Num dubitamus etiam quin recte *καὶ βαρέα* Stegmannus deleverit? An quidquam cogitari potest quod contrarium sit (*τοὐναντίον*) simul rebus levibus et gravibus?

599 F *ἔστι δὲ καὶ χρώματα λυπηρὰ τῇ ὄψει, πρὸς ἃ γίγνεται τὸ συγχεῖσθαι καὶ μαραυγεῖν διὰ σκληρότητα καὶ βίαν ἀνίατον.*

Alienum hinc ultimum vocabulum; annotat editor se malle *ἀνίκητον* vel *ἄμαχον*, quorum neutrum huc quadrat. Unice verum est quod Naberus proposuit *ἀνιαρόν*.

600 F *ὁ δὲ Σωκράτης βέλτιον, οὐκ Ἀθηναῖος οὐδ' Ἕλλην ἀλλὰ κόσμιος εἶναι φήσας, ὡς ἄν τις Ῥόδιος εἶπεν ἢ Κορίνθιος.*

Verba *ὡς ἄν τις* .... *Κορίνθιος* Stegmannus delet. Iniuria, ut opinor: decent ista puerulum acumine suo et doctrina gloriantem. Similia sunt quae statim addit: *ὅτι μηδὲ Σουνίῳ, μηδὲ Ταινάρῳ μηδὲ τοῖς Κεραυνίοις ἐνέκλεισεν ἑαυτόν.*

601 E Sine patria nemo ibi est ubi victum habet quotidianam: *μόνον ἔχειν δεῖ πρὸς τούτοις νοῦν καὶ λογισμὸν ὥσπερ ἄγκυραν* (*καὶ*) *κυβερνήτην.*

Optimo iure alterum *καί* Stegmannus addidit: *νοῦς* est ancora, gubernator *λογίζεται*.

Sequitur: *πατρὶς δὲ γίγνεται πᾶσα πόλις εὐθὺς ἀνθρώπῳ χρῆσθαι μεμαθηκότι.*

Sensu cassum istud *χρῆσθαι* est: non enim cogitando *πόλει* supplere potes. Sed pro *ἀνθρώπῳ* lege *ἀνθρώποις*, aptissimam hanc habebis sententiam: unaquaeque civitas statim fit patria ei qui *hominibus uti* didicit.

604 B *σοὶ δ' οὐχ ἑνὸς δεδομένου μόνον ἀλλ' ἀπειρημένου τόπου, πασῶν ἐστὶν ἐξουσία πόλεων ἢ μιᾶς κώλυσις.*

Editor *μόνον* delere vult, equidem hiatus vitandi causa insertum suspicor a puerulo, qui tam putide relegationis descripserit rationem.

606 A *ταῦτα πρώτως οὐκ ὀρθῶς οὐδ' ἀληθῶς ἀξιοῦται.*

Pro absurdo *πρώτως*, quod „bene habere" clamat editor, acute Reiskius reposuit *ὁρᾷς ὡς*.

CONSOLATIO AD UXOREM.

Optime, ut assolet, de libello hoc Volkmannus mihi referre videtur, una tantum in re ab eo discrepo quod dicit *non integrum* ad nos libellum pervenisse („die uns leider unvollständig erhaltene Trostschrift des Vaters an seine Gattin" ait). Non quod negem in capitibus ultimo paenultimoque lacunas esse, quamquam et has apte probabiliterque supplerunt Wyttenbachius Bernardakiusque, ita ut ad eas quod attinet nihil desideremus, sed videtur illo „onvollständig erhalten" significare Volkmannus priorem tantummodo libri partem nos habere, alteram (eamque fortasse maiorem) periisse. Quod equidem, nisi cum tam egregio mihi viro res esset, acerrime negarem. Habemus enim praestantissimi opusculi ipsissimam clausulam, qua nihil praestantius, nihil aptius proposito cogitari possit. Ultimi enim capitis hoc est argumentum: „quae hactenus consolandi gratia dixi, eorum certissimum est argumentum in legibus et moribus antiquis:

proavi nostri mortuis puerulis puellisque inferias ferri vetuerunt, quoniam nihil illis iam cum terris commune esset; divinam enim esse eorum sortem, divinum domicilium". Quibus haec addit noster:

ἐπεὶ δὲ τὸ ἀπιστεῖν χαλεπώτερόν ἐστιν αὐτοῖς ἢ τὸ πιστεύειν, τὰ μὲν ἐκτὸς οὕτως ὡς οἱ νόμοι προστάττουσιν ἔχωμεν, τὰ δ' ἐντὸς ἔτι μᾶλλον ἀμίαντα καὶ καθαρὰ καὶ σώφρωνα.

Agnoscisne praeclarum illud paradoxon Plutarcheum: „facilius est credere quam non credere animam esse immortalem"? Ubinam melius poni potuit quam in consolationis „peroratione"? Quae nunc est huiuscemodi: „age palam his legibus obediamus, magisque etiam ut ipsa mens nostra cum iis conveniat operam demus: eo enim nituntur fundamento quod pueriles animi divina pace et felicitate fruantur, quod ita se habere facilius creditur quam non creditur."

Sed lubentissime cum eodem Volkmanno facio Wyttenbachium refutante qui contendit hanc Timoxenam diversam esse ab illa quae in Praeceptis Coniugalibus nominetur. Sic breviter ibi Plutarchus nominat Timoxenam et scribit ad Eurydicen, quam domi ipse suae educavit. Nonne si aliam Timoxenam quandam, non suam uxorem, cogitasset, id diserte significasset?

Nam quae in Praeceptis Coniugalibus de Timoxena traduntur egregie conveniunt in Plutarchi uxorem, quae nobis hoc libello viva spiransque proponitur. Librum enim scripsisse dicitur. Quidni hoc credamus de muliere quae adsidere solita sit cum „philosophis" qui ad suum convenissent maritum. Legimus enim 609 C: „vestitus victusque simplicitate omnium semper movisti admirationem philosophorum qui nostra utuntur familiaritate et consuetudine". Et scripsit probante marito, utpote de argumento quod quam maxime *mulierem* deceret, de ornatus studio (*περὶ φιλοκοσμίας*); atque quid fere scripserit e nostro libello facile efficimus; monuit mulieres ne illi studio nimis indulgerent. Et ne de eo quidem argumento, quamvis esset aptum matrifamiliae, vulgo scripsit mulierum, sed Aristyllae, quae nupta erat Timoni, Plutarchi fratri. En mulierem dignam quae „mulierum causam" defenderet!

Atque usus est Volkmannus sua de Timoxena et Aristylla disputatione ad egregiam proferendam emendationem loci in

Plinii epistola I, 5. Ibi enim absurdo *Arrionillae* nomine ornatur *Timonis* uxor. Quid certius quam cum Volkmanno apud Plinium *Aristyllae* legendum, quo facto non solum tollitur nomen, quod non est in rerum natura, sed etiam praeterea lucramur aliquid, quo nihil maioris videri possit pretii omnibus qui Plutarchum eiusque gentem amant. Hinc enim discimus quos Romae amicos habuerint Timon et ipse Plutarchus: Plinium, Arulenum Rusticum, quibus iam nihil dubitantes addimus Tacitum atque ipsum imperatorem Traianum.

Sed quid multa *de* praestantissimo loquar libello? Ipse hic audiendus est Plutarchus, qui nobis hic pingat omnium quotquot fuerunt uxorum matrumque optimam, seque ipsum maritum uxoris patrem liberorum amantissimum, virum simul sapientissimum clementissimumque. Nihil unquam scripsit Plutarchus, atque adeo nihil scriptum est unquam, quod huic exiguo praestaret libello. Hoc est consolari — si tamen quisquam revera alium consolari potest — hoc est mentes sustentare atque erigere. Nam nusquam disertius hanc omnium sententiarum verissimam pronuntiavit Plutarchus: „nisi vis opprimi vitae aerumnis planeque animum despondere, si in tantis rerum tenebris claram ante oculos habere lucem cupis, semper et ubique tibi persuasissimum habeto **immortalem esse animam** hominis et in aeternum ei prospici a Deo omnipotenti singulorumque hominum amantissimo".

De singulis aurei libelli locis haec observo:

608 B Sic maritus suam ad uxorem epistolam orditur: *ὃν ἔπεμψας ἀπαγγελοῦντα περὶ τῆς τοῦ παιδίου τελευτῆς, ἔοικε διημαρτηκέναι καθ' ὁδὸν εἰς Ἀθήνας πορευόμενος· ἐγὼ δ' εἰς Τανάγραν ἐλθὼν ἐπυθόμην παρὰ τῆς θυγατριδῆς.*

Verba *ἔοικε διημαρτηκέναι καθ' ὁδὸν εἰς Ἀθήνας πορευόμενος* sic vertit interpres: „eum apparet a via aberrasse cum Athenas iret". Falso, nam *καθ' ὁδόν* non est *a via*, et rei rationem non perspexit. Profectus erat Plutarchus Athenas — quo magis consentaneum erat proficisci philosophum? Vix domo aberat, cum moritur filiola. Statim nuntium dimittit Timoxena, sic tristem rem mox ad maritum perlatum iri sperans. Sed spes eam fefellit: nuntius enim *in itinere* eum non vidit (ergo ad *διημαρτηκέναι* cogitando supplendum est *μου*), perrexit Athenas

et ibi demum cum Plutarcho est congressus. Ille tamen quid actum esset iam in media via, Tanagrae, cognoverat, ubi substitit apud θυγατριδῆν, quo vocabulo Lampriae vel Timonis filiam significari prudenter Volkmannus perspexit. Simulatque Athenas venit hunc libellum uxori suae componit. En egregium mentis medicum, qui tam efficacia remedia semper et ubique in promptu habeat! Conferatur exordium libri *de Tranquillitate Animi*.

Tum sic pergit:

opinor te iam filiolae nostrae iusta fecisse idque ita ut teque meque decet; εἰ δέ τι βουλομένη μὴ πεποίηκας, ἀλλ' ἐπιμένεις τὴν ἐμὴν γνώμην, οἴει δὲ κουφότερον οἴσειν γενομένου, καὶ τοῦτ' ἔσται δίχα πάσης περιεργίας καὶ δεισιδαιμονίας, ὧν ἥκιστά σοι μέτεστι.

Post γενομένου virgulam posui pro semicolo, quod hactenus totum locum corrupit. Pro ἔσται Naberus ἔστω proposuit, quod a praestantissimo critico recipere nolim. Quidni enim Plutarchus declaret se *certo scire* uxorem suam omnem esse vitaturam superstitionem? Accedit quod post illud *futurum* denique recte sequitur imperativus hic: μόνον, ὦ γύναι, τήρει κἀμὲ τῷ πάθει καὶ σαυτὴν ἐπὶ τοῦ καθεστῶτος. Nam μόνον τήρει significat: „vitabis, dummodo serves ....” sive: „serva modo tranquillum animum, vitabis superstitionem”. Verbis autem ἐπὶ τοῦ καθεστῶτος significari *tranquillum constantemque animum*, non, id quod primo aspectu suspicari possit aliquis, *usu receptum* et ex addito κἀμέ apparet et ex iis quae sequuntur: „ego ipse nostram calamitatem tanti aestimo quanti est; quod si te cognovero iusto tristiorem, id mihi ipsa erit calamitate tristius”. Hoc ergo dicit: „tu cave ne in dolendo modum excedamus ambo”. De dativo τῷ πάθει dubito. Quidsi κἄμ' ἐν τῷ πάθει legamus?

608 C Quam tenere amem liberos nosti τοσούτων μοι παιδίων ἀνατροφῆς κοινωνήσασα, πάντων ἐκτεθραμμένων οἴκοι δι' αὐτῶν ἡμῶν, τούτου δὲ .... ἀγαπητοῦ διαφερόντως μοι γενομένου.

Sic recte sententiae structuram B restituit τούτου pro τούτοις legendo. Vellem simul praecedens semicolon in virgulam mutasset. Sed in ea re Plutarchi editores iusto negligentiores esse solent.

Cur autem ceteris liberis carior Plutarcho fuit haec puellula? *ὅτι καὶ σοὶ ποθούσῃ θυγάτηρ μετὰ τέσσαρας υἱοὺς ἐγεννήθη κἀμοὶ τὸ σὸν ὄνομα θέσθαι ποθούμενον ἐν αὐτῇ παρέσχε.*

Iure editor *ἐν ἑαυτῇ* malit. Sed praeterea mihi passivum illud *ποθούμενον* molestum est. Usque adeone hiatus reformidemus, quotquot amamus Plutarchum et Isocratem spernimus, ut ne hic quidem *ποθοῦντι* reponere audeamus? Quo facto et lucrabimur quod egregie praecedenti *ποθούσῃ* opponatur et optimam hanc obtinebimus sententiam: „tu post quattuor filios filiam cupiebas, ego liberorum nostrorum uni tuum dare nomen cupiebam: ecce aderat illa, quae se huic rei offerret".

608 D Dulcissima illa puella *καὶ παιγνίοις ἐκέλευε τὴν τίτθην διδόναι καὶ προσεκαλεῖτο καθάπερ πρὸς τραπέζαν ἰδίαν ὑπὸ Φιλανθρωπίας.*

Quam lepida haec et quam vere Plutarchea! Quid sciolo facias qui post *τὴν τίτθην διδόναι* inseruerit *καὶ προσφέρειν τὸν μαστόν*!

608 E Clymene tragica nimia tristitia odit quaecunque amavit olim, exclamatque

μισῶ δ' εὐάγκαλον
τόξον κρανείας γυμνάσια δ' οἴχετ'.

Praeclara et quantocius in textum recipienda est Emperii emendatio: *γυμνάσια δ' οἰχοίατο.*

609 B *ἡ δὲ θρήνων ἄπληστος ἐπιθυμία .... αἰσχρὰ μὲν οὐχ ἧττον τῆς περὶ τὰς ἡδονὰς ἀκρασίας λόγῳ δὲ συγγνώμης ἔτυχεν.*

Ne dubites quin recte Reiskius *ἀλόγως* restituerit, aspice sequentia: *τί γὰρ ἀλογώτερον κτἑ.*

609 E Plerasque matres, mortuis liberis, videmus *ἐκχεομένας εἰς κενὸν καὶ ἀχάριστον πένθος.*

Non obtemperandum censeo Nabero *ἀχάριτον* legenti: lugens ille immemor est priorum bonorum, illa omnia abiecit ideoque est .... quid? *Inanis*, ut opinor. Vides quam egregie illa *κενόν* et *ἀχάριστον* inter se iungantur.

610 C ὁ δὲ πενθῶν κάθηται παντὶ τῷ προστυχόντι παρέχων ὥσπερ ῥεῦμα κινεῖν καὶ διαγριαίνειν τὸ πάθος.

Flumini locus hic nullus, τραῦμα lege cum Kaltwassero.

610 E Maxime probandus ὁ μάλιστα τῆς μνήμης τῶν ἀγαθῶν ἀπαρυτόμενος.

Optime Reiskius τῇ μνήμῃ reposuit: gratus homo et memor memoria tamquam instrumento utitur ad hauriendum e largo bonorum, quibus usus est, fluvio. Utcunque haec imitatus est Plutarchi discipulus *de Exilio* 600 D: οἱ μὲν νοῦν ἔχοντες ἐκ τῶν ἀγαθῶν τοῖς κακοῖς ἐπαρυτόμενοι τὸν βίον ποιοῦσιν ἡδίω καὶ ποτιμώτερον.

610 F Unguentum et delectat et male olentium est remedium: οὕτως ἡ ἐπίνοια τῶν ἀγαθῶν ἐν τοῖς κακοῖς καὶ βοηθήματος ἀναγκαίου παρέχεται χρείαν.

Facessat tandem hinc istud καί a Reiskio damnatum.

611 B Quemadmodum sunt qui ex Homero pravos colligant versus omissis egregiis, οὕτως ἐξακριβοῦν καὶ συκοφαντεῖν τοῦ βίου τὰ φαῦλα, τοῖς δὲ χρηστοῖς ἀνάρθρως καὶ συγκεχυμένως ἐπιβάλλουσαν ὅμοιόν τι τοῖς ἀνελευθέροις καὶ φιλαργύροις πάσχειν.

Sententia perspicua, sed neque bene procedit structura et obscura sunt vocabula ἀνάρθρως καὶ συγκεχυμένως.

611 D Ad textus Plutarchei historiam cognoscendam magni momenti hic locus est. Traditum enim est οὔτ' εἰς ἐπίνοιαν ἦλθεν οὔτ' ἔλαβεν ἐπίνοιαν. Vides duplicem lectionem in unam coaluisse, nam alterutrum tantum ferendum est.

611 F Senectutis hoc summum malum quod mens servat τὸν σχηματισμόν, ὃν ἔσχεν ὑπὸ τοῦ σώματος ἐν τῷ π ρ ο σ π ε π ο ν θ έ ν α ι.

Sic recte legit Reiskius pro simplici πεπονθέναι. Mens eum habitum cepit quia diu simul cum corpore, eique affixa, eadam est perpessa.

612 A Qui veterem servant morem infantibus οὔτε χοὰς ἐπι-

φέρουσιν, οὔτ' ἄλλα δρῶσι περὶ αὐτὰ οἷ' εἰκὸς ὑπὲρ θανόντων ποιεῖν. τοὺς ἄλλους.

Pro *εἰκός* Cobetus *ἔθος* legere volebat, sed tum non sic nude *mortui* (*θανόντων*) hic sunt nominandi sed qui *adulti* mortui sunt. Tamen vitio laborat sententia, quod bene sanasse videtur Schmidtius *ἀνθρώπους* pro *ἄλλους* legendo retinendoque *εἰκός*.

CAPUT XVI.

QUAESTIONES CONVIVALES.

Ex hoc Plutarchi libro magis quam ex ullo alio apparet illius temporis philosophus quam artem exercuerit, i. e. suam sapientiam quo modo in aliorum converterit utilitatem et sibi .... quomodo victum quaesierit. Hoc enim nobis liber ille narrat: „vir, de quo agitis, *docendi* fungitur munere *educandi*que, et fungi eo potest quamvis in remoto aliquo Graeciae habitet angulo.'' Nam domum suam recipit non pueros solum sed etiam puellas, quibus omne disciplinarum tradat genus et (quod quin maioris ei sit visum momenti non possumus dubitare) *recte vivendi* monstret viam. Qua facultate sibi oblata libenter usos omnes parentes, qui paulo essent opulentiores, atque prae ceteris Romanos, quid miremur? Plutarchi *discipulus* Sossius ille fuit Senecio, vir consularis, atque idem mihi aliquatenus certe statuendum videtur de omnibus illis Romanis aetate minoribus ad quos se in libris suis Plutarchus convertit. Quid quod inter senatores Romanos, qui quidem „sublimia curarent'' — et magnum eorum fuisse novimus numerum: cogita modo de Tacito Plinioque, de Mestrio Floro, Musonio Rufo, Virginio Rufo — neminem fuisse consentaneum est, qui non in deliciis Graeciam illam haberet, antiquae simplicitatis placidaeque quietis sedem. Hanc enim sibi cum totius regionis illius dulcissimae informabant imaginem, tum ipsarum Athenarum, certe quoties eas cum sua comparabant Roma, clamosa illa urbe et luxus divitiarumque ostentatrice, ubi revera *vivere* posset nemo qui mentem excolere, quin etiam qui, ut Martialis, tricas atque apinas meditari cuperet.

Legite mihi Nigrini Lucianei §§ 12 sq.[1]): nusquam melius disertiusque duae illae urbes inter se opponuntur, ex quarum altera quantocius effugere cupiant omnes qui veram sapientiam divitiis praeferant potentiaeque. Nam sic se res habebat: tamquam suam sibi patriam colebant Graeciam omnes homines quibus vivere esset cogitare. Quoscunque nobis Plinius — ut illo utar auctore — senatores Romanos tamquam exempla virtutis veraeque proponit doctrinae, eodem laborabant morbo quo Nigrinus ille: in Graecia vitae ponere tabernacula gestiebant, hoc enim erat perfugium philosophiae, id est verae vitae. Quodsi nullum eius rei testem afferre, nullum citare testimonium possemus, tamen verisimile est, illos parentes, si ipsis nocturnos istos diurnosque strepitus clamoresque vitare non liceret, at liberos suos voluisse aliquam, eamque optimam, vitae partem in amoenissimo illo gratissimorum somniorum transigere domicilio, quam remotissimos ab urbe ista, quo quidquid usquam esset corruptum conflueret sed sana sinceraque paucissima; eorumque exemplum esse secutos quicunque toto imperio Romano abundarent opibus. Nonne *Baias* quasdam *philosophicas* iure Aedepsum illum Euboicum appellare possumus, quem locum amoenissimum tam vividis Plutarchus depingit coloribus? Legite mihi paginas quae sunt apud Bernardakium vol. IV, 160 sqq.: nihil vos unquam vidisse agnoscetis quod esset lectu, immo spectatu, iucundius, nihil vitae plenius urbaniusque. Quas ego Graece nescientium causa vernacule verti (Avondzon² v. I, 174 sqq.), Belgice nescientibus, qui meas ad singula earum vocabula cognoscere cupiunt annotationes, mox satisfaciam, nunc de ipsa „dramatis scena" pauca disputare non abs re videtur.

Egregie terrestre illud Elysium describitur a Landerero in bibliotheca, cui titulus „Neues Repertorium für Pharmacie" (vol. VIII, anni 1859, p. 289—294), inscripta est ipsa commentatio: „über die Thermen von Aedipso auf der Insel Euboea". Vi medica Euboenses Thermas vel Carlsbadiensibus praestare Landererus iudicat. Ergo hic quoque renata Graecia habet quod ad pristinam reducat glariam! Sed antiquus pagus nunc quidem totus latet sub

1) Hunc locum in vernacule scripto libro „de Avondzon" vol. I, pp. 170 sqq. secundae editionis verti.

calce, quam pepetuo relinquit aqua fervens, magna vi prorumpens e duobus antris. Quantus hic campus fossoribus patet! Sed illi, nisi forte Plutarchus eiusque amici, quique postea „philosophi" ibi ferias degerunt, libros quos secum tulerant reliquerunt, nil nisi mortuum invenient Aedepsum, vivum habemus apud Plutarchum. Et omnino tota antiquitas viva nusquam nisi in libris servatur, e terra eruuntur ossa, e quibus tamen et ipsis vivae illius antiquitatis a bono artifice imago quaedam fingi potest. Sed haec in transitu. Iam multo ante Plutarchi aetatem bene et hilariter Aedepsi potuisse vivi narratio in *vita Sullae* (c. 26) docet: ibi legimus Sullam thermis Aedepsanis morbum, podagrae praecursorem, curasse, simulque otium suum oblectavisse cum *scenicis artificibus* confabulando, cumque in litore deambularet ei ingentes quosdam pisces dono datos ab Halaeensibus, quos iam a se exstinctos putaret, mutosque illos deprecatores iram eius mitigasse. Ergo iam tum in honore thermae illae erant, iam tum Aedepsi bonae artes colebantur, iam tum locus ille mensae abundabat deliciis. Est et tertius de Aedepso apud Plutarchum locus, sed quod ibi legimus ipsa est nocte obscurius. In libro *de Faterno amore* p. 487 F Plutarchus docet quam funestae saepe sint inimicitiae quas provocent homines suis bonis gloriantes „quemadmodum" ait „*nostra aetate* Graecorum potentissimi primum de pantomimis musicisque litigando, deinde semper comparandi causa Aedepsanis lacubus, palaestris conclavibus afferendis, tum nunquam non pro suis pugnando civitatibus, denique aequaeductibus interrumpendis avertendisque ad eam sunt prolapsi insaniam ut *a tyranno* omnibus spoliati bonis et exules pauperesque pro felicibus et opulentis facti e pristina sua conditione praeter mutuum odium servarunt nihil." Qui, obsecro, sunt illi *Graecorum potentissimi* et, quod magis me vexat, quis *tyrannus* ille? Certe *non* est imperator Romanus. Sed totus locus Delphis editus videtur. Denique praeter Plutarchum nemo quidquam de Aedepso narrat nisi Athenaeus (apud Meinekium vol. I p. 134) apud quem haec legimus: „cum novus quidam Aedepsi fons saluberrimus esset inventus, cumque cives ab iis qui eo uti vellent pretium poscerent, subito fons ille exaruit". Nam Strabo et Stephanus Byzantinus hoc solum habent: „Aedepsus ubi sunt thermae".

Ad Plutarchum redeo: nonne Baiis illis Euboicis iucundissima habebantur convivia, ubi cuique et licebat et libebat suo more disputare, nonne simul et hilariter et sapienter ibi vivebatur? Audimus loco illo ad quem modo legentes relegavi, quemque Belgice verti, disputantes convivas de cena bene apparanda aliisque rebus, quarum ipsum tempus admonet: nonne iam hinc apparet liberum illum fuisse locum omnibus illis deliciis, propter quas, utpote mentem turbantes, Romanae odio erant Baiae, non rigidis modo Catonibus sed etiam levibus adolescentulis, qui rumores istos strepitusque nocere ingenio suo atque arti arbitrabantur? Et, quod in hac est disputatione gravissimum, viri illi quos tam iucunde audimus confabulantes „de omnibus rebus et de quibusdam aliis", sunt .... philosophi Graeci post gravem docendi educandique laborem aliquamdiu dulci feriarum fruentes otio. Nullus nobis liber fidelius depingit eorum virorum vitam qui tunc et nutriendos et educandos generosos adolescentes domum suam recipiebant atque hac ratione victum quaerebant, sive, ut Callistratus „sophistas", sive, ut Plutarchus, „philosophos" se dici malebant, sive, ut Zeno et Crato, simul artem exercebant medicam. In his *Quaestionibus Convivalibus* eos deprehendimus suae artis dantes specimina et .... docendi utilitatem cum coenae coniungentes dulcedine. Audiamus eos (Prob. 7 libri III) *cum alumnis suis* disputantes de causa cur *mustum* ipso vino minus bibentes inebriet. Hanc enim quaestionem ibi Plutarchi pater proponit τοῖς ΦιλοσοΦοῦσι μειρακίοις μεθ' ἡμῶν, vehementerque „philosophi" probant acumen adolescentulorum qui ipsi aliquid causae comminisci possint. De vocabulis illis Graecis paucis deliberemus! Suntne hi adolescentes qui sic instituuntur ut et ipsi aliquando philosophiam profiteantur? An commune est nomen omnium qui liberalibus artibus instruuntur? Quocunque modo se ea res habet, agitur de adolescentibus qui in tranquillo illo excoluntur Chaeronensi angulo. Alio nomine illi Graecorum philosophorum *alumni* ornantur in lepido illo libri IV prooemio, appellantur enim τὰ παιδία τὰ ἅμα Φιλίνῳ. Quorum quamvis illic de *nutrimento* agatur praecipue, tamen praeterea satis clare apparet non solum *corpus* eorum fuisse commissum philosopho. Atque magistros illos utile dulci quomodo esset miscendum probe tenuisse ea docent verba a quibus

Libri IX orditur Problema 15: „tum placenta afferebantur praemia puerorum qui optime saltassent: iudices erant Meniscus paedotriba et frater meus Lamprias: is enim puer excellere solebat pyrrhiche et gesticulatione omnes alios superabat pueros". Habemus ergo hasce locutiones: *τὰ μεθ' ἡμῶν φιλοσοφοῦντα μειράκια* et *τὰ παιδία τὰ ἅμα Φιλίνῳ*. Accedit tertia (p. 138 C): *ἐν φιλοσοφίᾳ παρατρεφόμενοι*. Estne certa quaedam haec alumnorum *species*? Ita se res si habet, comparari possunt cum nostrorum gymnasiorum *auditoribus*, ita ut, dum alii ipsam discunt philosophiam, tantummodo audientes assideant. Atque haec interpretatio in illum locum optime quadraret. Est enim e *praeceptis coniugalibus*, ibique Polliano traduntur quaedam quae olim iam audivit *ἐν φιλοσοφίᾳ παρατρεφόμενος*, at nunc ei iam venit aetas *τοῦ φιλοσοφεῖν* (p. 145 B). Sed nihil obstat quominus sic *in universum* omnes illi philosophorum significentur alumni: magna enim educationis pars in ea versatur re quod iis *adsidere* licet dum seniores graviter inter se de quovis disputant argumento. Hoc vero certissimum est summam fuisse illorum magistrorum apud omnes discipulos auctoritatem. Luce clarius hoc apparet e libri III problemate 1. Ibi sat gravi oratione Ammonius coronarum vituperavit usum, cuius cum disputatio ad finem esset perducta, *adolescentuli graviter permoti clam coronas suas deposuerunt.*

Hac fuit auctoritate vir ille quem ipse Plutarchus tanta solet colere et venerari pietate. Sed simul Plutarcho quoque persuasissimum fuisse intelligimus hanc intercedere oportere inter magistrum discipulumque rationem, illumque demum verum esse puerorum erudiendorum artificem, quem discipuli vereantur venerenturque. Neque hoc negligendum Ammonii ore hic ipsum loqui Plutarchum cum coenae lautae et opiparae suscipiat patrocinium: „non quidem" ait „necessarii sunt cibi exquisitiores sed ipsa natura eos dedit necessariis comites".

Postremo et hoc observandum non praeceptoris modo munere fungi Ammonium sed etiam illius magistratus quem nunc „scholarum inspectorem" appellare solemus. Legimus enim p. 736 D: *Ἀμμώνιος Ἀθήνησι στρατηγῶν ἀπόδειξιν ἔλαβεν* (examen habebat) *ἐν τῷ Διογενείῳ τῶν γράμματα καὶ γεωμετρίαν καὶ μουσικὴν μανθανόντων ἐφήβων, καὶ τοὺς εὐδοκιμήσαντας τῶν διδασκάλων ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλεσε.* Atque hunc fuisse morem ut,

qui puerorum prospiceret educationi, etiam ipsorum magistrorum censuram quandam exerceret, non in Graecia solum sed Romae etiam, Plinii epistola libri I octava docere potest. Narrat enim ibi Plinius se bibliothecam dedicantem orationem ad municipes habuisse in qua et alia multa utilissima cognitu protulerit et quam honesta esset puerorum educandorum ars docuerit, quemadmodum ex his eius apparet verbis (§ 11):

„ut vero aliquis libenter educationis taedium laboremque suscipiat, non praemiis modo, verum etiam exquisitis adhortationibus impetrandum est".

Quid quod ipsae illae Aedepsanae epulae philosophis facultatem praebebant discipulos ad se alliciendi: disputandi enim simulque docendi arte inter se certabant ut ipsi diiudicare adolescentes possent cui se potissimum committerent magistro, parentes quos liberorum eligerent praeceptores. Ni credis, lege p. 676 E. Quidam, qui dicitur *τῶν ῥητόρων ὁ μάλιστα δοκῶν ἀναγνώσμασιν ἐντυγχάνειν ἐλευθερίοις*, admodum doctam habuit orationem. Quam postquam retulit Plutarchus haec etiam addit:

ἐκίνησεν οὖν (rhetor ille multarum literarum) *τοὺς νέους ὡς ἂν πολυμαθὴς ἀνὴρ καὶ πολυγράμματος.*

Sed quid de Aedepsanis loquor epulis? Nonne omnium „regum", qui ad coenam invitabant viros doctos, id fuit consilium ut viderent ad quos magistros se conferrent ipsi liberosque suos mitterent docendos? Testes sunt rei per se minime incredibilis et alii multi et haud uno loco Lucianus, et quodammodo idem discimus e notissimis Horatii versibus:

Reges dicuntur multis urgere culillis
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitia dignus.

Hisce ita expositis satis iam notos habemus viros illos quos in *Quaestionibus Convivalibus* disputantes induxit Plutarchus. Nunc quo tempore et quo consilio illa chartae mandaverit colloquia videamus. Hic non possum facere quin Volkmanno viro praestantissimo obloquar, vol. I p. 55 coniicienti, dum illud fieret, interea Plutarchi et patrem et avum diem obiisse supremum ita ut aliquod effluxerint anni priusquam totum esset perfectum corpus. Mihi contra id brevi tempore et continua

serie a Plutarcho prolatum esse videtur, idque a sene iam Plutarcho. Nam Sossium illum Senecionem, ad quem singula mittuntur colloquia, discipulum eius in Graecia fuisse suspicor, vide V, 1 in.; ἐγένοντο λόγοι καὶ σοῦ παρόντος ἐν Ἀθήναις ἡμῖν, Plutarchique filii eius fuerunt condiscipuli, v. p. 734 E: τοῖς μὲν οὖν σοῖς ἑταίροις ἐμοῖς δ' υἱοῖς ἐδόκει. Quae suspicio et eo confirmatur quod iam multi sunt elapsi anni e quo Plutarchus Sossiusque ultimum sunt congressi v. L. V in. Mittit autem colloquiorum libros, primum tres simul, deinde semper singulos simulatque sunt perfecti, clauditque ultimum allocutione ad eundem Sossium Senecionem. Sunt ergo libri illi epistolae, quas semper brevi intervallo esse scriptas consentaneum est. In ipsis autem colloquiis nullum certum temporis ordinem deprehendimus; in colloquio I, 5, quamvis aliter sentiat Volkmannus, equidem iam *mortuum* esse Lampriam avum dixerim; legimus enim c. 1: ἦν δὲ Λαμπρίας ὁ ἡμέτερος πάππος ἐν τῷ πίνειν εὑρετικώτατος. Item IV, 4 (669 C): ὁ γὰρ ἐμὸς πάππος εἰώθει λέγειν ἑκάστοτε. At V, 5 vivit etiam et colloquens inducitur (678 E): εἰς μέσον ἤδη φθεγξάμενος ὁ πάππος ἡμῶν Λαμπρίας . . . εἶπεν.

Libro IX iam mortuum eum esse apparet. Libri III colloquia dum habentur, ipse Plutarchus modo est iuvenis, v. 649 A ἕκαστον ἡμῶν τῶν νέων, cum ceteri convivae provecta iam sunt aetate, modo certe iam vir maturus, siquidem (652 A) haud breve est elapsum tempus ex quo Aristoteli dedit operam. Libro II 10, 1 domi iam amplissimo fungitur honore, conferatur id quod III, 6, 4 Soclarus, Plutarchi amicus et aequalis, dicit: καὶ ἡμᾶς οὔπω παντάπασιν ἡ Ἀφροδίτη πέφευγεν, VI, 8, 3 semet ipsum Plutarchus τῶν πρεσβυτέρων unum esse fatetur (p. 694 D), cf. III, 4 sub finem: πυθοῦ παρὰ τῶν ἔτι συναναπαυομένων γυναιξίν. Verba haec sunt Mestrii Flori, quem triginta fere annis natu maiorem quam Plutarchum fuisse inde efficimus quod familiariter eo usus est Vespasianus: is enim lepido ioco eum petivit (χαῖρε Φλαῦρε). Atque p. 732 B Philo, qui, licet Plutarchi fuerit decessor in sacerdotio Delphico, tamen haud *multo* est maior quam ille, vetusto more veteres defendit medicos, et 733 F „multos *vidimus* seniores" ait; *vidimus*: ego, Plutarchus aliique aequales. Sub finem problematis 2 libri V non dissimulat. Plutarchus se

paulo infirmiore iam esse memoria, praesertim postquam vino indulserit. Denique confusa sunt in hac collectione colloquiorum tempora, quod haud mirum videbitur quo modo nata sit illa reputanti. Senex et sola memoria duce ex aliquot colloquiis epistolas componit Plutarchus quas ad Senecionem mittat, idque parvis intervallis temporis (singulis fere mensibus singulas fuisse conscriptas suspicor). Atque ita facile intelligitur qui factum sit ut liber VIII incipiat a colloquiis *ante annum* habitis, deinde multo vetustioribus suppleatur. Obstare hoc videtur, sed *videtur* tantummodo, quod p. 679 A. immemor eorum est scriptor quae 615 C narravit. Illic enim (679 A) Lamprias avus a *filio* suo factum esse ait quod hic (615 C) fecisse dicitur Timon, Plutarchi frater, Lampriae senis nepos. At primum, ut opinor, ea discrepantia nobis rem esse docet cum colloquiis, quorum pars quaedam ficta est, deinde, cum illud de *filio* Lampriae scribebat (in libro V id legitur), libri I—III (atque liber I nobis *nepotem* Lampriae exhibet) apud Senecionem sunt, neque ullum sibi exemplum servavit Plutarchus. Hoc vero egregie nobis explicat qua librorum suorum in lucem emitendorum ratione tunc philosophi usi sint. Deinceps brevibus intervallis colloquia sua convivalia mittit Plutarchus Senecioni, viro nobilissimo opulentissimoque, cui colligendi edendique curam tuto potest committere: agmina enim servorum literatorum habet Senecio, neque dubium est quin lubentissime sit usurus oblata sibi facultate nominis sui illustrandi atque ad sempiternam gloriam propagandi.

Addam his quaedam ex ipsis excerpta colloquiis quae mihi prae ceteris ipsius Plutarchi vitam mores doctrinam illustrare videantur.

p. 642 B Lepidissime iococissimeque hic Plutarchus disputat. Quaeritur quae causa sit cur equi a lupo morsi sint velocissimi. „Contrarium verum est'' ait Plutarchus: „quia erant velocissimi, ex ipsis sunt elapsi lupi dentibus: sic Ulysses non fugiendo e Cyclopis antro callidus est factus, sed calliditate sua Cyclopem decepit''.

Et omnino minime ab hilaritate hic „philosophus'' est alienus: in deliciis habet epulas amicorum, sed illas aptis conditas colloquiis (697 D). Neque tibias inde arcendas monet (L. VII pr. 7), vinum vero tamquam consultantibus non gratum solum sed et

utile praedicat (L. VII pr. 10). Quid quod cibi potusque (p. 746 E) patronam facit Thaliam: haec enim (ut disertissima ipsius venustissimaque afferam verba) κοινωνητικὸν ποιεῖ καὶ συμποτικὸν ἐξ ἀπανθρώπου καὶ θηριώδους.

Rigidos vero istos tristesque Stoicos ferre non post, non quod eorum placita aversetur (in rebus gravissimis inter Stoam et Academiam saepe magnus est consensus) sed quod ipsi vel maxime severa sua praecepta, simulatque lucelli aliquid voluptatisve ostenditur, missa faciant, quod sapientiam suam, etiam ubi minime opus est, obtrudant, denique quod semper et ubique molestissimi sint homines sed praecipue „comissatores [1]) haud sane commodi". Cognoscite nunc e Plutarcho (Q. C. VII, 7) illum βαθυπώγωνα σοφιστὴν ἀπὸ τῆς Στοᾶς, idem Plutarchi et Luciani („nomina quae stupeant quod deprendantur ibidem") de iis fuisse iudicium videbitis, neque iam dubitabitis qui veram eorum depinxerit imaginem uterque.

Quod autem ad philosophiam attinet, ipsissimum habetis Plutarchum p. 650 D, ubi Sullam, quem maximi facere solet, etymologia (eaque admodum absurda) utentem inducit ad demonstrandum quare senes tam facile inebrientur.

Nam vix quidquam Plutarcho magis fuit persuasum quam verba cum rebus simul nata atque rerum singularum naturam earum nominibus prodi. Ideo nullus eius liber etymologiarum fuit plenior quam ille *de anima*, cuius fragmentum tantummodo superesse est cur summopere doleamus: hic enim Plutarchus vel maxime eam philosophiae suae partem proponit quae ipsi visa est sanctissima. Atque Platonem nescio an nullam ob causam admiretur magis quam quod ἴχνεσι τοῖς ὀνόμασι τῶν θεῶν ἀνευρίσκειν οἴεται τὴν δύναμιν (746 B).

Et suo iure Platonem exornat laudibus: hunc enim totum tenet memoria. Cuius rei disertissimum hoc est testimonium quod (718 C), arrogantiae crimen non veritus, *nusquam* apud Platonem legi affirmat illud ὁ θεὸς ἀεὶ γεωμετρεῖ, quamvis sit ipsa sententia quam maxime Platonica.

Hoc est cur neque nos graviter feramus neque graviter tulisse

---

1) Sine vitio metrico lepidissimum versum Terentianum adaptare huic disputationi non potui.

convivas opinemur Plutarchum „satis pro imperio" vetantem Platoni audacter obloqui p. 700 B).

Academicum se et esse et dici Plutarchus ubique postulat sed nusquam disertius quam L. IX pr. 13, ubi a Protogene invitatus ineptum et impudentem Sospidis grammatici in Academiam impetum repellit. Et Protogenes quidem vehementi exardescit ira, placida lenique disputatione adversarium refutat Plutarchus, sed firmissime pro sua Academia pugnans tamen uberrime amico fervidiori satisfacit.

p. 746 B *ταῦτα δεδόξασται μὲν ἐοικότα τοῖς ἐτύμοισι.*

Xenophanis hunc versum in ore habere solebat Ammonius, ut opinor qualem ego nunc affero, a Karsteno correctum, nam traditum est *δεδοξάσθαι*, quod sensu caret. Hoc enim dixerat Xenophanes: „*veri* sapientes *opiniones* haec esse dicunt et *verisimilia*: verum esse aliquid et certo demonstratum simulati sapientes dicant". Hunc ergo versum afferebat Ammonius quoties de aliqua quaestione variae erant prolatae sententiae, ipse dubitare et *ἐπέχειν* malebat quam dirimere litem. Atque hunc se habuisse magistrum gratissimo animo recordatur Plutarchus.

Quid quod ipse quoque obscuram sibi dubiamque videri rem, de qua agatur, libenter pronuntiat. Omnino *πρὸς Φιλόσοφον δόξῃ τε καὶ δυνάμει πρῶτον* Platonem non vult *ἀπαυθαδίσασθαι* quemquam, minime vero in disputatione *περὶ πράγματος ἀδήλου καὶ τοσαύτην ἀντιλογίαν ἔχοντος* (700 B).

Hoc quoque vere Plutarcheum simulque Academicum quod identidem monentur homines ne credere nolint veram esse eam rem cuius causam rationemque non perspiciant. Ideo nullam praetermittit facultatem proferendi aliquod *πρᾶγμα πίστιν ἔχον ὅτι γίγνεται, τὴν δ' αἰτίαν ἔχον ἄπορον ἢ παγχάλεπον* (700 D). Nam de ea philosophiae ... atque theologiae (huc enim *Plutarcho auctore* omnis tendit philosophia) parte, quae omnium vel difficillima est, eam dico quae ad *miracula* pertinet, suam sibi informavit doctrinam eamque habet in deliciis Plutarchus. Accurate illam exposui, locosque quibus nititur attuli in: „de Avondzon"[2] p. 302—316 voluminis II.

Et, ut e libro nostro et leviora quaedam afferam, sed quae totam Plutarchi philosophiam lepidissime illustrent:

p. 744 B maior ille Plutarchus Ammonius suaviter ridet He-

rodem rhetorem qui de *numeris* docte et Pythagorice disputavit. In mentem hic nobis venit quod de se ipso narrat Plutarchus (de E Delphico p. 387 F): adolescens etiam *προσεκείμην τοῖς μαθήμασιν* (i. e. Pythagoricae de numeris sapientiae) *ἐμπαθῶς, τάχα δ' ἔμελλον εἰς πάντα τιμήσειν τὸ „μηδὲν ἄγαν" ἐν 'Ακαδημείᾳ γενόμενος.*

p. 740 B Acute, ut ipse putat, de versu quodam Homerico disputavit Lamprias Plutarchi frater, de quo sententiam suam dicere noluerat iratus Hylas grammaticus. Sed misere eum fallit spes praemii laudisque. Sequuntur enim haec: *γελασάντων δὲ ἡμῶν „ταῦτα μὲν" ὁ 'Αμμώνιος εἶπεν „ὦ Λαμπρία, κείσθω σοι πεπαιγμένα πρὸς Ὕλαν.* Eundem hic habemus adolescentulum Lampriam, cuius „aetiologiam" *de E Delphico* (386 A) suaviter idem ridet Ammonius.

p. 703 B Romanorum laudatur *φιλανθρωπία* ideo lucernam exstingui vetantium, quod licet ipsi iam non ea utamur, tamen utilis etiam esse possit aliis. Egregie hic locus docet quod primarium fuerit Plutarchi consilium cum *Quaestiones Romanas* scriberet.

Ipsa vero Plutarchi *vita* his praesertim locis illustratur:

p. 641 in fine Plutarchi patrem equorum fuisse amantissimum cognoscimus.

p. 678 C Quam frequentes tum fuerint philosophorum epulae apparet e verbis: (epulas apparabat) *τῶν φίλων ἕκαστος ἑστιῶν ἡμᾶς ἥκοντας ἀπὸ τῆς 'Αλεξανδρείας.* Non ergo est quod p. 727 B. *Σύλλας ὁ Καρχηδόνιος εἰς 'Ρώμην ἀφικομένῳ μοι διὰ χρόνου τὸ ὑποδεκτικόν, ὡς 'Ρωμαῖοι καλοῦσι, καταγγείλας δεῖπνον κτέ.* verba *διὰ χρόνου* urgeamus. Omne enim tempus lepidissimis illis philosophis longum videtur quod spem iucundi convivii differat. Nam Romae vixit Plutarchus fere ab anno 77 usque ad annum 92, sed paulo post adventum in *breve*, ut mihi videtur, tempus in patriam rediit (cf. „de Avondzon"[2] vol. I p. 13 sq.).

Et quoniam hic de Plutarcho Romae vivente loquor, epulaene illae Flori, de quibus 684 E legimus, Romae habitae sunt? Sic equidem opinor, quia alioqui locus esset additus, quemadmodum fit p. 734 D, ubi eo tempore Thermopylis idem Florus fuisse dicitur.

Denique quod saepe observavimus non ea laborasse diligentia

Plutarchum, quae nunc apud viros doctos in summo est honore, lepidum eius rei habemus exemplum in problemate 1 libri IV. Refutat ibi Philinum, qui contenderat simplicem multiplici victum ad sanitatem tuendam esse utiliorem et ad eam rem demonstrandam brutis animalibus usus erat exemplo Marcion, qui primum pulcherrimos Eupolidis affert versus e quibus apparet quam variae sint caprarum epulae ... hactenus egregie sed addit longam disputationem ad demonstrandum ... nihilo quam homines saniora esse bruta animalia. Similiter erratum est in libro *bruta ratione uti* paulo antequam abrumpitur. Sed haec est sophistica adolescentis Plutarchi ἐπίδειξις, nunc vero disputantes inducit doctissimos philosophos. Tam parum ipsam dialectices curat disciplinam, ubi gravior res agitur. Cf. „de Avondzon"[2] vol. I p. 64 et 379 et vol. II p. 37 sqq. ubi lepidissimam de duobus Iudaeis litigantibus retuli narratiunculam, quam et in praestantissimo posui libello quem scholarum in usum olim composuit Cobetus. (Grieksch leesboek voor eerstbeginnenden ed. 8ª nr. 388).

De singulis locis haec annoto:

612 E πρὸς τοῦτο γενόμενος. Eodem sensu *de Tranq. Ann.* c. 1 πρὸς οἷς ἐβούλου γενόμενος („cum ad eum laborem accessissem"). Dativus requiri videtur.

612 F Sic incipit scriptor πρῶτον δὲ πάντων τέτακται. Exspectes τετάχθω. Sed nihil muto, nam et libri II probl. 1 ab his fere incipit verbis: ἐν τούτῳ πρῶτόν ἐστιν ὃ κτέ., ubi ἔστω aptius videtur.

ib. Indignabundus Aristo rogat: „suntne homines qui philosophiam arceant epulis?" Neque minus indignabundus respondet Plutarchus: „οὐ γάρ εἰσὶν οἳ καὶ πάνυ σεμνῶς κατειρωνευόμενοι λέγουσι μὴ δεῖν οἰκοδέσποιναν ἐν οἴνῳ φθέγγεσθαι, quique Persas laudent quod cum meretriculis non vero cum iustis uxoribus conviventur saltentque, atque his exemplis usi contendant epularum comitem esse musicam et artem histrionalem non vero philosophiam?" Nonne apte et lepide hic adversariorum falsam refert comparationem? Sed quam absurda reddidit omnia qui ὥσπερ (ante οἰκοδέσποιναν) et φιλοσοφίαν (post φθέγγεσθαι) inseruit!

613 A [ἐν] οἷς μὲν ἐγὼ δεινὸς οὐχ ὁ νῦν καιρός· [ἐν] οἷς δ' ὁ νῦν καιρός κτέ.

A Cobeto inclusa quidni e textu expulsa sunt?

613 B Longis istis Isocratis periodis ἔμελλε Χαρίτων ἀνάστατον γενήσεσθαι τὸ συμπόσιον.

Plane necessarium est illud a Bernardakio additum τό.

ib. Si philosophiam arcemus epulis, arceamus et continentiam et iustitiam κατειρωνευόμενοι τὸ σεμνὸν αὐτῶν.

Illud κατειρωνευόμενοι e praecedentibus huc aberrasse et sede sua κατορρωδοῦντες depulisse suspicor.

613 D ἐκεῖναι hic refertur ad posterius commemoratas Nymphas, αὗται ad prius Musas. E praecedentibus ἀφήσομεν αὐτοὺς μύθῳ φιλοσοφεῖν iure W. μύθῳ expulit: μύθοις enim multo post demum locus est (614 D μυθολογίαις).

613 E Incultorum hominum convivium sic describitur ut esse dicatur eorum οἳ παντὸς μὲν ὀρνέου παντὸς δὲ νεύρου καὶ ξύλου μᾶλλον ἢ φιλοσόφου φωνὴν ὑπομένουσι.

Pro ὀρνέου Naberus coniicit ὀργάνου, iniuria ut opinor: instrumenta enim musica cum contemptu istis νεύρου καὶ ξύλου significantur.

614 D τὰ σώματα πινόντων δι' ὀρχήσεως καὶ χορείας νενόμισται σαλεύειν non vero armis depugnando vel disco iaciendo.

Eleganter pro primis vocabulis Graecis R. τὰ συμπόσια τῶν πινόντων reposuit.

614 F Grus vulpi apposuit coenam ἐν λαγύνιδι λεπτὸν ἐχούσῃ καὶ μακρὸν τράχηλον, ὥστ' αὐτὴ μὲν καθιέναι τὸ στόμα ῥᾳδίως καὶ ἀπολαύειν, τὴν δ' ἀλώπεκα μὴ δυναμένην κομίζεσθαι συμβολὰς πρεπούσας.

Ultima non intellexit interpres, vertit enim (δυναμένην κομίζεσθαι iungens): vulpe interim esuriente. Sic oportuit: at vulpes, quae(os inserere) non poterat, accipiebat a grue ea quibus digna erat.

615 A *ᾄδειν μὲν γὰρ ἴσως τὰ καλούμενα σκολιά, . . . οὐ καλὸν δ' οὐδὲ συμποτικόν.*

Non opus est multis verbis ad demonstrandum recte W. pro *ἴσως* reposuisse *ἔθος*, una litera (δ') id clara voce postulat.

615 B *τὰ σκολιά φασιν οὐ γένος ᾀσμάτων εἶναι πεποιημένων ἀσαφῶς.*

Haec non intelligo.

615 D Timon convivis permisit ut vellent discumbere *διὰ τὸ καὶ ξένους καὶ πολίτας καὶ συνήθεις καὶ οἰκείους καὶ ὅλως παντοδαποὺς τοὺς κεκλημένους εἶναι.*

Nisi recipis Reiskii *ἀσυνήθεις*, misere claudicat narratio.

615 E *εἰ γὰρ διετάττετο ἀπ' ἀρχῆς, ὥσπερ ἐκέλευον ἐγώ τὰς κλίσεις κτἑ.*

Et sententia qua opus est restituitur et vitatur durus hiatus, si *διέταττεν* legimus.

616 B Si ordine disponuntur convivae *τιμᾶται μὲν ὁ προέχων, ἐθίζεται δὲ δευτερεύειν ὁ δευτερεύων.*

Sic prudenter et venuste sententiam supplevit Doehnerus.

616 D Reprehendit Timon eum qui secundum dignitatem suum cuique convivae assignat locum utpote *τὰ μὲν ἄλλα πάθη πειρώμενον ἀνιέναι συνουσίᾳ, τὸν δὲ τύχηι ἐπισκευάζοντα.*

Hic si pro *τύχηι* reponis *τῦφον*, nihil deest, sed optime sic pergitur: *ὃν πολὺ μᾶλλον, οἶμαι, προσήκειν.* Etenim *ἐπισκευάζειν* est *instruere* et sic augere.

Quae in fine capitis leguntur lacunosa sunt, sed perlucet tamen sententia.

617 A Convivia sunt instruenda secundum morem usumque, *ᾗ καὶ προπόσεις καὶ προσαγορεύσεις ἀνέλωμεν, αἷς πρὸς τοὺς ἐπιτυχάνοντας* (*οὐκ εἰκῇ* recte supplet R) *οὐδ' ἀκρίτως ἀλλ' ὡς ἐνδέχεται μάλιστα χρώμενοι τιμῶμεν.*

Pro *μάλιστα* legatur *ἐμμελέστατα*, quod et W. voluit, quem illud *addidisse* parum recte editor refert: *ὡς ἐνδέχεται ἐμμελέστατα*

quam potest venustissime. Paulo post (B) ἐμμελές pro ἐμμελῶς est legendum: ἐμμελὲς καὶ φιλάνθρωπον.

617 D τοῖς δ' ἄλλοις (quos non opus peculiari aliquo honore afficere) δωρεὰς καὶ φιλοφροσύνην ἔλιπον ἀνάπαυλαν μᾶλλον τῆς τιμῆς.

Locus, u. o., desperatus. Ingeniose W. ἄλυπον pro ἔλιπον, cetera in integrum restituisse non videtur.

618 A τίς ἂν ... φείσαιτο φιλοσόφου ... ὥσπερ προεδρίας ἀπὸ ψηφισμάτων ἀμφικτυονικῶν διδόντος;

Iure illud ἀπό Reiskius inseruit.

618 B τὸν θεὸν ὁρᾷς, ὃν ἀριστοτέχναν ἡμῶν ὁ Πίνδαρος προσεῖπεν.

Pro absurdo ἡμῶν Reiskius coniecit ὑμνῶν, sed ὑμνῶν προσεῖπε quis dixit unquam?

618 F συνερείδοντες ἔπος παρὰ ζωπυρίων φλόγα μὲν ἀλλὰ κινδινεύουσι τὰ κάλλιστα.

Singulari acumine haec sic sanavit Bernardakius: συνερείδοντες ἔπος παρ' ἔπος ἀναζωπυρεῖν φλόγα μεγάλην κινδυνεύουσι τὰ μάλιστα. Receptam hanc lectionem in textum oportuit ut et 619 D illam Vulcobii: ἀπήρτηται· τῶν δὲ συνέγγιστα τόπων.

620 A μὴ περιιδεῖν ... ἔθος ἐκλειφθὲν παντάπασιν.

Recte lacunam editor voce παλαιόν explet.

620 D οἶνον ἀστεῖον.

Nunquam vidi sic vinum laudari.

621 A (τάχιον μεθύσκονται) ... ἀνέδην καὶ κατακόρως διάγοντες τῶν ἀσελγαινόντων.

Bene editor sic lacunam explet: οἱ μή.

621 B Qui coenam praebet convivarum odio debet esse nemini: οὔτε γὰρ ἐπιτάττων ἀνεκτὸς οὔτ' ἀπονέμων ἴσος οὔτε προσπαίζων ὅμως ἀνέγκλητος ἔσται.

Nescio an melius sit illud ὅμως quam quod editor coniicit

ὅλως. Hanc enim illud praebet sententiam: „*ne* si iocatur *quidem* sine reprehensione erit."

ib. *δέχομαι ... οὕτω μᾶλλον ἀπειργασμένον τὸν ἄνδρα.*
Pro *μᾶλλον* R. coniecit *καλόν*. Requiritur u. o. *καλῶς*.

εἰ δὲ χρήσομαι κατὰ πᾶν αὐτῷ καὶ μὴ καταισχυνῶ τοὔργον, οὐκ οἶδα.
Recte post *αὐτῷ* R. inseruit *τοιούτῳ*.

Talis enim coenae dominus videtur mihi *μὴ περιόψεσθαι νῦν μὲν ἐκκλησίαν δημοκρατικὴν νῦν δὲ σχολὴν σοφιστοῦ γενομένην.*
Immo *γιγνομένην* cum editore.

621 D Contra reponendum hic quod traditum est: *ἐπεὶ δὲ πανταχοῦ πλήσμιον καὶ πολλαχοῦ βλαβερὸν τὸ ἄκρατον.* Sed paulo post egregie editor (*ἡ μῖξις*) *ἀφαιρεῖ τἄγαν, ᾧ καὶ βλάπτει τὰ ἡδέα καὶ λυπεῖ τὰ ὠφέλιμα* pro *ἀφαιρεῖται ἄνω καὶ βλάπτει κτέ.*

621 E *ὑοσκύαμον λαβόντες οἴνῳ.*
Haud facile dicas utrum praestet Doehneri *ἐμβαλόντες* an editoris *προσλαβόντες*.

622 D Amor secundum Platonem *θεραπευτικὸν τὸν αἰσχυντηλόν* facit.
Primi vocabuli Graeci vis me latet.

622 F Candaules traxit *εἰς τὸ δωμάτιον τὸν ... τήν.*
Supplevit S. *Γύγην*, X *οἰκέτην*, uterque recte, sed editoris *οἰκέτην οὗ* quid sibi vult?

623 A Tria esse musices principia Theophrastus ait: *λύπην, ἡδονήν, ἐνθουσιασμόν, ὡς ἑκάστου τούτων τῶν παθημάτων παρατρέποντος ἐκ τοῦ συνήθους καὶ παρεγκλίνοντος τὴν φωνήν.*
Apte et perite sic (vel *τῶν παθῶν τούτων*) editor supplet *τῶν αὐτῶν* quod est in codicibus.

623 B *αἵ τε σφοδραὶ περιχάρειαι τῆς ψυχῆς τῶν μὲν ἐλαφροτέρων τῷ ἤθει καὶ τὸ σῶμα πᾶν ἐπαίρουσι.*
Absurdum est istud *πᾶν* et indicandum est *simul cum mente* corpus moveri. Lege ergo cum Reiskio *συνεπαίρουσι.*

623 C *αἵ τε βακχεῖαι ῥυθμοῖς χρῶνται καὶ τὸ χρησμῳδεῖν ἐμμέτρως παρέχεται τοῖς ἐνθεαζομένοις.*

Nescio an rectius hoc quam *παρέπεται* quod W. proposuit: artem versuum faciendorum *praebet* Apollo furore captis. Sed recipiendum erat quod coniecit. M. *Βακχαί* pro *βακχεῖαι.*

623 E Profert Philinus Alexandri magni commentarios in quibus saepe scriptum est:

τήνδε τὴν ἡμέραν ἐκ τοῦ πότου καθεύδων.

W. edidit *ἐκάθευδεν*, sed oratio recta (*καθεῦδον*) hic aptior. Cur B. *καθεύδων*, quod huc nullo modo quadrat, ediderit me latet.

623 F *δοκεῖ δὲ καὶ Καλλισθένης ἐν διαβολῇ γενέσθαι πρὸς αὐτόν, ὡς δυσχεραίνων δειπνεῖν διὰ τὸν ποτόν.*

Aut corrupta haec aut lacera: utique enim *δειπνεῖν παρ' αὐτῷ* requiritur.

624 A Mithridatis infantis *κεραυνὸς ἐπέφλεξε τὰ σπάργανα, τοῦ δὲ σώματος οὐχ ἥψατο πλὴν ὅσον ἴχνος τι τοῦ πυρὸς ἐν τῷ μετώπῳ κρατουμένῳ ὑπὸ τῆς κόμης μένειν αὐτῷ παιδί.*

Solo *κρυπτόμενον* et sententiae consulitur et vitatur hiatus.

καὶ ἀνδρὸς ἤδη πάλιν ἐπὶ τὸ δωμάτιον ἐμπεσὼν κεραυνὸς αὐτοῦ μὲν κατέπεσε καθεύδοντος κτέ.

Immo *παρέπεσε.* Vitii origo patet: *παρέπεσε καθεύδοντος.*

624 C Tiberii imperatoris amicorum *ὁ πάντας ἐν τῷ πίνειν προτρεπόμενος ἰατρός* deprensus est ante potum amygdalas edens.

Et tota sententia et praesertim praepositio *ἐν* docet recte editorem *παρερχόμενος* pro *προτρεπόμενος* coniicere.

625 A Cur senes meraciori potu gaudeant non plane explicant qui dicunt eorum *ἕξιν ... δυσεκθέρμαντον οὖσαν ... τῇ σφοδρότητι τῆς κράσεως ἐναρμόττειν.*

Immo *ἁρμόττειν.* Compositum recte legitur 626 B: *τὰ δὲ λεπτὰ προσπελάζοντα ταῖς ὄψεσιν ἀλύπως καὶ ὁμαλῶς ἐναρμόττει τοῖς πόροις.*

626 A Lacuna in verbis *Λαμπρίας δ' ὁ ἀδελφὸς τὴν Ἱερωνύμου ** οὐκ ἀνέγνωκεν ** εὐφυΐαν ἐμπεσών* quomodo sit explenda nemo facile dicat. Sed perlucet sententia: L. eo erat acumine ut idem diceret quod clarus ille Hieronymus, cuius tamen librum non legerat.

626 C Causa cur melius oleant rosae longe distantes haec est quod *τὰ μὲν θολερὰ καὶ γεώδη περιρρεῖ καὶ ὑποπίπτει, τὸ δ' εἰλικρινὲς καὶ θερμὸν αὐτοῦ* (odoris) *ὑπὸ λεπτότητος διασῴζεται πρὸς τὴν αἴσθησιν.*

Immo *καθαρόν.*

627 A *τοῦτό γε τῶν γεωδῶν Ἀριστοτέλης πάλαι διαλέλυκε.* Sensu cassum hoc exhibet editor Graecus, requiritur ipsum illud quod traditum est *τῷ γεωδεῖ.*

Ad idem C apte sic lacunosum locum explet: *τὸ μὲν οὖν παχυμερὲς τῆς θαλάττης οὐδὲν κωλύει γε τοῦτο ποιεῖν οὐδ' ἧττον πρὸς τὴν κάθαρσιν συνεργεῖ διὰ τὴν δριμύτητα,* nisi quod istud *γε* abesse malim.

627 D *μάλιστα φαίνεται καθαρὸν τὸ μάλιστα ξηρὸν γιγνόμενον.* Recte per secundo *μάλιστα* Doehnerum reposuisse *τάχιστα* contextus docet.

628 B *εἰ μὲν οὖν ἔφη πρὸς ἀπόδειξιν ἱστορίας ὁ ἀνα** εἰ δὲ τοῦτό γ' οὐ νοθεύει κτέ.*

Apte lacunam sic explet editor *ὁ ἀναγράψας ἱκανὸς εἶ, εἰ δὲ κτέ.* Cum Mullachio.

628 E *ταῖς Αἰσχύλου εἰς τὴν μεθορίαν ἐλεγείαις.*

Acute editor *τῶν Μαραθώνιων.*

629 A *σκοπεῖτε δὲ μὴ πιθανώτερον λέγεται τὸ παραμύθιον τοῦ ἐπωνύμου τῆς φυλῆς καὶ παραίτησιν εἶναι τὸ γιγνόμενον.*

Dele articulum *τό,* ut haec sit sententia: vide annon haec causa (cur tribus Aeaceae chorus nunquam ultimo loco ponatur) probabilior afferatur: hoc esse institutum ad consolandum et mitigandum cerebrosum illum Aiacem.

629 C Eorum quae ad coenam pertinent *τὰ μὲν ἀναγκαίαν ἔχει τάξιν . . . τὰ δ' ἐπεισόδια γέγονεν ἡδονῆς ἕνεκεν, χρείας μὴ συναγομένης.*

Ne commemorat quidem editor Reiskii emendationem: . . . *ἡδονῆς ἕνεκεν, μὴ χρείας, συναγόμενα* quamquam unice vera est et vel a W. probatur.

Horum exemplum est: *γελωτοποιός τις ἐκ Καλλίου Φίλιππος,* Hic quoque editor negligit certissimam Reiskii emendationem *ἐν Καλλίου.*

629 D *τοῦ μὲν προτέρου γένους τὸ περὶ τοῦ φιλοσοφεῖν . . . τοῦ δὲ δευτέρου περὶ τοῦ τοὺς ἐρῶντας ποιητικοὺς εἶναι.*

Ne contextum quidem inspicere opus est ut intelligas post *δευτέρου* inserendum esse cum Reiskio *τό.* Quae mox sequuntur ea Bern. recte supplet. Praesertim in illo supplemento probo illud *ἰδίᾳ συμποτικὰ . . . κοινῶς συμποτικά.*

629 E Ne mirentur legentes quod *σοὶ προσφωνοῦντές τινα τῶν προρρηθέντων ὑπὸ σοῦ συνηγάγομεν.*

Aut simplex *ῥηθέντων* hic est legendum aut *πρότερον ῥηθέντων.*

καὶ γὰρ ἂν αἱ μαθήσεις ἀναμνήσεις μὴ ποιῶσι, saepe tamen recordatio discendi habet effectum.

Absurda ista; lege cum W. *μὴ πάντως ὦσι.*

630 B *ἂν δὲ μὴ μόνον ἔχῃ τὸ ῥᾴδιον ἀλλὰ καὶ περιττὸν ἡ ἀπόκρισις, ἡδίων ἐστὶ τῷ ἀποκρινομένῳ.*

Insere *τό* ante *περιττόν.*

630 E *καὶ ταῦτ' οὖν ἐρωτῶντες χαρίζεσθαι.*

Apte editor *καὶ ταῦτ' οὖν ἐρωτῶντας ἔστι χαρίζεσθαι* hoc sensu: talia ergo rogantes gratum facere possumus. Sequentia quoque: *ὁ δ' Εὐριπίδης τοὐναντίον . . . φέρουσι* bene ab eodem supplentur.

631 B *πολλῶν λόγων ἀφορμὰς προσιέμενος.*

Immo *προϊέμενος* cum R. ut idem fere sit atque *προτείνων.*

631 CD *καὶ καθόλου . . . παρασκευῆς.*

Loci lacunosi sententia perspicua, incerta sanandi ratio, nisi quod *πρόσεστι* legendum pro futuro *προσέσται,* cui nullus hic locus.

631 E *λυπεῖ τοὺς σκωφθέντας ἡ τέρψις τῇ κομψότητι καὶ ἡδύνει τοὺς παρόντας.*

Leni emendatione repone: *λυπεῖ τοὺς σκωφθέντας τέρψις ἢ τῇ κομψότητι ἡδύνει τοὺς παρόντας*, aut, si hiatum metuis, *καθηδύνει.*

631 F *ἐν δὲ τῇ καλῇ Λακεδαίμονι τῶν μαθημάτων ἐδόκει, τὸ σκώπτειν ἀλύπως κτέ.*

Lege *ἐν δ' ἐν τῇ κτέ.* cum editore.

632 B Urbanum est obiicere alicui vitium quo omnes eum *non* laborare sciunt: *τὰ γὰρ οὐ προσόντα φαῦλα λέγοντες ἐμφαίνουσι τὰ προσόντα χρηστά. δεῖ δ' ὁμολογουμένως καὶ βεβαίως προσεῖναί τι χρηστόν· εἰ δὲ μή, τὸ λεγόμενον τοὐναντίον ἀμφισβητήσιμον ἔχει τὴν ὑπόνοιαν.*

Lege *τό* pro *τι* et *ἐναντίον* pro *τοὐναντίον*, et omnia erunt luce clariora.

633 D E *τινὲς δὲ ταῦτα πράως καὶ μετρίως φέρουσιν, ὥσπερ ὁ φίλος τοῦ Ἀντιγόνου τάλαντον αἰτήσας καὶ μὴ λαβὼν ᾔτησε προπομποὺς καὶ φύλακας „ὅπως" ἔφη „μὴ ἐπιβουλευθῶ προστάξας κατ' ὤμου τὸ τάλαντον φέρειν".*

Istud *ταῦτα* quo respiciat non intelligo; pro *προστάξας* W. *προσέτι δόξας*. Aliud quid latere videtur.

634 A Vocem *μετάδοσις* hic interpres vertit: „quaestionem", et certe hoc postulat contextus, sed ubi praeterea eam vim habet vocabulum Graecum?

634 B Exempli afferendi initium facit is qui loquitur a coniunctione *ὅταν*, cui praemittendum esse *οἷον* Reiskius vidit.

634 D *τῶν κωμικῶν ἔνιοι τὴν πικρίαν ἀφαιρεῖν δοκοῦσι τῷ σκώπτειν ἑαυτούς, ὡς Ἀριστοφάνης εἰς τὴν φαλακρότητα καὶ τὴν Ἀγάθωνος . . . λιψιν.*

Haec sic supplet editor: *εἰς τὴν φ. κ. τ. Ἀγάθωνος ἀπόλειψιν*, scilicet quia apud Aristophanem Bacchus de Agathone dicit: *ἀπολιπών μ' οἴχεται.* Multa et alia apud Aristophanem leguntur quae huc *non* faciant, Melius W. *καὶ Ἀγάθων εἰς τὴν θρύψιν* sed caret haec coniectura firmamento.

634 F *καὶ τὸ πρὸς Ἀθηνόδωρον κτέ.*
Recte editor illud *τό* inseruit.

635 E *ἀπειχόμην ᾠῶν πολὺν ἤδο**.*
Lacunam bene explet B. *ἤδη χρόνον.*

636 B *πρῶτον εἰκός ἐστι τὸ ᾠὸν γεγονέναι τῆς ὄρνιθος.*
Immo *πρότερον* cum R. Sequitur:
ἔστι γὰρ καὶ ἁπλοῦν, ὡς ἐν αἰσθητοῖς.
Sensus hic esse videtur: quantum sensibus (visu tactuque) diiudicare possumus, simplex res ovum est.

ib. B *λόγον ἔχει καὶ τοῦ ζῴου τὸ ᾠὸν γεγονέναι πρῶτον.*
Hic quoque *πρότερον* pro *πρῶτον* legatur.

636 C (Eruca) *ἕτερον πτερωθὲν δι' αὑτῆς τὴν καλουμένην ψυχὴν μεθίησι.*
Perite Leonicus *νύμφην* pro *ψυχήν* reposuit. Praeterea cum B. *πτερωτὸν ἐξ αὑτῆς* legendum esse arbitror.

637 A *καὶ τὸν σπερματικὸν λόγον ὁρίζονται γόνον ἐνδεᾶ γενέσεως.*
Quid sibi vult abstrusa haec et recondita sapientia?

637 C *ὡς γὰρ ἡ μήτρα πρὸς τὸ ᾠόν, οὕτω πάλιν τὸ ᾠὸν πρὸς τὸν νεοσσὸν πέφυκε.*
Lege pro priore *ᾠόν* cum R. *ἔμβρυον.* Non enim credibile consulto hic obscurum fieri Plutarchum duplici sensu idem ponentem vocabulum.

637 F *ὕστερον οὖν ἀνάγκη γεγονέναι τὸ θατέρου δεόμενον πρὸς τὴν γένεσιν.*
Sic recte B. coniicit pro tradito *δεῖ οὖν ὕστερον ἀνάγκῃ γεγονέναι.*

638 A *διὸ (τὴν) πρώτην γένεσιν εἰκός ἐστιν ἐκ γῆς τελειότητι καὶ ῥώμῃ τοῦ γεννῶντος αὐτοτελῆ καὶ ἀπροσδεᾶ γενέσθαι τοιούτων ὀργάνων καὶ στεγασμάτων καὶ ἀγγείων [μὴ δεομένην], ἃ νῦν ἡ φύσις ἐν τοῖς τίκτουσιν ἐργάζεται καὶ μηχανᾶται δι' ἀσθένειαν.*
Sic recte R. Malim tamen *τοσούτων* quam *τοιούτων.*

638 D *οὔτε γὰρ δρόμον οὔτε πυγμὴν ἐν παλαίστραις διαπονοῦσιν, ἀλλὰ πάλης καὶ παγκρατίου τὸ περὶ τὰς κυλίσεις.*

Necessaria est Wyttenbachii emendatio *πάλην*.

639 D *τἆλλα μὲν ἔφην ἀληθῶς λέγεσθαι, τὴν δ' αἰτίαν τῆς τάξεως οὐκ ἐπενδοῦν.*

Miror editorem Graecum non recepisse et ne commemorasse quidem Wyttenbachii emendationem *ἐπῄνουν*, cum praesertim suos codices *ἐπηνόουν* vel *ἐπήνουν* habere referat.

640 D Cortex tenuis et siccus non praebet *ἕδραν οὐδ' ἐμβίωσιν τοῖς ἐνθεμένοις*, (Immo *τοῖς ἐντιθεμένοις* cum Graeco editore) *ὥστε ὥσπερ τὰ Φλοιώδη καὶ νοτερὰ καὶ τὰ μαλακὰ .... περιπτύσσεσθαι.*

Tria haec (*Φ. ν.* et *μ.*) eundem locum hic tenent: insere ergo *τά* ante *νοτερά*.

640 E *ταῦτα δὲ τὰ δένδρα κοῦφα τοῖς ξύλοις ὄντα κρᾶσιν οὐ ποιεῖ διὰ τὸ μὴ κρατεῖσθαι μηδὲ μεταβάλλειν.*

Pro *κοῦφα* equidem contrarium exspecto.

641 B Mirum hic nomen *Χαιρημονιανός* legitur et suspectum quia continuo additur *ὁ Τραλλιανός*. Novimus enim istud in textu Plutarchi genus corruptelae.

641 B *ἐχενηὶς .... ἑάλω προσεχομένη τῷ τοίχῳ τῆς νεὼς ἔξωθεν.*

Mirum ni intra parietem sit deprehensa! Acute vereque Naberus *ὡς εἴωθεν*.

641 D *πολλὰ συμπτώματα ἐνόντα πάθεσιν αἰτιῶν λαμβάνει δόξαν οὐκ ὀρθῶς.*

Optime W. *ἔχοντ' ἐπακόλουθησιν*. „Post, non propter", hoc est quod Pl. hic docet.

641 E Navis recentis carinam, cum nondum sordium multum receperit, *εἰκὸς ὑπολισθάνουσαν ὑπὸ κουφότητος τῇ θαλάττῃ .... διαλαβεῖν τὸ κῦμα ξύλῳ καθαρῷ διαιρούμενον.*

Immo *ἐπολισθάνουσαν* cum R.

642 A *ὁ δὲ πατὴρ ἡμῶν ἥκιστα περὶ τὰς ἰσηγορίας αὐτοσχέδιος ὤν* . . . . .

Pro *ἰσηγορίας*, quod et W. corruptum putabat, Herw. *προσηγορίας*, Nab. *ἱπποτροφίας*. Speciosum hoc sed tamen haud, u. o., verum nam equis educandis patrem esse delectatum statim addit Pl. Unice verum videtur quod proponit B. *ἱστορίας*. Prudens senex nolebat comminisci aliquid de rebus quas usu cognoscere poterat.

Rectissime vero Naberus *τὰ λινόληπτα τῶν θηρίων* pro *λινόπληκτα*.

642 D *ταύτην δὲ τοῖς ἐρίοις τὴν δύναμιν* (sc. pediculos procreandi) *ἐγγίγνεσθαι πρὸς τὸ τοῦ λύκου δῆγμα καὶ τὸ πνεῦμα μεταβάλλοντος ἄχρι τῶν τριχῶν τοῦ σφαττομένου* aiebat Patrocleas.

Doehnerus: *μεταβάλλον τὰ ἄχρι τῶν τριχῶν*. Recte *μεταβάλλον*, sed istud *τά* quorsum? Tum pro *τοῦ σφαττομένου* legendum *τοὐσπαραγμένον*, et *τό*, quod ante *πνεῦμα* legitur, delendum.

642 E *ὅτι δ' αἱ κατὰ τὰς σφαγὰς καὶ τοὺς θανάτους τῶν ζῴων μεταβολαὶ μέχρι δερμάτων καὶ τριχῶν καὶ ὀνύχων διατείνουσιν, ἀποδηλοῦν εἴωθε τῷ λέγειν καὶ Ὅμηρος ἐπὶ τῶν δερμάτων καὶ τῶν ἱμάντων ὅτι φησὶν ἱμάς „βοὸς ἶφι κταμένοιο''.*

Deleantur *ὅτι φησὶν ἱμάς*, et pro *Ὅμηρος* legatur *Ὅμηρον* ut haec evadit sententia: „demonstrare id eo solebat Patrocleas quod et Homerus diceret e. q. s.''.

643 A Prave post *ἄλλοις* semicolon posuit B. pro virgula, quam W. habet. Sic enim decurrit sententia *τίν' ἔχει διαφορὰν* . . . . *μὴ προσέχοντα τοῖς ἄλλοις, ἢ τοὖθ' ὅπερ νῦν γίγνεται;* Et post *διαφοράν* dele *ἤ* cum Reiskio.

643 D Oportet *τὴν τῶν παλαιῶν φιλανθρωπίαν ζηλοῦν* . . . . *ἐν τιμῇ τιθεμένους*.

Immo *τιθεμένων* quod et postulat contextus et reddit interpres.

644 B *τεκμήριον δὲ τοῦ λόγου καὶ νῦν ἔτι τὰς θυσίας* . . . . *γίγνεσθαι*.
Insere *τό* post *λόγου*.

644 C Rogatur *ἀλλ' ὅπου τὸ ἴδιον ἔστιν, ἀπόλλυται τὸ κοινόν;* Respondeturque:

ὅπου μὲν οὖν μὴ ἴσον ἔστι. Sensu cassa haec supplet R. addendo *οὐδὲ δίκαιον ἔστι.*

645 B *ὅτι τὸ πίνειν εἰς τὸ λαλεῖν προάγεται τῷ δὲ λαλεῖν ἐμφαίνεται καὶ τῷ ἀπογυμνοῦσθαι πολλὰ τῶν ἄλλως λανθανόντων, παρέχει τινα τὸ συμπίνειν καὶ κατανόησιν ἀλλήλων.*

Recepto Reiskii supplemento *γνῶσιν* (post *συμπίνειν*), integer hic videtur locus neque recipiendum quod suadet W. *ἐμφαίνεταί τε καὶ ἀπογυμνοῦται.* Omnia vero pessumdedit editor Graecus *τῷ ἀπογυμνοῦσθαι* pro *τὸ ἀπογυμνοῦσθαι* legendo.

645 C Qui in convivio non id agunt ut aliorum examinent indolem ii *τὰ τοιαῦτα προβλήματα καὶ τοιούτους λόγους εἰσάγουσι συνιόντες* quibus peior mentis pars absconditur, melior fit confidentior.

Sic legendum cum B. et Emperio, nisi quod ille minus recte *τοὺς τοιούτους* coniicit.

645 F *καίτοι τό γε μύρον τοῦτε τῆς ἀνθινῆς ταύτης καὶ μαραινομένης ἐν ταῖς χερσὶ τῶν στεφανηπλόκων σπουδαιοτέραν ἀναδίδωσιν εὐωδίαν.*

Pro *καί*, quod sententiam perturbat, lege *τῆς*. An forte *odor* non item ut flos dici *μαραίνεσθαι* potest? Tum vel aures admonent vitium latere in repetitione *τοῦτο .... ταύτης*, sed clarius id apparebit si quid istud *τοῦτο* sibi velit rogaveris. Legendum *αὐτό* suspicor, ut *τὸ μύρον αὐτό* sit fere: „quotidianam et vulgare unguentum".

646 A Cibi exquisiti ad coenam admitti possunt, *ταῖς δ' ἄλλαις ἀκλήτοις καὶ σὺν οὐδενὶ λόγῳ Φιληδονίαις ἀπηλλάχθαι προσήκει.*

Lege cum Emperio et Bernardakio *Φιληδονίαις παρούσαις.*

ib. *τόν καλὸν ἄνθεσι Φλέγοντα [τοῖς] ῥοδίνοις στέφανον.*
Det. *τοῖς.*

646 B *ὑπολαβὼν δ' ὁ Ἐράτων „οὕτω γάρ" εἶπε „δέδοκται .... πάσχωμεν;"*

Interrogare Eratonem iam ex illo *οὕτω γάρ* efficis, deinde e toto contextu apparet. Sensit hoc interpres, sed et W. et B. semicolon pro interrogandi ponunt signo.

ib. *ἢ τὸ μὲν μύρον εἰκότως ἐδυσωπούμεθα καὶ τὴν πορφύραν κτἑ.* Suspectum est *μύρον*, ét quia illud *laudatum* modo est (645 F) ét propter sequentia *ὡς δολερὰ εἵματα καὶ χ ρ ί σ μ α τ α.*

646 C Absurdum est colores et odores *διὰ τὴν ἐπανθοῦσαν ἡδονὴν ταῦτα καὶ χάριν ἀτιμάζειν, ἂν μή τι χρειῶδες ἔξωθεν ἄλλο συνεπιφέρωσιν.*

Istud *ταῦτα* B. delet, sed unde intulit pedem?

Sequitur: *ἓν γὰρ αὐτὸ δοκεῖ τοὐναντίον, εἰ μηδὲν ἡ φύσις, ὡς ὑμεῖς φατε**, μάτην πεποίηκε, ταῦτα τῆς ἡδονῆς πεποιῆσθαι χάριν.*

Pro absurdo isto *ἓν* B. *μᾶλλον*, quod hic aptissimum, sed quomodo potuit in *ἓν* corrumpi? Codicum lacunam post *φατε* idem supplet *δήπου* addendo, fortasse recte, si revera hic excidit aliquid.

ib. *τοῦ δ' ἄνθους ὄφελος οὐδὲν ἐπιμένοντος, πλὴν εἴ τι χρωμένοις ἡμῖν ἐπιτερπὲς ὀσφρέσθαι καὶ ἰδεῖν ἡδὺ παρέχει, θαυμαστὰς μὲν ὀσμὰς ἀφιέντα, ποικιλίαν δ' ἀμιμήτοις χρώμασι καὶ βαφαῖς ἀνοιγόμενα.*

Verba *ἀφιέντα* et *ἀνοιγόμενα* delere B. velit. Verisimilior est transpositio qua W. utitur: *παρέχει ἀνοιγόμενα θαυμαστὰς μὲν ὀσμάς ποικιλίαν δ' ἀμιμήτοις χρώμασι καὶ βαφαῖς ἀφιέντα.* Quod a singulari *ἄνθους* subito ad pluralia *ἀνοιγόμενα* et *ἀφιέντα* transitur neque admodum molestum est et praebet eandem varietatem vocabulorum ordo traditus.

647 C *μάλιστα μὲν γὰρ ὁ ἄκρατος, ὅταν τῆς κεφαλῆς καθάψηται καὶ τονώσῃ τὰ σώματα πρὸς τὰς τῶν αἰσθήσεων ἀρχάς, ἐπιταράσσει τὸν ἄνθρωπον.*

Haec non intelligo: ecquid *πρὸς ταῖς .... ἀρχαῖς* legendum, „prope ab ipso sensuum principio"?

647 F *αἱ ὀσμαὶ .... ἁρπαζόμεναι ταῖς ὀσφρήσεσιν.*

Immo *ἀναρπαζόμεναι* cum B.

648 A *τὴν δ' ἄλυσσον καλουμένην βοτάνην οἱ λαβόντες εἰς τὴν χεῖρα, οἱ δὲ καὶ προσβλέψαντες μόνον, ἀπαλλάττονται λυγμοῦ.* Sic legendum: *οἱ λαβόντες* cum Doehnero pro *καὶ λαβόντες*, et transposito *μόνον*, quod olim post *χεῖρα* legebatur.

648 B Ammonius *οὐκ ἄξιον ἔφη ποικίλον οὕτω καὶ ἀνθηρὸν λόγον ὥσπερ στέφανον ἀντιλέγοντα διαλακτίζειν· „πλὴν ὅ τε κιττὸς οὐκ οἶδ' ὅπως συγκαταπέπλεκται ψυχρότητι".*
Turnebus *διαλακίζειν* ut sit „discerpere". Certe *calcandi* verbum hinc alienum.

648 EF *οἱ Φίλοινοι, μὴ παρόντος ἀμπελίνου, κριθίνῳ χρῶνται πώματι.*
Lepide sic contemnitur Germanorum „umor .... in quandam similitudinem vini corruptus" (Tac. Germ. 23).

649 A *οὗτος γὰρ αὐτῷ .... πολλὰ χρῆται.*
Immo *τὰ πολλά* cum B.

649 B *ὁ δὲ τοῦ κλήματος* (hedera) *σπασμὸς ἄλογός ἐστι.*
Haec non intelligo: *σπασμός* interpreti est „avulsio", num recte?

ib. *κυρτότητας ἴσχοντα καὶ παραβάσεις.*
De hederae ligno (*ξύλα*) agitur. Pro ultimo vocabulo *παρατάσεις* Madvigius; si quid mutandum, *παρεκβάσεις* malim.

ib. *ἀρρωστία τις καὶ ψυχρότης σώματος.*
Immo *πνεύματος* cum Reiskio.

649 D *τὰ δ' ὑδρευόμενα ἅτ' ἔχοντ' ἀεὶ τὴν τροφὴν διαρκῆ καὶ σύμμετρον ἀντέχει καὶ παραμένει ἀγήρω καὶ χλοερά.*
Rectissime illud *ἅτ' ἔχοντ'* B. inseruit.

649 E *οὐ γὰρ φθείρει τὸ οἰκεῖον ἀλλὰ προσίεται καὶ φέρει.*
Optime B. *τρέφει*, hoc enim, non *φέρει*. recte *τῷ φθείρει* opponitur.

ib. *ὥστε πολλοὺς τῶν ἐμπόρων, ὅταν ἐμπλήσωσιν ἀσκοὺς ὕδατος, ἐπὶ τούτων καθεύδειν ἀναψυχομένους.*

Sic satis ridicule olim edebatur, et sic vertit interpres. Nunc *εὐπόρων*, quasi vero utres aqua implere opulentorum tantummodo sit. Apte Naberus *ἐγχωρίων*.

650 C *πολύπορον γενονέναι καὶ τετμῆσθαι.*

Rectissime idem *τετρῆσθαι.*

650 F Apollonides hic *τακτικός* appellatur. Naberus *ἐνστατικός* malit. Certe hoc genus hominum huic tempori et his disputationibus aptius. Vide praeclarum caput in Lehrsii libro.

ib. *ψυχρότητος ἢ θερμότατον ἄκρατον ἀποσβέννυσθαι.*

Optime W. et B. *θερμὸν ὄντα τόν.*

651 A *εἶναί τινας ἔφησεν .... ἑτέρους δὲ μᾶλλον οἳ .....*

Immo *πάλιν* cum Emperio.

ib. Notetur *εἰς τοῦτο διειλεγμένοι.* Frequenter illa praepositio apud Plutarchum cum *disputandi* verbis iungitur.

651 B *αἵματος, ὃ πηγὴ μὲν εἶναι τῆς ἐν τῷ σώματι θερμότητος.*

Ipse contextus illud *ἔοικεν* flagitat, quod ante *εἶναι* inserit B.

ib. *τρίτον τοῦτο τὸ περὶ τὰς ταφὰς αἱρεῖ θερμότερα τὰ θήλεα τῶν ἀρρένων εἶναι.*

Insolite *αἱρεῖ* „demonstrandi" sensu. Abesse istud *τοῦτο* velim.

ib. *λέγεται γὰρ ὑπὸ τῶν σκευωρουμένων τὰ μὲν συντίθεσθαι παρὰ δέκα νεκροὺς ἀνδρῶν ἕνα γυναικὸς καὶ συνεξάπτειν.*

Pro *τὰ μὲν* M. *τάδε*, sed hoc est mortui curare reduviem. Altius haeret vitium, quod et W. vidit: sententia non bene decurrit.

651 D *πιμελῆς, ὃ δοκεῖ ψυχρότερον εἶναι τοῦ σώματος.*

Absurda haec correxit R. *ψυχρότατον* legendo.

651 E *τὴν δὲ ψιλότητα τίς ἂν εἴποι ὅτι θερμότητος οὐχὶ μᾶλλον ψυχρότητός ἐστι τὸ πάθος.*

Facessat hinc istud *τό.*

ib. Aptissime finem problematis supplet W.

651 F *τὸν δ' οἶνον ἐπιθυμῶ μαθεῖν, ὁπόθεν ὑπόνοιαν ἡμῖν τοῦ ψυχρὸς εἶναι παρέσχεν.*

Legendum esse *ὑμῖν* totum docet colloquium.

652 B *πῶς ἐπιχειρεῖς τὸ ψυχρὸν εἶναι τὸν οἶνον;*

Pro *τό* R. coniecit *τῷ*, parum recte u. o. Est enim *ἐπιχειρεῖν* „secundum dialecticae artis praecepta demonstrare".

652 C *ὁ δ' οἶνος ἠρέμα καταψύχων ἵστησι μεθ' ἡδονῆς καὶ ἀναπαύει τὴν κίνησιν ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον οὔσης αὐτῷ πρὸς ἐκεῖνα τῆς διαφορᾶς.*

Aptissime illud *αὐτῷ* W. inserit: „haec ratio intercedit inter *vinum* et frigus caloremque".

652 E *τοῖς δὲ πλείστοις εἰς πάρεσιν αἱ μέθαι τελευτῶσιν, ὅταν ἐκπλήξῃ παντάπασι τὸ θερμὸν ὁ ἄκρατος.*

Immo *ἐκπήξῃ* cum R.

652 F *ἐοίκασι τοῖς πρεσβύταις οἱ νέοι μεθύοντες.*

Recte Hirschigius *νέοι* inseruit.

ib. *ὄξος οἴνου τινός ἐστι φύσις καὶ δύναμις.*

Immo *τις* (R.).

653 A Rectissime B. vocem *ἐνούσης* adiecit huic interrogationi. *οἱ παλαιοὶ δ' οὐχὶ διὰ τοῦτο τῶν ἑρπετῶν τὸν δράκοντα καὶ τῶν φυτῶν τὸν κιττὸν ἀνέθεσαν τῷ θεῷ* (Baccho) *καὶ καθιέρωσαν ὥς τινος ψυχρᾶς καὶ κρυώδους δυνάμεως;*

653 C Xenophontis convivae dicuntur equis redire ad uxores *ἐπὶ συνοωσίας*, sed recte editor coniicit *ἐπὶ συνουσίᾳ.*

653 D *ἐπὶ σωφρονισμῷ .... καὶ ἀνακρούειν ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν.*

Nisi cum R. *ἀνακρούσει* legis, non cohaerent haec.

653 E Inter amicos et pocula *καὶ τὸ παραλέξαι μῦθον ἀμβλὺν ὄντα καὶ ψυχρὸν .... συμφέρει.*

Annotat editor *παραλέξαι* esse „obiter narrare". Vellem exemplum citasset. Certe ante *ἀμβλύν* inserendum est *καίπερ* (W.).

653 F *ἂν δ' οὕτως ἔχοντα τὸν ὄγκον ἡμῶν* (corpus vino concitatum) *γαλήνη μὴ παραλάβῃ καὶ ὕπνος, ἀλλ' ἕτεραι διὰ τῶν ἀφροδισίων κινήσεις, ἐκθλιβομένων καὶ μοχλευομένων τῶν μάλιστα συνδεῖν καὶ κολλᾶν τὸ σῶμα πεφυκότων, κίνδυνός ἐστιν ἀνέδραστον γίγνεσθαι τὸν ὄγκον ὥσπερ ἐκ θεμελίων γιγνόμενον.*

Lege *ἐκμοχλευομένων* cum Usenero, insere *οἶκον* post *ὥσπερ* cum Hutteno, lege *κινούμενον* cum Turnebo pro *γιγνόμενον*, denique mecum expunge ingrate repetitum *τὸν ὄγκον.*

654 D *πλεῖστον θεῶν αὐτῇ* (sc. *τῇ νυκτί*) *Ἀφροδίτης μετεῖναί φησιν ἐρωτικὸς ἀνὴρ Μένανδρος.*

Sic egregie lacerum locum supplevit Cobetus.

654 E *ἡ δὲ νὺξ .... κατευνάζει τὴν φύσιν οὐκ ἐξοκέλλουσαν ὑπὸ τῆς ὄψεως εἰς ὕβριν.*

Aptissimam haec Benseleri lectio (pro *ἐξοκέλλουσα*) praebet metaphoram. Sunt enim quaedam et *navium εὐναί.*

654 F *τὴν γὰρ ἑσπέραν τῶν πόνων ἀνάπαυσιν ἡμῖν οἱ θεοὶ δεδώκασι, τὸν δ' ὄρθρον ἀρχήν.*

Aptissimum hoc Bernardakii supplementum.

655 B *ἂν δὲ ἱκανῶς ἔχων τις αὑτοῦ καὶ μετρίως διακεχυμένος, τοῦ δὲ σώματος αὐτοῦ μαλακοῦ γεγονότος καὶ τῆς ψυχῆς παρεστώσης, διὰ χρόνου ποιῆται τὴν ἔντευξιν* (recte res se habet).

Recipienda erat Reiskii emendatio *αὐτῷ* (pro *αὐτοῦ*) et Herwerdeni *καθεστώσης* (pro *παρεστώσης*).

655 D De sententia quadam Epicuri et alia disputantur et haec:

τὸ δὲ μακάριον καὶ ἄφθαρτον ἔστω μένον οἷον αὐτῷ.

Pro *μένον* editor coniicit *μὲν ὄν*, quo parum proficimus. Lege *τ. δ. μ. κ. ἄ. ἔστω μὲν οἷον αὐτός*. Lepide nunc Epicurus ridetur, sequitur enim *μὴ φροντίζον τῶν καθ' ἡμᾶς*.

ib. *ἡμῖν δέ που νόμῳ πόλεως συνεπομένοις ἐξευλαβητέον ἐστὶν εἰς θέρος ἐμβαλεῖν.*

Neque haec intelligo neque Bernardakii coniecturam *εἰς θεῶν ἱερὸν προσεμβαλεῖν*.

ib. *„νέᾳ νέᾳ ἐφ' ἡμέρῃ φρονέοντας" κατὰ Δημόκριτον.*

Rectissime illud *νέᾳ* inseruit R.

655 E *ἐνδεκάτῃ μηνός.*

Mensis nomen excidit.

655 F *ἐπαινουμένου τοῦ οἴνου.*

Rectissime *εἰσαγομένου τοῦ οἴνου* Reiskius; *laudabitur* vinum postea demum.

656 A Absurdissimum est *ἔν τισιν ἐνίοις γράμμασιν ἀνεγνωκώς*. Sustulit vitium Turnebus *ἔναγχος* pro *ἐνίοις* legens.

656 B *ἥ τε βαρύτης ἐστὶ τοῦ γλεύκους .... ἡ διακόπτουσα τὴν κοιλίαν καὶ τὸ πολὺ συμμένειν πνευματῶδες καὶ ὑδατῶδες· ὧν τὸ μὲν εὐθὺς ἐκπίπτει βιαζόμενον, τὸ δὲ πέφυκε [τὸ ὑδατῶδες] ἀμβλύτερον ποιεῖν τὸν οἶνον.*

Inclusa iure delet Hirschigius. Pro *συμμένειν* Duebnerus coniecit *συμβαίνειν*, quod iusto est languidius. Requiritur fere *συνεισρεῖν*.

656 D Lege cum Reiskio *ἐκείνῃ δὲ τὸ συνεξαμαρτάνον ἔχοντες* sc. *τῇ διανοίᾳ*.

656 E *τοῦ οἴνου τὴν δύναμιν οὐδὲν κωλύει ποικίλην εἶναι καὶ τῇ ποσότητι συμμεταβάλλουσαν.*

Pro infinitivo lege participium, pro participio infinitivum: *οὖσαν .... συμμεταβάλλειν*

656 F Deleatur cum Reiskio repetitum *ἔνιοι*.

657 D *οὔτε γὰρ ἐᾷ νήφειν οὔτε καταδύειν παντάπασι τὸ ἀνόητον εἰς τὸν ἄκρατον.*
Dele *εἰς* et confer praecedens problema, cuius hoc est propositum ut demonstretur potatores fieri placidos cum *plane* sint inebriati.

657 E *ὁ παῖς ὑπήχει τὴν ἄκρατον.*
Pro absurdo vocabulo *ὑπήχει* apud W. est *ἐπέχει*.

658 A *ὡς οὖν ἐπαυσάμεθα δειπνοῦντες καὶ πάλιν ὁ Εὐθύδημος ἐπιμνησθεὶς τοῦ διαπορηθέντος „Μοσχίων" ἔφη „φησὶν ὁ ἰατρὸς τὴν σῆψιν τῆξιν."*
Adde *εἶναι* et dele *καί*.

ib. *θερμασίαν δὲ πᾶσαν .... κινεῖν τὰ ὑγρὰ καὶ κωλύειν.*
Pro ultimo vocabulo recte W. *χαλᾶν*, sed nonne nunc pro *ὑγρά* contrarium est legendum?

658 C *κρίνειν τὸ σύμπαν οὐ δεῖ.*
Egregie Madvigius *συμβάν*.

659 A *οἱ δ' ἀκμῇ τῆς σελήνης διακομιζόμενοι (πυροὶ) κόπτονται μάλιστα διὰ τὴν ὑγρότητα μαλακώτεροι γιγνόμενοι.*
Recte W. pro *μάλιστα* legit *τάχιστα*.

659 B *κἂν ἀποβάλῃ τὸ μέτρον* fermentatio totam massam corrumpit.
Lege ergo *ὑπερβάλῃ* cum editore Graeco.

659 D *τραύματα* (quae aereis fiunt cuspidibus) *ἧττον εἶναι δυσαλγῆ καὶ ῥᾷον ἰᾶσθαι.*
Recte R. *δυσαλθῆ*. Praeterea aut *ῥᾴω* legendum (licet sic durus nascatur hiatus) pro *ῥᾷον* aut statuendum Plutarchum *ἰᾶσθαι* *passivo* sensu adhibere, quod non prorsus incredibile v. mox ad 694 D.

659 F et 660 A consuletur contextui *δὴ δεῖ* legendo cum W. pro *δὲ δεῖ* et delendo *ἀλλ'* ante *ὅρα*.

660 B *τῶν μὲν ἄλλων ζητεῖν ἐκφορὰν κἀνελεύθερον ἂν εἴη καὶ φορτικόν*, non vero amicorum.

Lege *ἀνελεύθερον*, non enim repetitum *καί* huius est loci. Sed absurdior est hic *exequiarum* commemoratio. Lege *φοράν*: magnam copiam magnumque proventum.

660 C *λόγος .... τὸ φιλάνθρωπον .... ἐποχετεύει καὶ συνδίδωσιν.*

Lege cum B. *συνενδίδωσιν*.

660 C *ἐγκέραστον καὶ κεχαρισμένον.*

Acute B. *ἐπέραστον*.

Sequitur: *ἄν τις ἐμμελῶς ἅπτηται, καθάπερ σφραγῖδι φιλίας εὐτυπώτων καὶ ἁπαλῶν διὰ τὸν οἶνον ὄντων.*

Hiatum non metuens et aptum sensum et elegantissimam structuram repono *τῇ φιλίᾳ* pro *φιλίας* legendo.

660 D *τῶν παιδίων τῶν ἅμα τῷ Φιλίνῳ τὸ νέον.*

L. *τὸ νεώτατον*.

660 E Pro Sostrato latrone hic Zoroaster requiritur aliusve fabulosus sapiens.

661 A *εὔπεπτα καὶ εὐδιαφόρητα.*

Sic recte Hirschigius pro *εὐπόριστα*.

661 B *πρῶτον μὲν .... δεύτερον, οὐδεὶς κτέ.*

Insere *δέ* cum B.

661 C *τροφῆς εὐπαθέστατον .... μεταβάλλειν τὸ ἀφελὲς καὶ μονοειδές.*

Errat W. hic *μεταβάλλει* reponens, non enim adverbium est sed adiectivum quod praecedit, et *εὐπαθέστατον μεταβάλλειν* est *εὐπαθέστατον πρὸς τὸ μεταβάλλεσθαι*.

ib. *αἱ δὲ πολλαὶ καὶ ποικίλαι ποιότητες .... Φθείρονται πρότερον προσπίπτουσαι.*

Pro *πρότερον* apte Madvigius *πικρότερον*. Bruhnii *περιττότερον* non intelligo.

661 D *μᾶλλον ἂν ἐκ λόγων ὑπεναντίων γένοιτ' ἂν πίστις .... ἢ πέψις ἐκ διαφόρων ποιοτήτων.*

Pro priore *ἂν* B. *ἀνθρώποις* coniicit, ego illud *inserere* malim: duplex enim *ἂν* hunc locum decet. Post *πίστις* traditur etiam *καὶ κατάθεσις*, quod, ne lepidus verborum lusus *πίστις .... πέψις* pereat, delere praestat quam cum Turnebo in *συγκατάθεσις* mutare.

661 E *δεῖ τὸ σύμφυλον ἐκ πείρας λαβόντα χρῆσθαι καὶ στέργειν* monet medicus. Sed quid sibi velit istud *ἐκ πείρας λαβόντα* non video.

661 F Tragici versum *τὸ νήπιον ἄπληστος ἐών* optime B. emendat *τ. ν. ἄπληστον ἔχων.*

662 D Hic et 656 B *ἐπιχειρήματα* fere significet *τεκμήρια.*

662 F *τὸ δὲ δεύτερον Ὅμηρος ἀθετεῖ μάλ' ἐμπείρως.*
Sic cum Reiskio legendum pro *μᾶλλον ἐμπείρως.*

ib. Et aliis argumentis Philinum medicum refutare studet Marcion (ille qui tam belle se suis argumentis impedit ipse) et hoc:
καὶ μὴν τῇ τῶν νοσούντων διαίτῃ καλῶς ἐποίεις τὰ εὔπεπτα καὶ δύσπεπτα τεκμαιρόμενος.
Iam quod dicebam *refutandi* hic partes agere Marcionem, indicio est *κακῶς* hic requiri, et e reliqua Marcionis oratione id liquido apparet. Sed praeterea et vox *δύσπεπτα* suum sibi flagitat articulum. Effecerat enim medicus quae nutrimenta facile, quae difficulter concoquerentur.

663 A *ἐξ ὁμοίων καὶ ἀνομοίων ἀναλαμβάνει τὸ οἰκεῖον ἡ φύσις.*

Recte sic locum explesse Reiskium ipse contextus clamat.

Qui mox sequuntur versus Empedoclis, quaeque iis statim annectuntur recte a B. suppleti videntur.

Rogat Marcion: „quidni ergo vilissimis cibis potionibusque contenti sumus?" respondetque sibi:

663 D *ὅτι Φαίης ἂν .... εἶναι.*

Soloecam structuram et Plutarcho indignam corrige *ὅτι* abiiciendo.

664 A *ἑψήματα παντοδαπά.*

Naberus *ὀψήματα* malit. Cur?

664 B *ἦσαν οὖν οἱ Φάσκοντες ὑπὸ βροντῆς τὴν γῆν διίστασθαι, καθάπερ ἥλῳ τῷ ἀέρι χρωμένην.*

Non, opinor, terra diffindit, sed tonitru, instrumentoque utitur aëre (vento). Lege ergo *χρωμένης.*

664 C *ἰσχυρίζετο τῇ ἱστορίᾳ.*

Haec sic interpres vertit: „rem veram esse contendebat". Fortasse recte, sequitur enim: *καὶ τὸ θαυμαστὸν ἠξίου μὴ ἄπιστον ἡγεῖσθαι.*

ib. *τὰ ἄκρα τῶν ἱ σ τ ί ω ν καταδιΦθεροῦσι.*

Quamvis sim *ἄπειρος, ἀθαλάττωτος, ἀσαλαμίνιος,* tamen arridet Reichardtii *ἱστῶν.*

664 F *τὰ τὴν ἶριν ἐξανθοῦντα νέΦη, καθ' ὧν ἂν ἐπερείσῃ ξύλων, εὐωδίας ἀναπίμπλησι.*

Pro *καθ' ὧν ἂν ἐπερείσῃ ξύλων* W. *καθ' ὧνπερ ἂν ὕσῃ ξύλων,* nescio an perverse: certe abesse istud *περ* debebat, tum *τὰ νέΦη ὕει* puerile videtur, postremo, si cui libuerit in indice Plutarchi vel in aliquo lexico quaerere, mox aliquot inveniet locos ubi *ἐπερείδειν* *intransitivo* sensu est positum. Quodsi nullum invenerit, tamen dubitandum non erit quin hic eo sensu adhiberi potuerit ut „incidere, incumbere" significet.

665 A Sic Dorotheus narrat: *οἶδα, κεραυνοῦ παρ' ἡμῖν εἰς*

οἰκίαν ἐμπεσόντος καὶ πολλὰ θαυμαστὰ δράσαντος (sequitur in parenthesi illorum *θαυμαστῶν* enumeratio) *Φιλοσόφῳ δὲ παρεπιδημοῦντι Πυθαγορικῷ προσελθόντα καὶ διαπυνθανόμενον.*

Excidit participiorum ultimorum subiectum, quod quale fuerit incertum: si *παρ' ἡμῖν* est: „in nostra patria" et *εἰς οἰκίαν* „in aedes quasdam", desideratur fere *τὸν οἰκοδεσπότην*; si *παρ' ἡμῖν εἰς οἰκίαν* est: „in aedes nostras (paternas)", deest *τὸν πατέρα,* quod ante *προσελθόντα* facile a librario potuit negligi (*τ̀ πρα̅*).

665 D His omnibus miraculis enumeratis breviterque explicatis sic „perorat" idem:

ἐμοὶ γὰρ ἄχρι τούτου γῆς αἰτίας ὥσπερ δάφνης παρατετρώχθω· τὰ δὲ λοιπὰ τοῦτον (Plutarchum) *παρακαλῶμεν.*

Et „perorationis" ratio et sequens *δέ* pro *γάρ* rescribi *μέν* iubet.

665 E Sequitur exemplum illud, quod in deliciis fuisse Plutarcho apparet, pictoris qui, cum piscium esset amantissimus, Scyllam pingens praesertim piscibus, quibus cincta erat illa, dedisset operam: *οὕτω* (ait idem Dorotheus) *Φήσει τις καὶ ἡμᾶς ὑφ' ἡδονῆς Φιλοσοφήσαντας περὶ τῶν ὕδνων.*

Quoniam deest infinitivus, quem in lacunoso qui sequitur loco latere non est verisimile, apte W. reposuit *Φιλοσοφῆσαι.* Lacuna vero ista quomodo sit supplenda non video. Bernardakii supplementum non intelligo.

ib. *ἐμοῦ δὲ παρακελευομένου καὶ λέγοντος καιρὸν εἶναι .... παρὰ πότον διαλέγεσθαι περὶ κεραυνῶν.*

Quandoquidem non hortatur Plutarchus sed ipsum hortantur alii, vitium crepat locus. Bernardakii emendatio *ἐμοῦ δὲ παρακελευομένοις λέγοντος ἄκαιρον κτέ.* paulo languidior videtur. Praefero quod proponit W. *ἐμοῦ δὲ παραιτουμένου καὶ λέγοντος.*

665 F Citantur verba Democriti, sed tam lacera ad nos pervenerunt ut de iis supplendis desperandum videatur.

666 B *ἐν τοῖς ὕπνοις (τὸ ζῷον) ἐξανεῖται καὶ μανὸν καὶ ἀνώμαλον καὶ ἄτονον καὶ διακεχυμένον, καὶ πόρους ἔσχηκε πολλούς.*

Lacera haec et corrupta in integrum erunt restituta si rece-

perimus Bernardakii emendationem *μανὸν ὂν* (pro *καὶ μανόν*) et *ἀπαλόν* pro *ἀνώμαλον*.

666 D *παρὼν ἐκ Χαιρωνείας ὁ Σόσσιος Σενεκίων.*

Quasi vero vir ille vitae tabernacula Chaeroneae posuerit et non Romae omnium honorum peregerit cursum! Lege cum Volkmanno *ἐν Χαιρωνείᾳ*. Quam gaudebit vir ille consularis, cum se commemoratum videbit inter celeberrimi philosophi amicos et discipulos, et quam strenue dabit operam ut liber ille quantocius in quam plurimorum hominum perveniat manus!

Ille ergo Senecio *ἄλλων τε πολλῶν λόγων* (aptissima haec Bernardakii lectio) *τῇ τόθ' ἑορτῇ πρεπόντων παρέσχεν ἀφορμὰς καὶ περὶ τῆς αἰτίας, δι' ἣν πλεῖστοι τῶν ἄλλων ἐπὶ τὰ γαμικὰ δεῖπνα παραλαμβάνονται διηπόρησε.*

Non tangendum illud *ἄλλων*. Brevitate haud invenusta *πλεῖστοι τῶν ἄλλων* dictum est pro *πολλῷ πλείους ἢ ἐπὶ τὰ ἄλλα*.

666 E *ὁ γὰρ εἰπὼν περὶ τῆς αἰτίας αὐτῆς τῶν παλαιῶν φιλοσόφων οὐδέν, ἐμοὶ γοῦν κριτῇ, πιθανὸν εἴρηκεν.*

Pro *αὐτῆς* R. *ταύτης*, quod magis placet quam eiusdem *εἷς τις* pro eodem.

666 F Comici *τοὺς πολυτελῶς καὶ σοβαρῶς λαμπρότητι δείπνων καὶ παρασκευῆς γαμοῦντας, ὡς οὐ βεβαίως οὐδὲ θαρραλέως ἐπισυνάπτουσι.*

Pro ultimo vocabulo lege *γαμοῦντας διασύρουσι*, habebis sententiam comico dignam: „qui nuptias magna celebrant pompa ultro declarant vereri se ut firmae hae sint nuptiae".

De Menandri dicto, quod continuo additur, desperandum videtur.

667 C Aedepsus *χωρίον ἐστὶν αὐτοφυὲς πολλὰ πρὸς ἡδονὰς ἔχον ἐλευθερίους.*

Immo *αὐτοφυῆ*: multa ibi ex eo genere sponte nascuntur.

668 A *οὐ φιλόβοτρυν οἷος Ἀρκεσίλαος.*

Recte adiuncta haec erunt praecedentibus, si pro *οὐ* cum B. legeris *οὐδ' αὖ τόν*.

ib. *τοὺς περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀ ν α δ ι δ ό ν τ α ς ἑκάστοτε καὶ τοῦ κώδωνος ὀξέως ἀκούοντας.*

Cur male sanum istud retinetur etiam cum tamen praeclara Cobeti emendatio *ἀλύοντας* nota sit?

668 E Philosophi „elpistici" nihil spe magis vitam sustentare demonstrant *τῷ ἀπούσης ἐλπίδος οὐχ ἡδυνούσης οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι τὸν βίον.*

Illud *ἀπούσης* Xylandri est (pro *πάσης*), praeterea pro *οὐχ* R. malit *οὐδ'*. Mihi *οὐχ* retinendum videtur sed *πάσης* (X. *ἀπούσης*) una litura delendum, quo facto eundem habebimus hiatum quem in *τῷ ἀπούσης*, sed sententiam multo venustius enuntiatam.

669 B *τὰ δ' ὑφαλμυρίζοντα μετρίως τῶν σιτίων .... πᾶν μὲν οἴνου γένος ἡδὺ τῇ γεύσει καὶ λεῖον ἐπάγει, πᾶν δ' ὕδωρ προσφιλὲς παρέχεσθαι ἄλκιμον.*

Ultima recte B sanat *παρέχει καὶ ἄλυπον* legendo; eleganter enim inter se opponuntur *ἡδὺ καὶ λεῖον* et *προσφιλὲς καὶ ἄλυπον.*

669 D *ᾗ καὶ σφάττοντες* (terrestria animalia) *ἐδυσωποῦντο φωνὴν ἀφιέντα γοεράν.*

Quinam homines in *tertia* verbi persona latent, et cur istud praeteritum? Legendum *δυσωπούμεθα* arbitror.

670 A *ἢ τὴν φύσιν ἀ μ ο υ σ ό τ ε ρ ο ν.*

L. cum Hirschigio *μυσαρώτερον*, nam *specie* hic animalia inter se comparantur.

ib. In honore Aegyptiis est *ἡ ὗς· πρώτη γὰρ σχίσασα τῷ προὔχοντι τ ῆ ς ὀ ρ υ χ ῆ ς τὴν γῆν ἴχνος ἀρόσεως ἔθηκε.*

Lege cum R. *τοῦ ῥύγχους*. Causa corruptelae manifesta.

670 B Aegyptii *ἐπακολουθοῦντες* (Nilo recedenti) *τὰς ὗς κ α τ έ β α λ ο ν.*

Egregie Hirschigius *εἰσέβαλον* (an *εἰσέβαλλον*). Non inserendum post *ἐπακολουθοῦντες* cum Reiskio *καὶ σπείροντες*, nam describitur *aratio.*

670 C τὴν δ' ἶβίν φασιν ἐκκολαφθεῖσαν εὐθὺς ἕλκειν δύο δραχμάς.
Lege ἐκλεφθεῖσαν.

670 E Lacunam hic apte supplet Frankius.

670 F ὥστε μηδὲν οὕτω μηδὲ μικρὸν μεγάλῳ τὴν μορφὴν ὅμοιον γεγονέναι (quam est lepus asino).
Dele cum Doehnero μηδέ.

ib. εἰ μὴ νὴ Δία καὶ πρὸς τὰς ὁμοιότητας αἰγυπτιάζοντες τὴν ὠκύτητα τοῦ ζῴου θεῖον ἡγοῦνται.
Sensu cassa haec, nam de *solis* Aegyptiis toto hoc loco sermo est, et quid sibi istud π. τ. ὁ. velit nemo dicat.

ib. μάλιστα οἱ Ἀσιανοὶ (recte hoc supplet D.) βάρβαροι τὰς ἐπιλευκίας καὶ λέπρας δυσχεραίνουσι καὶ τῇ προσβολῇ τὰ τοιαῦτα καταβόσκεσθαι τοὺς ἀνθρώπους οἴονται.
Male ultima sic vertit interpres: „quas putant esu harum carnium ascisci". Verum sensum sic medicus reddiderit: „quos morbos contagiosos esse putant" (morbi καταβόσκονται τοὺς ἀνθρώπους).

671 C Phanoclis poetae versum egregie Emperius restituit legendo:

εἶδος θεῖον Ἄδωνιν ὀρειφοίτης Διόνυσος
ἥρπασεν κτέ.

671 E ὀλίγαις δ' ὕστερον ἡμέραις ἄλλην ἑορτήν, οὐκ ἂν δι' αἰνιγμάτων ἀλλ' ἄντικρυς Βάκχου καλουμένην, τελοῦσιν.
Pro οὐκ ἂν legendum οὐκέτι videtur: „non iam (ut priorem)".

671 F οὓς αὐτοὶ Λευίτας προσονομάζουσιν.
Aut simplex ὀνομάζουσιν aut προσφωνοῦσιν legendum est.

672 A ὅταν σάββατον τιμῶσι.
Insere articulum cum R.

672 B *καὶ ὁ δεικνύμενος ἐν τοῖς ἐναντίοις τοῦ νεὼ θύρσος ἐντετυπωμένος.*

De voce *ἐναντίοις* dubito.

ib. *μέλι μὲν οὐ προσφέρουσι.*

Dele cum W. *μέν*, cui nullum in sequentibus *δέ* opponitur.

672 E *τοὺς οὐδὲν ἴδιον τῇ ψυχῇ τερπνὸν οὐδὲ χαρτὸν οὐδ' αἱρετὸν ὅλως, ἀλλ' .... οἰομένους κτἑ.*

Iure post *ὅλως* Turnebus *ὑπάρχειν* inserit.

673 A Post epulas homines docti delectantur et aliis rebus et:

τῷ ζητεῖν τι ἀκούειν τῶν περιττῶν.

Recte fortasse post *τι* Madvigius *ἢ* inserit: rogando vel audiendo.

673 B *θέσεις ὀνομάτων ἐν ἀριθμοῖς ὑποσύμβολα προβάλλοντες.*

Quid hic lateat nescio, latere aliquid sentio.

673 C *περὶ ὧν ἐγένοντο λόγοι ....*
reliqua sententia non bene decurrit, nihil enim praebet quod pronomini relativo respondeat.

ib. *οἱονεὶ Φιλολόγοις κτἑ.*

Non opus coniunctione *εἰ* sed praepositio requiritur. Lege ergo cum B. *οἷον ἐν Φ.*

673 E *εἰ γοῦν παιδίῳ μικρῷ προθείη τις ὁμοῦ μικρὸν μὲν ἄρτον, ὁμοῦ δὲ πεπλασμένον ἐκ τῶν αὐτῶν ἀλεύρων κυνίδιον ἢ βοΐδιον κτἑ.*

Recte expunxerunt W. *μικρῷ*, B. *μικρόν*, nam quantus sit panis vel quam parvus puer nil refert, et *ὁμοῦ μέν* nullo interiecto vocabulo praecedere debet sequente *ὁμοῦ δέ.*

674 B *τί παθόντες .... τὴν ὗν τὴν Παρμένοντος οὕτως ἐθαύμασαν ὥστε κτἑ.*

Verbi *ἐθαύμασαν* subiectum excidisse videtur. Item D verbi *ἀντέσχον*. An utrobique tertia persona plurali nostrum „men" significatur?

674 F Notetur forma *ἤμην*, admodum rara apud Plutarchum.

675 A Exspectabant omnes me prisca et casca prolaturum: *καταβαλὼν δὲ ταῦτα τῷ διατεθρυλῆσθαι ὑπὸ τῶν γραμματικῶν .... εἶπον κτέ.*

Num *καταβωλών* vertere licet „omissis", ut vertit interpres? Non opinor, sed *ἐκβαλών* vel *ἀποβαλών* legendum opinor.

ib. pro *ἀγῶνα ποιήματος* quod nihili est, iure Herwerdenus *ἀ. ποιημάτων* reposuit.

ib. Insigne exemplum hiatus mira vocabulorum dispositione vitati haec verba praebent: *πολλῶν .... τὸν βεβαιωτὴν ὡς ἀπίστου καὶ παραλόγου τῆς ἱστορίας ἀπαιτούντων.*

675 E *Πραξιτέλης μὲν οὖν ὁ περιηγητής τὸ μυθῶδες ἐ π ῆ ρ ε ν.* Quid est *fabulosa attollere*? Verborum strepitus inanis, ut opinor. Sensum intulit Naberus leni correctione *ἐπῆγεν.*

ib. *κοινῶς δ' ὑπὸ πολλῶν λεγομένων .... Λουκανίου δὲ προστιθέντος αὐτὸ τοῦτο ζήτησιν παρεῖχεν.*

W. correxit *λεγομένου.* Quid suo *λεγόμενον* velit editor scire pervelim.

676 C *οὐ γὰρ ἐχθὲς ἡ πίτυς ἐνταῦθα καὶ πρῴην στέμμα γέγονε.* Quis adiici his ferat *τῶν Ἰσθμίων* cum *ἐνταῦθα* dictum sit satis diserte? Est enim Plutarcheo more positum pro *ἐνθάδε* et *ἐν Πυθίοις ἐγίγνοντο λόγοι*, ab his verbis incipit pr. II.

676 D Corinthiis ad bellum navale proficiscentibus *ἐνέβαλόν τινες οὐ σέλινα κομίζοντες.*

Sensu cassa haec, et e sequenti narratione apparet *adfuisse* apium. E *τινες οὐ* equidem *ἡμίονοι* effecerim, ut *ἐνέβαλον intransitive* sit positum.

676 E Epigramma cum eius explicatione egregie a Madvigio correctum vide in ann. crit. Sed cur illud *σκολιὸν ἐπίγραμμα* dicatur me fugit.

676 F *ὁ τοῦ σελίνου στέφανος .... ἠμαύρωσεν ἐκεῖνον ὡς ἱ ε ρ ὸ ν ἐ π ι τ ή δ ε ι ο ν.*

Ultima bene sic R. correxit: *ὡς ἱεροῖς ἀνεπιτήδειον*. Sed praeterea pro *ἐκεῖνον* legendum est *ἐκείνην* (*τὴν πίτυν* e qua olim fiebant coronae).

677 A Euphorionis poetae obscuri versus quomodo sint in integrum restituendi neque scio neque magnopere curo.

677 C De verbis Homericis *ζωρότερον δὲ κέραιε* et disputabant alii et Niceratus *ἄντικρυς ἀπισχυρίζετο μὴ ἄκρατον ἀλλὰ θερμὸν εἰρῆσθαι τὸ „ζωρόν" ἀπὸ τοῦ ζωτικοῦ καὶ τῆς ζέσεως.*

At nullus vocabulo *θερμός* locus hic et aliquanto post *tamquam novum* hoc profertur *ζωρόν* esse *θερμόν*. At hic pro *θερμόν* legatur *νέον* aliudve adiectivum in eam sententiam, tum apte sequetur: *ὃ δὴ καὶ λόγον ἔχειν, ἀνδρῶν ἑταίρων παρόντων νέον ἐξ ὑπαρχῆς κεράννυσθαι κρατῆρα.*

677 F Puerile est nolle concedere in illo versu *ζωρόν* esse *ἄκρατον ὡς ἐν ἀτόπῳ τινὶ τοῦ Ἀχιλλέως ἐσομένου.*

E verbis notatis vix aptum extundo sensum.

678 D *ἐφάνη μοι τὸ λεγόμενον ὑπὸ Πλάτωνος „αὐξανομένην πόλιν οὐ πόλιν" συμποσίῳ δεδόσθαι.*

Quidni ultima sic *κἀπὶ συμποσίῳ λελέχθαι* emendemus? Nimiis uti videtur ambagibus W. ut eodem perveniat.

678 E *ἔστι γάρ τις οἶμαι καὶ φιλανθρωπίας ἀκρασία* (verba haec Lampriae avi sunt) *μηδένα παρερχομένης τῶν συμποτῶν.*

At, obsecro, qui potest aliquis *τοὺς συμπότας praeterire* i. e. *non invitare*? Non est in rerum natura quae facta sunt infecta reddere, atqui convivae iam *sunt* invitati. Lege ergo *γνωρίμων* aliudve vocabulum in eandem sententiam.

679 A „Multorum convivium est paucorum convivium". Hoc paradoxon lepidus senex sic defendit: *καὶ κατὰ δύο γὰρ ἢ τρεῖς ἀπολαμβάνοντες ἐντυγχάνουσι καὶ προσδιαλέγονται.*

Abiiciatur prius *καί*.

679 C *οἱ γὰρ σπανίως .... ἑστιῶντες ἀναγκάζονται τὸν ὁπωσοῦν ἐπιτήδειον ἢ γνώριμον καταγράφειν.*

„Tristis" hercle „necessitas" amicos tuos picturis exornandi! Lege, ne pueri instar senex noster balbutiat, *ἐγγράφειν* vel *καταλέγειν* pro *καταγράφειν*.

ib. Qui saepius paucos simul invitant *ὥσπερ πορθμεῖα τὰ συμπόσια κοῦφά τε ποιοῦσι*.

Herwerdenus *κουφότερα*. Malim *τε* delere, *κοῦφα* non tangere.

679 D *ἐπιτήδειοι δὲ τῷ μὲν ἡγεμόνι δειπνίζοντι συνδειπνεῖν* sunt magistratus nobilesque.

Egregie Naberus *ἡγεμόνα*. Novimus quam grave sit negotium in provincia recipiendi proconsulis legative.

Nec minus egregie in sequentibus: *ἐν δὲ ταῖς τοιαύταις ὑποδοχαῖς ἢ προπομπαῖς τοὺς ἐκείνων μάλιστα κεχαρισμένους εἰς ταὐτὸ συνακτέον* Turn. *ἐκείνῳ*. Est enim *τοιαύταις*: „quale est hoc convivium". Cum peregre aliquis redit vel proficiscitur, epulis, quas in *illius* honorem paramus, ii potissimum sunt adhibendi, qui *illi* sunt accepti.

οὐδὲ γὰρ θεῷ θύοντες πᾶσι τοῖς ἄλλοις θεοῖς, μάλιστα καὶ συννάοις καὶ συμβώμοις, κατευχόμεθα, ἀλλὰ τριῶν κρατήρων κιρναμένων τοῖς μὲν ἀπὸ τοῦ πρώτου σπένδομεν τοῖς δὲ ἀπὸ τοῦ δευτέρου, τοῖς δὲ ἀπὸ τοῦ τελευταίου.

Pro *τοῖς μέν* R. *τῷ μέν*, recte fortasse, dummodo et bis pro *τοῖς δέ* legatur *τῷ δέ*. Sed certum est pro *μάλιστα καὶ* cum eodem legendum esse *μ. δὲ τοῖς*. Praeterea pro *ἀλλά* l. *καί*. Nihil enim *opponitur*, sed novum exemplum *additur*.

680 B *ὁ Ἐπαμεινώνδας τὴν φάλαγγα . . . ἐξέλυσε.*

Lege cum X. *ἐξείλισσε*.

680 D *ἧττον δὲ* . . . .

Apte haec praecedentibus annectentur si *δέ* deletum erit.

680 E Ad Pontum habitant homines qui et adultis aspectu noceant: *ᾔσθοντο δ' ὡς ἔοικε τὸ γιγνόμενον οἱ μιγάδες, οἰκέτας ἐκεῖθεν ὠνίους ἐξάγοντες.*

Immo *οἱ μιγάδας οἰκέτας* cum Valesio.

Additur *ἀλλὰ τούτων τὸ μὲν ἴσως ἧττόν ἐστι θαυμαστόν*.

Lege *τὸ μὲν τούτων*, *quod illi faciunt*.

681 A *ἡδοναῖς τε γὰρ συμμέτροις καὶ ἀηδίαις ὑπὸ τῶν ὁρατῶν τρεπόμενος συνέχεται (ἄνθρωπος).*

Pro *συμμέτροις* M. *οὐ μετρίοις* coniecit, sed opus est adiectivo quod non affectuum illorum vehementiam verum *multitudinem* significet. Sensit hoc W. seque *ἀναριθμήτοις* malle declarat. Sed etiamsi id legeretur, haereremus in *τρεπόμενος*, quod equidem a sciolo additum puto, quemadmodum saepe fit quo magis constet praepositionis *ὑπό* ratio.

ib. *τῶν ἐρωτικῶν . . . ἀρχὴν ἡ ὄψις ἐνδίδωσιν, ὥστε ῥεῖν καὶ λείβεσθαι τὸν ἐρωτικόν, ὅταν ἐμβλέπῃ τοῖς καλοῖς, οἷον ἑλκόμενον εἰς αὐτούς.*

Alienum esse a metaphora quae instituitur *ἑλκόμενον* sensit W., sed quod reposuit *ἐρχόμενον* nimis est languidum. Venuste vero apteque B. *ἐκχεόμενον.*

ib. *αἱ γὰρ ἀντιβλέψεις τῶν ἐν ὥρᾳ καὶ τὸ διὰ τῶν ὀμμάτων ἐκπῖπτον . . . τοὺς ἐρῶντας ἐκτήκει.*

Manifestum esse opinor *τὰ τῶν ἐρώντων* hic *ὄμματα* significari. Lege ergo *ἐμπῖπτον* pro *ἐκπῖπτον.*

682 A Sunt quaedam invidiae prophylagmata, quae invidorum oculos avertunt *ὥστε ἧττον ἐπερείδειν τοῖς πάσχουσι.*

Sero veniunt illa si ii, quorum causa adhibentur, iam *πάσχουσι.* Innumeri enim sunt apud Pl. loci, ubi verbum illud significat: „subire alicuius rei effectum". Quid autem recte opponitur iis rebus ad quas *avertitur* aliquid? Ut opinor, id quod, vel is qui *adest.* Lege ergo *τοῖς παροῦσι.*

682 D *ὡς γὰρ ἡ σφαῖρα κινεῖσθαι σφαιρικῶς . . . ἀναγκάζεται . . . οὕτω τὸν οὕτω φθονερὸν ἡ διάθεσις φθονητικῶς πρὸς ἅπαντα κινεῖ.*

Obtemperatum oportuit Reiskio secundum *οὕτω* delenti.

682 F Sunt qui semet ipsos fascinent, nam cum semet ipsos ita contemplantur *ὥστε θαυμάζειν καὶ κατασκοπεῖν, τὸ σῶμα τῆς μεταβολῆς ἐγγύς ἐστι, καὶ φερόμενοι ταῖς ἕξεσι πρὸς τὸ χεῖρον, ἑαυτοὺς καταβασκαίνειν.*

Sic W. sententia non bene decurrente. Sic enim ultimum

vocabulum esse debet *καταβασκαίνουσι*. At B. (e coniecturane?) pro *ἐστι* legit *εἰσι* et *καταφερόμενοι* pro *καὶ φερόμενοι*, quo parum proficimus. Hoc vero ridiculum quod tollit virgulam post *κατασκοπεῖν*, ponit post *μεταβολῆς*, sic nobis quoddam *σῶμα τῆς μεταβολῆς* exhibens. Equidem sic Plutarchum scripsisse opinor: *ὥστε θαυμάζειν καὶ κατασκοπεῖν τὸ σῶμα, τῆς μεταβολῆς ἐγγύς εἰσι, καὶ φερόμενοι ταῖς ἕξεσι πρὸς τὸ χεῖρον, ἑαυτοὺς καταβασκαίνουσιν.*

ib. *τῶν δὲ Δημοκρίτου εἰδώλων . . . ἀριθμὸς οὐδεὶς οὐδὲ λόγος.*
Rogat hoc Gaius, ut apparet e sequentibus, ergo *interrogandi* signum post *λόγος* ponendum.

ib. verba *τοῦτο δὲ γίγνεται — κακοῦσθαι* Grafius hinc transfert in 683 A., ut opinor ne deinceps duae sententiae a *τοῦτο δέ* incipiant. Equidem delere malim, nam neque sunt huius loci et sciolum redolent. Ubi vero ea Grafius ponit molestissima sunt: tum enim ineptissime sequitur: *πάνυ μὲν οὖν ἔφην*, quae sunt aptissima si qui ante est locutus sic orationem suam clausit: „sic fere, ut opinor, quod ad sententiam attinet, Democritus disputavit sed verbis usus est magnificis.''

683 D Disputatur de Empedoclis verbis *ὀψίγονοι σίδαι* et *ὑπέρφλοια μῆλα* atque:
τὸ μὲν τῶν σιδῶν ἐπίθετον (ῥᾴδιον ἔφην) νοεῖν . . . τὰ δὲ μῆλα καθ' ἥντινα διάνοιαν ὁ σοφὸς „ὑπέρφλοια'' προσειρήκοι (δεῖ) διαπορεῖν.
Sic apte locum lacerum explet R., sed oportebat *δεῖν* propter optativum *προσειρήκοι*.

685 D *τὸ δὲ γόνιμον οὐ δοκεῖ σοι θεῖον εἶναι, εἴπερ ἄρχει ὁ θεὸς πάντων;*
Ultima sic refinxit *ἀρχὴ ὁ θεὸς πάντων* M. Utrumque hinc alienum; lege *εἴπερ ἀρχὴ πάντων θεός*. Omnium rerum principium deus est, ergo quod genitabile est deus est.

ib. *καθάπερ αὐτὸς ἐμνήσθης (ἐπὶ) τῶν Αἰγυπτίων.*
Necessarium hoc Reiskii supplementum.

686 B *ἔφη τοὺς παρὰ Πλάτωνι δειπνήσαντας καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς γίγνεσθαι.*

Insolite hoc dictum pro *καλῶς ἔχειν, ὑγιαίνειν, ἐρρῶσθαι*, vel *ἥδεσθαι, χαίρειν.*

686 C *προβλημάτων δὲ καὶ λόγων φιλοσόφων ὑποθέσεις αὐτούς τε τοὺς μεμνημένους εὐφραίνουσιν, ἀεὶ πρόσφατοι παροῦσαι, καὶ τοὺς ἀπολειφθέντας οὐχ ἧττον ἑστιᾶν παρέχουσι.*

Sic refingenda haec, inserto *τε* et virgula pro semicolo posita post *παροῦσαι*. In his *ἑστιᾶν* egregia est Wyttenbachii emendatio pro *εἰς αἰτίαν*. Quae sequuntur *τοῖς αὐτοῖς ἀκούοντας καὶ μεταλαμβάνοντας* ea perversissime B. accipit. Est enim *τοῖς αὐτοῖς* ablativus instrumenti cum *ἑστιᾶν* iungendus.

686 F *ἡ γὰρ ἔνδεια τῆς ξηρᾶς τροφῆς ἀναπλήρωσιν οἰκείαν ἐδόκει καὶ κατὰ φύσιν ἐπιζητεῖν.*

Dele *καί*.

687 A *αὐτὸν θ' ἕκαστον αὐτοῦ γυμνάσια καὶ κραυγαὶ καὶ ὅσα τῷ κινεῖν αὔξει τὸ θερμόν, ἥδιον φαγεῖν ποιεῖ καὶ προθυμότερον.*

Unde pedem istud *αὐτοῦ* intulerit nescio, pellendum, non mutandum, certo scio.

687 C *οἱ πυρέττοντες, ἐνδόσεως γενομένης ἢ παντάπασι τοῦ πυρετοῦ λωφήσαντος, καὶ ἅμα τοῦ δίψην ἀπαλλάττονται.*

Transpone *ἅμα καί* cum B.

687 D *παρεστήσαντο τὴν ὄρεξιν.*

Male vertit interpres „appetitus eorum est instauratus". Est enim *παραστήσασθαι* hic, ut saepe apud Xenophontem aliosque historicos: *subigere, domare.*

687 E *ὄρεξις ... τὸ ἐκλεῖπον ἀεὶ τοῦ οἰκείου διώκουσα.*

Immo *ἐλλεῖπον* cum Emperio et sic infra quoque.

687 F Insere, ut bene procedat sententia, *μέν* post *ῥιγοῦν* cum Hirschigio.

ib. πολλὰ γὰρ ὅμοια (τοῖς ζώοις τὰ Φυτὰ) πάσχει καὶ βοηθεῖται, πρὸς μὲν [γὰρ] τὰς ξηρότητας ἀρδείαις ποτιζόμενα, καὶ ψυχόμενα μετρίως, ὅταν Φλέγηται· ῥιγοῦντα δ' αὖ θάλπειν πειρώμεθα.
His insertis deletisque et αὖ rescripto pro αὐτά (cum Mez. Salm. Reisk.) simul et apte et eleganter locus emendatur.

688 A ὅσα μὴ παρ' ἡμᾶς ἐστιν.
Immo παρ' ἡμῖν, *in nostra potestate* cum R., deinde cum W. εἰλήσεις σὺν πνεύμασι μετρίοις pro ἐν,

688 B δηγμὸν ... οἷον κνησμοί.
Immo κνησμόν cum Emperio.

688 F ᾧ τὸ πεινῆν ἢ τὸ διψῆν ἐγγένηται.
Neque coniunctivo neque aoristo locus hic; ergo ἐγγεγένηται cum A.

ib. αἱ στύψεις τῶν βαπτομένων πόκων ἔχουσί τι δριμὺ καὶ ῥυπτικόν.
Egregia est Bernardakii emendatio πόκων pro τόπων, simulque apte idem τι reposuit pro τό.

689 A Egregie novi problematis lemma sic supplevit emendavitque Herwerdenus:
διὰ τί πεινῶντες μέν, ἐὰν πίωσι, παύονται· διψῶσι δέ, ἐὰν Φάγωσι, τὸ δίψος ἐπιτείνεται.
Sed Madvigii supplementum, quod mox refert B., non intelligo. Nullum enim sensum extundo ex istis ποιεῖν, διὰ τί κτἑ.

689 B οἱ δ' ἰσχνότεροι τὸ μὲν ποτὸν παραδέχονται.
Recte W. μόνον τό pro τὸ μέν, sed nunc post παραδέχονται equidem addiderim τὸ δὲ σιτίον οὐ παραδέχονται.

ib. ἐὰν μὲν Φάγωσιν οἱ διψῶντες οἱ μὲν οὐ βοηθοῦνται.
Rescribe cum B. οἱ μὲν διψῶντες, ἐὰν Φάγωσιν, οὐ β.

690 A ὑπὸ ξηρότητος ἢ πάθους ἀργὰ καὶ βαρέα.
Certum quoddam hic πάθος requiritur: lege id quo opus est πλήθους cum R.

690 D *ὅταν οὖν ὑποπλασθῇ ὑπὸ τῆς πηγῆς τὸ ὕδωρ.*
Lege cum B. id quod solum huc quadrat et de quo tota est disputatio *ὅταν οὖν ἀποσπασθῇ τ. π. τ. ὑ.*

ib. *πῶς θερμαίνει τὸ ὕδωρ;*
Ubi et a quo dictum hoc?

691 C *τοῦτο πέπονθα περὶ τῆς χίονος.*
Doehner: *τούτοις ταὐτὸ π. π. τ. χ.* Sufficit fortasse tantummodo *τοῦτο* in *ταὐτό* mutare.

691 E *οἱ μὲν οὖν πυρέττοντες ἢ καυματιζόμενοι συνεχῶς ἀλλάττουσι τὰ ἱμάτια.*
Receptam oportuit certam Doehneri emendationem *συχνῶς.*

692 A *ἀγνάπτοις δὲ τούτοις (χρῶνται) πρὸς τοῦτο* (ad nivem conservandam) *τῆς κροκύδος οὐκ ἐώσης ἐπιπεσεῖν βαρὺ διὰ τὴν τραχύτητα καὶ ξηρότητα θοἰμάτιον.*
Sic supplendo et transponendo W. locum ex lacero et perturbato integrum reddidit perspicuumque.

692 B Niger civis noster non satis diu celebri philosopho usus erat magistro.
ἀλλ' ἐν ὅσῳ τὰ τἀνδρὸς οὐ καταλαμβάνοντες ἀνεπίμπλαντο τῶν ἐπαχθῶν ἀπ' αὐτοῦ.
Arena sine calce. Adde *καλά* post *τἀνδρὸς* et lege *ἀναπίμπλανται* pro *ἀνεπίμπλαντο.* Haud raro id adolescentibus evenit ut magistri ineptias imitentur, boni nihil ab eo sumant.

692 D *οὔτε φορεῖν ὑπ' ἀσθενείας οὔτε πίνειν τὸν μέτριον δυνάμενοι διὰ τὴν ἀκρασίαν.*
Post *ἀσθενείας* deesse *τὸν ἄκρατον* sensit R., sed nemo sensit *φέρειν* esse legendum pro *φορεῖν.* Et tamen quis unquam *φορεῖν* dixit *perferendi* et *patiendi* sensu?

ib. *μέγα δὲ τεκμήριον ἡ διαφθορὰ καὶ τὸ μὴ διαμένειν ἀλλ' ἐξίστασθαι (τὸν διηθημένον οἶνον).*
Cuius rei hoc sit indicium non dicitur et dicendum tamen est. Acute R. pro *ἡ διαφθορά* legit *νὴ Δία φθορᾶς.*

ib. *οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ τρύγα τὸν οἶνον ἄντικρυς ἐκάλουν.*
Non omne vinum, ut opinor, sed *τὸν νέον οἶνον* quemadmodum recte Doehnerus supplevit.

693 A Absurde qui vinum percolat vinum *εὐφραίνειν* dicitur, et praeterea male *εὐφραίνοντες* et *καλλωπίσαντες*, variis temporibus, iunguntur. Lege ergo cum W. *φαιδρύναντες, οὐ καλλωπίσαντες.*

693 B *λουτρὸν δὲ καὶ ἄλειμμα καὶ κόμης ῥύψιν οὐδεὶς αἰτιᾶται.*
Sic recte Doehnerus legit pro absurdo *θρύψιν*.

693 F Quidni recipitur in textum Cobeti certissima et venustissima emendatio: *ἔξω μὲν βούλιμον, ἔσω δὲ πλουθυγίειαν*?

694 A *τὸ μὲν οὖν βούλιμον λιμὸν ἐδόκει μέγαν ... ἀποφαίνειν.*
Immo *βούλιμος*, nam *τὸ βούλιμος* est: „vox *βούλιμος*".

ib. *ἐδόκει δ' ἡ βουβρῶστις ἕτερον εἶναι.*
Immo *οὐχ ἕτερον* cum Madvigio.

694 B Quid sibi velint ista *ἐπεὶ δὲ πᾶς ... τὴν ὑγίειαν* non video.

694 C *ἠπορήθη τὸ (αἴτιον τοῦ) μάλιστα βουλιμιᾶν τοὺς διὰ χιόνος πολλῆς βαδίζοντας.*
Sic recte R. locum supplet.
In sequentibus non solum cum Doehn. *πολεμίων* praeposito *τῶν* traiiciendum est ut statim post *τείχεσι* legatur, sed praeterea ante *ἀπολιπόντος* (*ἐπιλιπόντος*?) inserendum *τοῦ ἄρτου.*

694 D *κτήνη ... ἀναρρώνυσιν ἄρτος· ὥστε κἂν ἐλάχιστον ἐμφάγωσιν ἵωνται καὶ βαδίζουσι.*
Ecquid forte *ἰᾶσθαι* passivo sensu Pl. ponit? cf. ad 659 D.

694 E *περιψύχεσθαι γὰρ ἱκανῶς τὰ σώματα τῶν βαδιζόντων διὰ χιόνος.*
Risum movet istud *ἱκανῶς* neque hic ridendum est; lege ergo *ἰσχυρῶς* cum Psello.

694 F *διὸ πεινῶσι σφόδρα καὶ βραχὺ παντελῶς ἐμφαγόντες εὐθὺς ἀναλάμπουσι.*

Non apparet qui illi sint. Addendum ergo est e Pselli lectione *οἱ τοῦτο παθόντες.*

695 A Notetur *ἀναζωπυροῦσιν* activo sensu.

695 C *τοῦτο δὴ (τὸ πνεῦμα) τοῖς βαδίζουσι διὰ χιόνος ὀξὺ καὶ φλογοειδὲς προσπῖπτον ἐπικάειν δοκεῖ τὰ ἄκρα τῷ τέμνειν καὶ παρελθεῖν.*

Ultima absurda, praesertim *παρελθεῖν*. Nihil enim minus est molestum quam quod *praeterit*. Sed quid legendum incertum. Neque quod W. proponit *καὶ τέμνειν τῷ παρεκθεῖν*, neque quod B. *παρεισθεῖν* intelligo.

695 F Homerus lac *album* appellat, mel *flavum*, vinum *rubrum* suo quodque ornans epitheto sed oleum *liquidum*

ἀπὸ κοινοῦ τοῦ πᾶσι συμβεβηκότος.

Dele insulsum additamentum *κοινοῦ*.

ib. *πρῶτον μέν* . . .

Adde *γάρ* cum B. *Incipit* enim qui loquitur ordine illustrare quae modo breviter enumeravit.

696 B *δι᾽ ὁμοιότητα τῶν μερῶν εὐάρμοστόν ἐστιν* (oleum).

Immo *δι᾽ ὁμαλότητα* (W.). Non enim dicitur alii rei simile esse oleum.

696 C Nullius liquoris *βραχὺς οὕτως ὀπὸς ἐπίδοσιν λαμβάνει τοιαύτην.*

Sensu cassa haec sanarunt W. et B. hic *τοσαύτην* pro *τοιαύτην* ille *ὄγκος* pro *ὀπός* legendo.

Ex iis quae continuo sequuntur *τὸ δ᾽ ἔλαιον, ὁλκιμον πανταχῆ καὶ μαλακόν, ἄγεται περὶ τὸ σῶμα* post *μαλακὸν* excidit *ὄν*. Retulit R.

696 F *τὸ γὰρ φυτὸν* (ficus) *ἁπάντων ὀπωδέστατον, ὥστε καὶ τὸ σῦκον αὐτὸ καὶ τὸ ξύλον καὶ τὸ θρῖον ἀναπεπλῆσθαι.*

Deest genitivus aliquis cum verbo iungendus. Ecquid *αὐτοῦ* pro *αὐτό* legendum? Ex adiectivo enim *ὀπωδέστατον* facile substantivum *ὀπός* intelligi potest.

697 A *ἡ τέφρα ῥυπτικωτάτην παρέχει κόνιν.*

Immo *κονίαν* cum X.

ib. *οὐ σκαληνίᾳ* .... Mox sequitur *ἀλλὰ καί.* Lege ergo cum R. *οὐ μόνον σκ.*

ib. *τεκμήριον δὲ καὶ τὸ ἄχρηστον γλυκὺ εἶναι τὸν ὀπόν, ἀλλὰ πωμάτων φαυλότατον.*

Neque cuius rei hic afferatur indicium neque de quo potu hic sermo sit apparet. W. recte fortasse sic correxit ut oleo *lac* corrumpi dicatur.

ib. *τὸ ψυχρὸν ἔστη καὶ ἄπεπτον ὑπὸ τῆς θερμότητος.*

Bonum certe sensum hinc effecit R. pro *ἔστη καί* legendo *ἕστηκεν.*

697 B *πρὸς δέ τὴν λεγομένην περιπλοκὴν καὶ σύνδεσιν ἀντιπράττουσι.*

Plane inutiliter et languide hic additur etiam *διάλυσιν.*

ib. *ταὐτὸ δὲ πάσχει σάρξ καὶ πυρῶν ἐντεθεὶς σιρῷ καὶ νίτρῳ συνημμένος* [1]).

Bene ultimum vocabulum correxit R. *σμηχόμενος* legendo. Sed nunc etiam abiiciendum quod additur *ὑπὸ θερμότητος.* Tota enim *de calore* est disputatio.

697 D (*ἅλς*) *ἐπὶ τὰ πλεῖστα μιγνύμενος εὐάρμοστα τῇ γεύσει ποιεῖ.*

Iure R. istud a sciolo additum *ἐπί* delet.

ib. Plerosque *αἱ παρ' οἶνον ἀδολεσχίαι ἐμβάλλουσι πρὸς τὰ πάθη.*

---

1) Participia genere masculino adhiberi potuerunt, quia accommodantur ad alteram partem praecedentis *τὴν σάρκα τοῦ ὄρνιθος.*

Bene idem intellexit ultimum substantivum suum sibi requirere adiectivum et *αἴσχιστα* adiecit.

697 E Nos vero nosmet ipsos *χρῆσθαι λόγοις συνεθίζομεν, ὧν πᾶσίν ἐστι καὶ πρὸς πάντας ἐξαγωγή, διὰ τὰς ὑποθέσεις μηδὲν ἀκόλαστον ... ἐχούσας.*

Adhortatione hic opus est, ut opinor, lego ergo *συνεθίζωμεν*, nec recte ratio nunc reddi videtur cur liceat omnibus sermones illos efferre ad omnes sed rescribendum esse *διὰ τὸ τὰς ὑποθέσεις ... ἔχειν.*

698 A Dixerat Niceratus medicus *τὸν μὲν Ἀλκαῖον ἀμωσγέπως εὐπορήσειν βοηθείας, ἀπολαύειν γὰρ ἰκμάδος τὸν πλεύμονα.*

Recte Madvigius illud *γάρ* inseruit: quae illa sit defensio explicatur. Sed minime opus lectione quam proponit *τὸ μὲν Ἀλκαίου.* Optime enim *poetae* nomine eius versus significatur *τέγγε πλεύμονας οἴνῳ* et verbis *εὐπορήσειν βοηθείας* aptius est subiectum nomen hominis quam vox *versus.* Denique satis durum hiatum ultro Madvigius infert.

698 C *τὸ τῆς ἐπιγλωττίδος ἔργον ἐπὶ τούτῳ τεταγμένον ὅπως ....*
Immo *τεταγμένης* cum R.

698 D *τοὺς ἀτρέμα πίνοντας ἴσμεν τὰς κοιλίας ὑγροτέρας ἔχοντας τῶν ἄθρουν ἐφελκομένων τὸ ὑγρόν· ὠθεῖ γὰρ εὐθὺς εἰς κύστιν.*
Hic quoque *ἠρέμα* pro *ἀτρέμα* requiri videtur, deinde *ἄθροον* pro *ἄθρουν*, denique *θεῖ* cum Madvigio pro *ὠθεῖ.*

ib. Id non fieret *διακρινομένων εὐθὺς ἐν τῇ καταπόσει τῶν ὑγρῶν ἀλλ' οὐ συμπλεκομένων ἡμῶν ἅμα καὶ συμπαραπεμπόντων τὸ σιτίον.*
Aptus demum sensus nascetur si *ἡμῶν* erit deletum: potus et cibus inter se connectuntur. Et sic apta fiet imago quae additur: *οἷον ὀχήματι τῷ ὑγρῷ χρώμενον.*

698 E Lacunam perite explet W.

699 B *οὐδὲ γὰρ ὁ στόμαχος ἡμῶν λεῖος, ὥς τινες.*
Adde *οἴονται* cum B.

699 D *τῆς γὰρ ἀρτηρίας τ ρ ω θ ε ί σ η ς οὐ καταπίνεται τὸ ὑγρόν.*
Immo *τρηθείσης* cum Nabero.

700 B *ὁ δὲ πλεύμων ὥσπερεὶ τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὑγρὸν ἐξ α ὐ τ ο ῦ διανέμων τοῖς δεομένοις κτέ.*
L. *αὑτοῦ.*

700 D *Θεοφράστου τὸν λόγον ἐν ο ἷ ς πολλὰ συναγήοχε.*
Quidni *ᾧ* legamus?

701 A *τοῦτο μὲν ὁ Φλῶρος ᾤετο παιδιὰν εἶναι . . . ἐκείνων δ' οὐκ ἄν τινα τῆς αἰτίας ὡς ἀλήπτου προέσθαι τὴν ζήτησιν.*
Non opus videtur Frankii lectione *οὐ δεῖν* pro *οὐκ ἄν τινα*, nam haec quoque eandem vim habet.

Continuo sequitur: *„ἐξεύρηκα" ἔφην „φάρμακον, ᾧ πρὸς τὸν λόγον ἐφ' ἡμᾶς προσάξεις τουτονί".*
Cum W. legendum esse *ἐξεύρηκας* et *ἐφ'* delendum totus docet contextus.

ib. *τὸ καθ' Ὁμήρου λέγουσι.*
Immo *τὸ καθ' Ὅμηρον* cum Turnebo. Nemo enim hic Homerum *accusat.*

701 B Quid illud sit quod frigus dicitur *τοῖς χιτῶσι γύμνοις ἐπισκήπτειν* (agitur *περὶ τῶν σπερμάτων* quae in boum inciderunt cornua) prorsus me latet. Hominem tunica nudatum cogitare possum, non vero nudam tunicam.

701 D *τ ο ῦ κ υ ά μ ο υ τῶν λοβῶν οἱ μὲν τοίους οἱ δὲ τοίους, δηλονότι κτέ.*
W. recte *τοὺς κυάμους* dummodo addatur (ante *δηλονότι*) *ἔχουσι* aliudve verbum: alia putamina alias habent fabas.

702 B *(τοῦ ἐλαίου) οὐ τὸ ἄνω βέλτιον ὂν ἀλλὰ δοκοῦν.*
W. *οὐ τὸ ἄνω βέλτιον εἶναι ἀλλὰ δοκεῖν.* Recte fortasse, nisi nobis hic cum aliquo *accusativo absoluto* res est.

702 C λελέχθαι πιθανῶς ὅτι τοῖς ἐπιπολῆς πλησιάζων ὁ ἀὴρ νεαροποιεῖ.

Quoniam nihil adest unde ille infinitivus pendeat, iure W. coniecit καὶ λέλεκται. Tum varia lectione τούς (pro τοῖς) prudenter usus B. proponit ὅτι τοὺς ἐπιπολῆς τόπους κτέ.

702 D Florus οὐκ εἴα κενὴν ἀπαίρειν τὴν τράπεζαν ἀλλ' ἀεὶ ἐδωδίμων ἐπ' αὐτῇ ὑπέλιπε.

Nonne post ἐδωδίμων inserendum τι est et τῶν praemittendum?

702 D Verba καὶ γὰρ τοῦτο τοὺς παλαιοὺς Ῥωμαίους ἐξευλαβεῖσθαι· τοὺς δὲ νῦν εὐθὺς ἀποσβεννύναι apud W. non leguntur.

ib. τί πλέον αὐτοῖς, ἂν μὴ τὸ Πολυχάρμου τοῦ ἡμετέρου σοφὸν ἐ κ μ ά θ ω σ ι ν;

Immo προσμάθωσιν.

702 F Aiebat Flori gener Romanos ignem qui sit in templis semper alere, sed profanum ignem, quia tamen illi sit cognatus, δι' αὐτοῦ περιορᾶν μαραινόμενον αὐτοὺς μηδὲ βιάζεσθαι.

Ultima leni transpositione sic bene sanat B. αὐτοὺς δὲ μὴ βιάζεσθαι.

ib. At Flori filius τἄλλα μὲν ἔφη καλῶς λέγεσθαι, τὸ δ' ἱερὸν πῦρ οὐκ ἄμεινον ἡ γ ο υ μ έ ν ο υ ς ἑτέρου πυρὸς . . . σέβεσθαι.

Sic legendum cum W. pro αἱρουμένους.

703 A τὸ κυνῶν γένος . . . τῶν λύκων.

Apta fiet oppositio, si cum W. τὸ λύκων legemus.

703 C τὰς τοιαύτας ἐφιέντες ὑπερβολάς κτέ.

Quid hic ἐφιέναι significat? Num „admittere"? Bene id huc quadraret.

703 D Noluit nos Hesiodus ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιρρέκτων παρατίθεσθαι σῖτον ἢ ὄψον ἀλλ' ἀπαρχὰς τῷ πυρὶ τῆς διακονίας ἀ π ο δ ι δ ό ν τ α ς.

Nonne ἀποδόντας legendum est?

ib. Rogat Eustrophus: *ἆρ' οὖν τοῦτο καὶ τῷ περὶ τῆς τραπέζης λόγῳ πάροδον οἰκείαν δίδωσιν, οἰομένων δεῖν ἀεί τι καταλείπειν οἰκέταις ἀπὸ δείπνου κτέ.*

Melius erat illud *οἰομένων* non tangere; Reiskii *λόγος οἰόμενος* satis absurdum videtur.

704 B *οὐδὲ τὴν τραπέζαν οἰόμεθα δεῖν κενὴν ὁρᾶν .... ἀπολειπομένην.*

Requiritur, ut opinor, *περιορᾶν.*

704 D A tibicine quodammodo fascinati convivae semet ipsos ei tradebant *ὅ,τι βούλοιτο χρῆσθαι, καταυλεῖν καὶ κατακολασταίνειν.*

Sic bene Naberus simplex *ἀκολασταίνειν* correxit.

705 D *τούτους ἐκείνων οὐδὲν ἧττον ἐμπαθεῖς ὄντας καὶ ἀκολάστους ἀκρατεῖς ὁμοίως οὐ καλοῦμεν.*

Pro *ὁμοίως* W. *ὅμως*, sed fortasse praestat illud delere tamquam verborum *οὐδὲν ἧττον* interpretamentum.

705 F *ἂν ... οἱ πολέμιοι ἔνδον εἰσίν.*

Sicine *σολοικίζειν* sinamus Plutarchum, an *ὦσιν* rescribamus?

706 B *ἐν ἰχθύων ἀγορᾷ μικρολογία καθαιρεῖ δάκτυλον ὀψοφάγου.*

Ludicrum in modum hic a sententia aberravit interpres vertens: „sordes *annulum* obsoniorum cupido auferunt" et hoc W. recepit in suam editionem! Hoc enim dat Pl. exemplum vitii vitio obstantis: „avaritia saepe *digitum* eius qui piscium est cupidus *detrahit*" h. e. digitum tollere ad licitandum vetat.

706 E Nos, id quod philosophos decet, *παραβάλλοντες λόγους κοινοὺς οὐκ ἐκπλαγησόμεθα παντάπασιν ὑπὸ τούτου.*

Egregie huc quadrat *σεμνούς*, quod pro *κοινούς* coniecit W. Ultimum vocabulum vereor ut recte a Madvigio corrigatur: *τοῦ κρότου* reposuit, sed opus est vocabulo quod ad *lascivos* possit referri versus, quorum in praecedentibus est facta mentio.

707 EF Bene consuluit contextui R. pro *ἔτι καί* legendo *ἔτι*

δὲ καί, et οὐκ αὐτόκλητος pro οὐ κλητός reponens id ipsum dedit quod requiritur. Recte idem εἰ δὴ Γνάθων γέγονε δεινότατος ἀνθρώπων τἀλλότρια δειπνεῖν coniecit pro absurdo ἄνθρωπος. Postremo recte sequentia adiungit particulis ἔτι γε μήν (traditae sunt εἴ γε μήν).

707 F Turpe et plenum periculi ipsum „umbrae" nomen non metuere, προσεθίζει γὰρ εἰς τὰ ἔργα τῷ αἰσχρῷ τὸ ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν ῥημάτων ἄγεσθαι.

Bene haec sanarunt Emp. τῶν αἰσχρῶν pro τῷ αἰσχρῷ, R. τῶν ῥημάτων ἀνέχεσθαι pro ὑπὸ τῶν ῥημάτων ἄγεσθαι scribentes.

708 B οὔτε γὰρ διδόναι καλὸν οὔτ' αἰτεῖν ὃ διδόναι μὴ καθῆκεν. Sensu cassa haec, sensum intulit, atque adeo retulit, R. post καλόν inserendo ὃ αἰτεῖν.

708 C οἷς ἂν ἥδιστα συγγίγνοιτο καὶ μεθ' ὧν εὐφραίνεται παρόντων.

Iure hic B. συγγίγνηται et εὐφραίνηται postulat.

708 D οὐ τοὺς τυχόντας ἀλλὰ τοὺς προσφιλεῖς εἶναι δεῖ καὶ συνήθεις ἀλλήλοις.

Non cohaerentia haec bene conglutinavit. W. συνεῖναι legendo pro εἶναι.

708 F Lege cum B. ὁμοῦ τι πᾶσι, *tantum non omnibus*, quae locutio Plutarcho est in deliciis.

709 B νέῳ ποτικῷ καὶ φιλοπαίγμονι.

Acute Naberus σκωπτικῷ.

710 C ἀναπετάσας τὴν αὔλειον.

Prave, ut opinor, praemittitur etiam ἔξωθεν.

710 E τὸν λυχνοῦχον ἅπτειν.

Sanavit male sana ista Cobetus λύχνον legendo.

711 C „Pulcherrimum illum morem Platonem tamquam in

scenam producendi" sic queritur austerus iste „inepti qui nunc sunt homunciones".

ἐξέβαλον· καὶ οὐ θαυμάσαιμ' ἄν, εἰ τὸ πάμπαν ἐκβάλλουσιν. Immo *ἐκβαλοῦσιν*, nam vaticinari se ipse declarat addendo *ἐπικρατεῖ γὰρ ἡ θηλύτης.*

711 D Lepide W. coniecit *παραβαλοῦ τὸ θυρίον τῶν λοιδοριῶν εἰς ἡμᾶς* pro sensu casso isto *παραβάλλου λοιδορῶν ἡμᾶς.*

711 E legendum esse *τὴν τραγῳδίαν* pro *τραγῳδίαν* intellexit Huttenus.

711 F Non intelligo verba *τὴν βαθύλλειον αὐτόθεν πέζαν τοῦ κόρδακος ἁπτομένην.*

712 B *διακυβερνῆσαι τὸν πότον.*
Passivo opus est; lege ergo *διακυβερνᾶσθαι* cum W.

712 C *πεπωκόσιν ἀνθρώποις καὶ μετὰ μικρὸν ἀπιοῦσι παρὰ τὰς αὑτῶν γυναῖκας.*
Venustam hanc verecundiam corrupit qui primus in textum annotationem *ἀναπαυσομένοις* (post *καί*) recepit. Pergi sic oportet *οὔτε γάρ* addito *γάρ* (B.).

712 D *ἢ παυσάμενος ἢ διαλιπὼν ἐσιώπησεν.*
Sic nunc editur cum Herwerdeno, sed vulgatum *διαλείπων* praestat. Hanc enim vim praesens habet: „*ut faceret* intervallum".

712 F *ἀλλ' ἥ γε κιθάρα πάλαι που καὶ καθ' Ὅμηρον ἔτι τοῖς χρόνοις γνωρίμη τῆς δαιτός ἐστι.*
„Aut nihil mutandum aut solum *πάλαι* in *παλαιά* corrigendum" ann. B. Equidem eo contentus non sum. Vide enim, ut cetera mittam, quam inepte nunc illud *ἔτι* positum sit. Eiicienda quaedam sunt, sed quae sint quis accurate definiat? Et efficiendum ut *ἔτι* (addito *νῦν*) cum *ἐστι* cohaereat.

713 A Tibia fundit *Φωνὴν ἄχρι τῆς ψυχῆς ποιοῦσαν γαλήνην.*
Pulcherrime dictum hoc, sed misere corrumpitur addito *ἡδεῖαν* (post *Φωνήν*).

713 B pastores dicuntur oves suos regere *ἀμελέσι* sonis. Sed opus esse *ἐμμελέσι* (X.) liquido apparet ex iis quae comparandi causa adduntur: sic quod nostra mens habet *φορβαδικὸν καὶ ἀγελαῖον* placandum est mitigandumque *μέλεσι καὶ ῥυθμοῖς*.

714 B Apud Homerum

ὁ γέρων πάμπρωτον ὑφαίνειν ἤρχετο μῆτιν

ἐπ' αὐτὸ τοῦτο τῆς κλήσεως καὶ τῶν ἀρίστων εἰσηγητὴς τῷ βασιλεῖ γενόμενος.

Nestor eam ipsam ob causam Agamemnoni consilium parandae *τοῖς γέρουσι* coenae dedit ut posset optima quaeque suadere. Hanc sententiam habebis, si cum Reiskio *καί* delebis.

714 D *Ἑλληνικὸν ὂν πεφώραται κτέ.*

Sic ne turpiter soloecisset Pl. legendum cum R.: *ὄν* pro *εἶναι*.

ib. *δυσκίνητον* male cum *δύσεργον* coniungitur. Lege ergo *δυσκυβέρνητον* cum R.

714 F Bacchus comitibus suis ferulam dedit *ὅπως, ἐπεὶ τάχιστα παίουσιν, ἥκιστα βλάπτωσι.*

Eleganter quidem Naberus pro *τάχιστα* coniecit *τὰ μάλιστα*, quamquam illud haud male defendas Aristophaneo *εἰς τάχος παίει*. Sed molestius est istud *ἐπεί*. Exspectes *ὅταν . . . παίωσιν*.

ib. *ὅπερ ἐστὶ μέγιστον ἐν ταῖς περὶ τῶν μεγίστων σκέψεσι, τὸν ἐνδεᾶ νοῦ . . . ἕπεσθαι τοῖς φρονοῦσι . . . ἀφαιρεῖται . . . ὁ οἶνος.*

Insere *τό* ante *τόν*.

715 A *τῶν δ' ἐναντίων ἀκουστέον εἴ τις ἢ νέος προέστηκεν ἢ πρεσβύτερος.*

Sic legendum („eorum suscipit patrocinium”) cum W. pro *προσέστηκεν*.

715 B optime hic lacunam in *ὁ πίνων γὰρ . . . εὖ μεταβλέπει* explet B.

715 E *οὐ βδελυρὰν οὐδ' ἄκρατον ἀλλ' εὔχαριν καὶ πιθανήν.*

Hic quoque *ἄκρατον* inepte repetitum e praecedentibus. Requiritur quod dat Hirschigius *ἄκαιρον.*

ib. *ὡς Γοργίας εἶπεν.*

Recte hic *ὡς μεγαληγορήσας εἶπεν* Naberus proposuit. Nusquam enim Gorgias dixit sed ipse Aeschylus apud Aristophanem dicit „Septem ad Thebas" esse *μεστὸν Ἄρεος δρᾶμα.*

716 A *ἄοινος ἀεὶ μέθη ταῖς τῶν ἀπαιδεύτων ἐνοικεῖ ψυχαῖς, ἐπιταραττομένη ὑπ' ὀργῆς κτέ.*

Immo *ἐπιταραττομένοις* cum B.

717 B Quicunque certo scire vult Plutarcho vel nomen Christi plane fuisse ignotum, hoc legat problema, in quo multum disputatur *περὶ τῆς λεγομένης ἐκ θεῶν γενέσεως* sed ad Christum ne alluditur quidem. Et tamen non is est Plutarchus qui odio vel metu quidquam reticeat dissimuletve.

ib. Inepte dicitur Socrates Platone prior natus esse *τῇ δόξῃ.* Rescribe quod totus contextus flagitat *τῇ τάξει* cum M.

717 C. Cobeto opus fuit qui absurdum et ridiculum deprenderet emblema in hisce: *Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος [τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων].*

ib. Male hic inter se opponuntur *ἐξαγούσης . . . ἐπεισαγούσης* et p. 719 B *ἐξέβαλεν . . . ἐπεισήγαγε.* Abiice istud *ἐπ'.*

717 D *καὶ τὸν μὲν Ἄτταλον ἐν τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις τὸν βασιλέα τελευτῆσαι.*

Eiicere istud *τὸν βασιλέα* malo quam credere Plutarchum tam inepte vitasse hiatum.

ib. *ἑβδόμῃ δ' ἀμφοτέρας (τὰς ἑορτὰς) ἑορτάζουσι.*

Bene sermoni puro consuluit Madvigius illa vocabula inserendo.

717 E Apolline dignius esse ait Florus procreasse Platonem quam . . . quem? Ut opinor Aesculapium. Hoc enim nomen

totus flagitat contextus. Quod cum nusquam legatur certum est excidisse. Insere ἢ Ἀσκληπίου post μείζονα cum Reiskio, cuius emendatio a B. ne commemoratur quidem.

717 EF Tyndares Spartanus „ἄξιον μέν ἐστιν" ἔφη „περὶ Πλάτωνος ᾄδειν καὶ λέγειν τό

οὐδὲ ἐῴκει
ἀνδρός γε θνητοῦ πάις ἔμμεναι ἀλλὰ θεοῖο

τοῦ γὰρ θείου δέδια μὴ δόξῃ τῷ ἀφθάρτῳ μάχεσθαι τὸ γεννῶν οὐχ ἧττον ἢ τὸ γεννώμενον.

Haec inter se certant, neque tamen recte vitium sanasse R. videtur ἄξιον οὐκ ἐστιν legendo pro ἄξιόν ἐστι, nam ipsum illud „dignus est Plato qui dicatur dei non hominis filius *videri*" nullam habet reprehensionem. Sed pro sequenti γάρ cum W. legendum δέ est; hoc enim Tyndares *addit*: „et tamen metuo e. q. s.".

718 D τὴν νοητὴν καὶ αἴδιον φύσιν, ἧς θέα τέλος ἐστι φιλοσοφίας.

I et cum Hirzelio nega *Plutarcho* fuisse persuasissimum ὅτι φιλοσοφίας τέλος θεολογία, quoniam non ipse hic loquatur sed nescio quis Tyndares Spartanus.

718 F Eiicere cum W. quam cum aliis curare malo ista ὥσπερ πειρωμένους δι' ἀλόγου δύο μέσας ἀνάλογον, ᾗ παρείκοι λαβεῖν, quoniam eiectis demum coniungi possunt quae coniungenda sunt: ἐμέμψατο et ἀπόλλυσθαι γὰρ οὕτω κτέ.

719 C Deus γεωμετρικῶς τῷ κατὰ λόγον καὶ κατὰ νόμον definit.

Immo cum W. τὸ κ. ν. „Lex est" deus ait „quod ratione fit".

719 E Figurae geometricae pares similesque non possunt sic temere ἀνασχεῖν.

Sententia postulat id quod dat interpres *edi*, sed potestne Graecum verbum id significare?

720 A τοῦ θεωρήματος ὃ ... ἀπέδειξε.

Immo ᾧ ... ἀπέδειξε cum W.

720 C (ὁ κόσμος) ὑπὸ τοῦ πατρὸς καὶ δημιουργοῦ βοηθεῖται τῷ λόγῳ πρὸς τὸ παράδειγμα τὴν οὐσίαν ὁρίζοντος.

Praeclara sententia, cui deesse aliquid Wyttenbachio non concedo.

720 E „Sapienter deus nocte acuit auditum quia tum hebetatur visus: ἐπεὶ δὲ δεῖ καὶ τὰ δι' ἀνάγκης Φύσει περαινόμενα τῶν αἰτιῶν ἀνευρίσκειν, καὶ τοῦτο τοῦ Φυσικοῦ ἴδιόν ἐστιν,, *quo modo* illud fiat quaeramus.

Bene priora Emp. sic emendat ἐπεὶ δὲ δεῖ καὶ τῶν δι' ἀνάγκης Φύσει περαινομένων τὰ αἴτια (an τὴν αἰτίαν?) ἀνευρίσκειν. Sed nolim in sequentibus cum Doehnero τῆς Φυσικῆς scribere pro τοῦ Φυσικοῦ. Requiritur enim ad eam disquisitionem *vir* physices *gnarus*.

720 F ad 721 D Useneri coniecturis sanari Epicuri locum non video.

721 E ἡ δὲ Φωνὴ πληγὴ σώματος διηχοῦς, διηχὲς δὲ τὸ συμπαθὲς αὐτῷ καὶ συμΦυὲς εὐκίνητον δὲ καὶ κοῦΦον καὶ ὁμαλὸν καὶ ὑπήκοον τοῦ δι' εὐτονίαν καὶ συνέχειαν.

Pro αὐτῷ legitur et αὐτοῦ et αὑτοῦ, sed unice verum est αὐτῇ. Personat id quod *voci* est cognatum. Post τοῦ inseratur πλήττοντος cum W.

721 F σίδηρος . . . τῶν μεταλλικῶν κωΦότατος.

Immo μετάλλων cum B.

722 B γελοῖοι μὲν ἴσως Φανούμεθα, καὶ Δημόκριτον ἐλέγχειν οἰόμενοι καὶ Ἀναξαγόραν ἐπανορθοῦσθαι θέλοντες.

Non opus duplici καί, dele prius.

722 C πολλάκις μὲν γάρ.

Dele μέν, cui nullum in sequentibus δέ respondeat.

ib. Aeris motus vocis semper τι τοῦ πλήθους Φέρει καὶ τοῦ μεγέθους.

Optime W. ἀΦαιρεῖ.

722 D Ammonii filius sic exclamat: *τί παθόντες, ὦ πρὸς Διός, εἴπας τῶι θεώρητα κινήματα τοῦ ἀέρος οἰόμεθα δεῖν αἰτιᾶσθαι;* Corrupta ista egregie sic sanat Doehnerus *εἴπατε, τὰ ἀθεώρητα.* Sed praeterea pro *οἰόμεθα* requiritur *οἰώμεθα.*

ib. *οὔτ' ἀφώνοις οὔτ' ἀπράκτοις ἐνεργείαις.*
Nolim a B. accipere *ἀταράκτοις* pro *ἀπράκτοις.* Unice recte cum *ἀφώνοις* mihi iungi videtur *ἀνάρθροις.*

ib. *τὸν ὄρθρον ... ἐν ᾧ κλύειν καὶ ἤδη φθέγγεσθαι συμβέβηκεν.*
Iusto vehementius est Emperii *νὴ Δία.* Sed transponendum videtur *ἤδη καί.*

722 E Notetur *ἧττον ἠχωδεστέρας.*

ib. *ἔχει δέ τι καὶ τὸ παρ' ἡμᾶς αἴτιον.*
Nonne *καθ' ἡμᾶς* legendum?

722 F *ἐγκελευόμενοί τισιν ἢ διαπυνθανόμενοι ... ποιούμεθα.*
Sic recte W. pro *ἐγκελευόμεθα.*

723 B *τὴν ἰσότητα τῶν φύλλων, οἷον ἀντανισταμένων ἀεὶ καὶ συνεκτρεχόντων.*
Pro *ἰσότητα* aliud requiri videtur vocabulum.

723 E *μόνῳ δ' αὐτῷ σχεδὸν ὑπάρχει τὸ κατὰ πολλῶν λεγόμενον.*
Delere malo quam transponere *ὡς ἀληθῶς* quod post *πολλῶν* legitur.

723 F *ἀείζωον καὶ ἀμείλικτον.*
Absurde haec inter se iunguntur. Pro ultimo vocabulo recte R. *ἀνέκλειπτον.*

724 A *πυνθάνεσθαι φήσουσι.*
Recte W. *δεῖν* inserit.

724 B *σκόπει δή, μὴ Πυθικόν ἐστι τὸ νικητήριον, ὡς οἱ Ἀμφικτύονες ἐκεῖ πρῶτον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ φοίνικι τοὺς νικῶντας ἐκόσμησαν.*

Recte sic Amyotus legit pro *'Αμφικτύονος κἀκεῖ*, sed coniunctio *ὡς* mihi paulo videtur languidior.

Rectissimeque Herwerdenus ante *Φοίνικι* exemit *δάφνῃ καί*, quo tota demonstratio persumdatur.

724 E *κάλλιστος γὰρ ὢν (ὁ Φοίνιξ) καὶ μέγιστος ὑπ' εὐταξίας οὐ γόνιμός ἐστι παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ τὴν τροφὴν ὥσπερ ἀθλητοῦ περὶ τὸ σῶμα τῆς εὐταξίας ἀναλισκούσης, σμικρὸν αὐτῷ καὶ φαῦλον εἰς σπέρμα περίεστιν.*

Utrobique *εὐεξίας* W. pro *εὐταξίας* commendat, sed nescio an posterius servari possit; illa etiam athletae commemoratio facit ut *continentiae* sensu accipere possimus.

724 F *ἐπαίρονται καὶ αὔξοῦνται.*

De luctantibus agitur. Unice verum ergo est quod proponit Herwerdenus *ἐπαιρ. καὶ ὑψοῦνται.*

725 D *ἡ δὲ κοινὴ συνήθεια τὸ ἄμικτον καὶ καθαρὸν ἄφθαρτον καὶ ἀκήρατον καλεῖ.*

Bonum aptumque sensum praebet quod dat interpres: „communis autem consuetudo vocat id sincerum et purum quod corruptionis et interitus est expers." Sed ut is sensus insit, verba Graeca aliter sunt disponenda atque ita ut *τό* statim post *καθαρόν* legatur.

726 C *καὶ τὸ μὲν ἄριστον ἐδόκει τῷ ἀκρατίσματι ταὐτὸν εἶναι, μαρτυρεῖ τῷ 'Ομήρῳ λέγοντι κτέ.*

Ultima sensu cassa sunt. Sensum praebuit R. legendo *μάρτυρι τῷ 'Ομήρῳ χρωμένοις λέγοντι.*

726 D *καὶ πιθανὸν ἐδόκει διὰ τὴν ἑωθινὴν ὥραν ἄριστον ὠνομάσθαι καθάπερ τὸ αὔριον.*

Pro ultimo vocabulo B. legit *δόρπον*, recte (sequitur enim *τὸ δὲ δεῖπνον*), dummodo et huius vocis addatur etymologia.

ib. Quoniam ientaculum nullo apparatu apponi solebat, prandium vero multum postulabat curae, *ἐκεῖνο μὲν ῥᾷστον τοῦτο δ' ὥσπερ διαπεπονημένον ἐκάλεσαν.*

Recte vidit B. ante *ῥᾷστον* inserendum esse *οἷον*. Praeclaras etymologias: *ἄριστον* e *ῥᾷστον*, *δεῖπνον* e *διαπεπονημένου*!

ib. *ἔφη μυρίῳ τὰ Ῥωμαικὰ δείξειν οἰκειότερα τῶν Ἑλληνικῶν ὀνόματα.*

Non potest hinc abesse *ὄντα* et facile potuit excidere, nam scripsit Pl. . . . *ὀνομάτων ὄντα.*

726 E Non tangenda haec: *καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις.* Haec enim ipsa sententia requiritur: „solebant Romani soli ientaculum sed cum amicis prandium capere". Falso R. post *Ῥωμαῖοι* inserit *ὀλιγάκις.*

726 F Non omnia quae Lamprias frater hic iocatur de vocabulis Latinis Graecisque inter se comparatis mihi sunt perspicua, haec vero *τίς οὐκ ἂν εἴποι ἐπὶ κῶμον Ἑλληνικῶς κωμισσᾶτον λέγεσθαι*; obscurissima videntur; unum hoc per transennam video ita esse corrigenda ut latina *comissatio* dicatur sic appellari de Graeco *κῶμος*. Neque quo modo *miscere* et *κεράσαι* sit idem video.

727 A W. *τὸ δὲ δέρειν καίδερε*, quod in textum receptum oportuit.

ib. *ἢ καὶ τούτων οὖν ἀκουστέον ἀγελαστὶ λεγομένων, ἢ μηδ' ἐκείνοις εὐκόπως οὕτως . . . παραδύσεις διδῶμεν.*

Pro absurdo *εὐκόπως* recte W., licet ne commemorat quidem B., legendum *εὐκόλως* statuit. In sequentibus praepositio *διά* perturbat omnia, pro qua iure R. *νὴ Δία* reposuit.

727 F Bene de nobis ciconia meretur: quamquam enim nihil a nobis accipit *ἐπίβαθρόν τι γῆς δίδωσι.*

Sensu cassa haec. Egregie R. *στέγης* reposuit pro *γῆς.*

728 B Bene procedet narratio, si cum W. in his: *ταῦτ' εἰπὼν ἐγώ μοι δοκῶ ποιῆσαι λόγων ἄδειαν*, pro *δοκῶ* legemus *ἐδόκουν.* Sequitur enim: *εὐθαρσῶς γὰρ ἤδη τοῖς ἄλλοις συμβόλοις προσῆγον.*

728 C *τὰ στρώματα συνταράττειν εὐθὺς ἀναστάντας* iubebant Pythagorei *ὡς νυκτὸς ἀναπαύεσθαι δέον, ἡμέρας δὲ πράττειν ἀναστάντας καὶ μὴ περιορᾶν οἷον ἴχνος σώματος.*

Recte *δέον* pro *δεῖν* B. Sequentia obscura sive vulgatam retinemus, sive cum Doehnero *πτώματος* legimus pro *σώματος.*

728 E Bene lacunam sic B. explet: *ἣν δὲ Τυνδάρης ὁ Λακεδαιμόνιος αἰτίαν ἔλεγεν οὐκ ἀποδέχομαι.*

Quae sequuntur egregie sanavit Herwerdenus.

729 F Pisces ab omni iniuria Pythagorei defendunt, nil nobis nocentes *οὐδ' εἰ πάνυ πεφύκασι δυναμένους.*

Graeca sic vertit interpres: „quamvis ad hoc natura videantur instructi." Sed sic requireretur *δύνασθαι* ... et haberemus aliquid quod a veritate quam maxime esset remotum. Nam pisces nobis ne nocere quidem *possunt.* Pro *πεφύκασι* ergo legendum est aliquid quod „cupiunt" significet: ne si cuperent quidem, pisces nocere nobis possent.

ib. *πλήθει δ' ἐπιρχεομένῳ καθειργόμενοι* ....

Sic *incipit* demonstrare quod se demonstraturum promisit. Lege ergo *γάρ* pro *δέ.*

730 B *ἀλλ' οὐδ' ὅσα γαλῇ καὶ μυίᾳ κατοικιδίῳ μικρολόγως ἐγκαλοῦμεν ἔχοι τις ἂν αἰτιάσασθαι τὸν μέγιστον ἰχθῦν.*

Inepte *musca* cum fele coniungitur, ineptius etiam muscae datur epitheton istud: an aliae sunt domesticae, aliae agrestes muscae? Denique *μικρολογία* hominum est qui quidquam sibi *adimi* nolunt. Vix autem musca *adimere* homini aliquid dici potest. Sed facit hoc, licet parva furetur ... mus, ut opinor. Et murium sunt duae species, denique mus cum internecivo hoste commune habet furandi vitium. Lege ergo *μυΐ* pro *μυίᾳ.*

730 C *ἀλλ' οὐδ' ἁβροβίοις Φαίαξιν* ....

Recte B. *ἀ. οὐδὲ αὐτοῖς τοῖς ἁ. Φ.*

730 D *ὑπὸ τῆς αὐτῆς ἀνάγκης ἰχθύσι τε χρωμένων καὶ τὰς τοῦ Ἡλίου βοῦς κατεσθιόντων.*

Cum subiecto *οἱ δ' Ὀδυσσέως ἑταῖροι* haec sunt iungenda. Lege ergo *χρώμενοι* et *κατεσθίοντες*.

Paulo post *οἱ ἀεὶ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερεῖς* recte B. pro *ἀεὶ οἱ τ. Π. ἱ.* et pro *πατρογενίῳ*. Doehnerus *πατρὶ γενεσίῳ*.

731 B Recurrit hic illud in Plutarchi editionibus molestissimum vitium semicoli aut pro virgula positi aut eo loco ubi omnino non est incidenda oratio. Post alterum *μᾶλλον* virgulam pone.

731 C *αὐτοκρατὲς δὲ ἡ ψυχὴ καὶ κύριον ὑφ' αὑτῆς, εἰ βούλοιτο, μεταβάλλειν καὶ τρέπεσθαι ῥᾳδίως.*
Immo *ᾗ βούλοιτο* cum B.

731 E Optime inter se opponuntur *διαφορὰς ἀιδίους* et *νέοις ὀνόμασι*. Cave ergo cum W. *ἰδίους* pro *ἀιδίους* legas.

731 F *ὡς δὲ . . . δυνατόν ἐστι*
Immo *ἀδύνατον* cum M., quemadmodum elucet ex iis quae statim opponuntur.

732 A Auctus non naturam rei mutat *ὥσπερ οὐδὲ τὴν ἐλεφαντίασιν οἴομαι σφοδρότητα τῶν ψωρικῶν τινος τούτων οὖσαν.*
Structura est: *ὥσπερ οὐδὲ σφοδρότητα οἴομαι (τοῦ γένους ἐκβιβάζειν) τὴν ἐλεφατίασιν.* Pro *τούτων* cum R. *παθῶν* legere non opus videtur; est enim *τὰ ψωρικὰ ταῦτα*: communia et vulgaria ista mala quae psorica dicimus.

732 D *ἂν γὰρ αὐτὴν λέγωσι δεξάμενοι τὴν ἐπίτασιν καὶ τὴν σφοδρότητα νῦν γεγονέναι πρῶτον, ἐν τῷ ποσῷ γιγνομένης τῆς καινότητος οὐκ ἐν τῷ ποιῷ, μένει τὸ παράδοξον ὁμοίως.*
Bonum sensum mihi restituisse videor, traiicienda virgula, quae apud B. *ante* *πρῶτον* legitur et bis inserendo *τῷ* cum Bernardakii codicibus. Rectene *δεξάμενοι* vertit interpres „admittendi" verbo usus? Sine detrimento totum absit.

ib. *δοκεῖ καὶ λόγον ἔχειν τὸ μὴ δρόμῳ, καθάπερ ὕσπληγος μιᾶς πεσούσης ἐκδραμεῖν πάντα τὰ πάθη πρὸς τὴν γένεσιν.*

Illud *πάντα* ego inserendum duxi.

732 E *εἰκάσαι δ' ἄν τις ... τὰ μὲν ἀπ' ἐνδείας ... ταῦτα ... παραγενέσθαι· πλησμονὰς δὲ καὶ θρύψεις κτέ.*

Abeat hinc istud *ταῦτα.*

733 D *τούς γε Δημοκριτείους ἴσμεν καὶ λέγοντας καὶ γράφοντας ὅτι [καὶ] κόσμων ἐκτὸς φθαρέντων καὶ σωμάτων ἀλλοφύλων ἐκ τῆς ἀπορροῆς ἐπιρρεόντων, ἐνταῦθα πολλάκις ἀρχαὶ παρεμπίπτουσι λοιμῶν καὶ παθῶν οὐ συνήθων.*

Deleatur *καί* inclusum; *ἀπορροῆς* egregie B. pro *ἀπορίας.* Denique notetur *ἐνταῦθα* hic quoque positum pro *ἐνθάδε* (huc, in nostram terram).

733 E *τὴν περὶ τὰ σιτία ... ἐξαλλαγήν, ὅση γέγονεν, οὐ παραλειπτέον.*

Illud *τήν* in nova editione incuria operarii, ut opinor, excidit.

733 F *ὥσπερ ἐλαφρῶν ὁπλιτῶν ... ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεταταχθεῖσαι.*

Praeclara emendatio *ὁπλιτῶν* (pro *ὁ Πλάτων*) non Turnebi est, ut refert editor, sed Mureti, Amyoti, Mezeriaci. Doehnero debetur *μεταταχθεῖσαι* pro *μεταχθεῖσαι.*

734 C *ἡ περὶ τὴν δίαιταν μεταβολὴ τὰ μὲν οὖν γεννᾶν τὰ δ' ἀφανίζειν τῶν νοσημάτων οὐκ ἀδύνατός ἐστι.*

Pro *οὖν γεννᾶν* B. *συγγεννᾶν.* Fortasse nihil mutandum, ut *μὲν οὖν*, quamvis insolito loco positum, refutantis sit quod praecedit: *οὐδὲν δεῖται ὁ λόγος αἰτιῶν ἐπεισοδίων.*

734 D Libris quibusdam lectis Florus plenus erat *ἀποριῶν ... μαρτυρῶν αὐτῷ τῷ Ἀριστοτέλει λέγοντι τὴν πολυμάθειαν πολλὰς ἀποριῶν ἀρχὰς ποιεῖν.*

Minime obtemperandum Doehnero *οὕτω* pro *αὐτῷ* legenti. Fuerunt enim *ipsius* Aristotelis libri illi.

ib. Lege *ἑτέρους λόγους πραγματευσαμένου* cum B. pro *ἑτέροις λόγοις*.

735 A Bene structa erit sententia, si cum B. *ἑκάστου* legemus pro *ἑκάστῳ*.

735 B *ὁ Φθινοπωρινὸς (ἀὴρ) . . . διαστρέφει καὶ παρατρέπει πολλαχῆ τὰ εἴδωλα καὶ τὸ ἐναργὲς αὐτῶν ἐξίτηλον καὶ ἀσθενὲς ποιεῖ τῇ βραδύτητι τῆς πορείας ἀμαυρούμενον.*

Immo *ἀμαυρουμένων*.

735 C *ὁρῶ ὑμᾶς οἵους τ' ὄντας ἤδη σκιαμαχεῖν.*

Deleatur istud *τε*, quia interest aliquid inter *οἷός τε εἰμι* et, quo hic opus *οἷός εἰμι* cf. 734 F *λόγον τινα τοῦ Δημοκρίτου οἷος ἦν ἐκκαθαίρειν.*

Additur: *καὶ δόξῃ παλαιᾷ καθάπερ γραφῇ προσφέροντας ἁφὴν οἴεσθαί τι ποιεῖν.*

B. *βαφήν*, sed v. p. 409 F *μύθου παλαιοῦ καθάπερ ζωγραφήματος ἀφῇ διαπειρώμενον.*

735 D *τὴν ὀπώραν γεννωμένην ἄρτι προσφερόμενοι.*

Immo *γενομένην* cum R., surculis enim vescitur nemo.

735 E Eadem quae hic leguntur etiam p. 655 E. Est et hoc indicium epistolarum seorsum missarum.

ib. *γλεύκους δὲ ζέοντος ἀεὶ ἀφαιρεῖσθαι καὶ τοὺς ἐργάτας δεδιότας ὁρῶμεν.*

Bene haec emendavit W. *ἐμφορεῖσθαι* pro *ἀεὶ ἀφαρεῖσθαι* ponens.

ib. *μετίωμεν ἑτέραν ὁδόν, ἣν ὑφηγεῖται τοὔνομα τοῦ χρόνου [καὶ] τῶν ὑπηνεμίων καὶ ψευδῶν ὀνείρων.*

Inclusum *καὶ* deleatur cum W.

736 A Autumni finis senectus quaedam est. Eo enim tempore *οὔπω ἥκει τὸ ὑγρόν, οὐκέτι δὲ τὸ θερμὸν ἔρρωται· δεῖγμα δὲ γεγονὸς ἀτεχνῶς ξηρότητος ἅμα καὶ ψυχρότητος* ut corpora facile incidant in morbos efficit.

Lege cum W. *μῖγμα* pro *δεῖγμα*, nihil desiderabis neque, quod in promptu est, pro *ὑγρόν* reponere voles *ψυχρόν*.

736 D Nonus hicce liber continet sermones Athenis in *Museo* habitos *καὶ μάλιστα τὴν ἐννεάδα ταῖς Μούσαις προσήκειν.*

Ut infinitivi ratio constet, insere *τῷ* ante *καί* cum Turnebo.

736 F *ὁ ... ἀπρόθυμος ὢν ᾄδειν ... ὥ ς τ ε προσέπεμψεν αὐτῷ τὸν υἱὸν ... ἐπιβαλὼν εὐθὺς κτέ.*

Immo *ὡς δέ* cum B.

737 A Istud *εὐθυσκοπῶν* post *στίχον* esse ponendum acute B. observavit. Etenim *τῷ καιρῷ πρεπόντως* puer ille Corinthius a Mummio iussus versum recitare *τρὶς μάκαρες Δαναοί κτέ.* exclamabat.

ib. *παθεῖν τι τὸν Μόμμιον φασὶ [καὶ δακρῦσαι].*

Inclusa sibi habeant viri docti qui intelligere nolunt vel non possunt neminem simul exquisitam locutionem et verbum tritum et decantatum ponere.

ib. *ἐμνήσθη δὲ καί τις τῆς Θεωδώρου ... γυναικός κτέ.*

Sic legendum cum Madvigio: cum illud de puero Corinthio esset narratum, alius mentionem illius mulieris iniecit.

738 C Notetur *ἄφωνα γράμματα* hic *mutas* tantummodo literas, non et *liquidas* intelligi.

738 D *ἐννέα γὰρ ὄντων καὶ ὀκτὼ καὶ ἑπτά, οὕτω τὸν μέσον ἀριθμὸν ὑπερέχειν καὶ ὑπερέχεσθαι συμβέβηκε.*

Non sensu cassa scribere Plutarchum intellexit Grafius atque *ταὐτῷ* pro *οὕτω* reposuit.

738 F *πάντων ἀριθμῶν π ρ ῶ τ ο ς τ έ λ ε ι ο ς ἡ μὲν τριὰς ... ἡ δὲ ἑξὰς κτέ.*

Rectissime B. *πρῶτοι τέλειοι.* Secundum eandem rationem in fine sententiae non *παρέσχηκε* sed *παρεσχήκασι* legendum esse idem vidit.

739 B *ἕτεροι δείξουσιν ὅπου τὴν τετρωμένην χεῖρα φράζει τοῖς νοῦν ἔχουσιν ὁ ποιητής.*

L. *ὁποτέραν τετρωμένην χεῖρα.* Acuti homines Homerum legentes facile intelligent utra Veneris manus sit vulnerata.

ib. *ἔδοξεν οὖν ἡμῖν ὁ Ζωπυρίων διηπορῆσθαι.*
Quorsum illud perfectum et quorsum passivum?

739 C *δεύτερον, εἰς τὸν οὐρανὸν αὐτῆς* (*Ἀφροδίτης*) *ἀνακομισθείσης καὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἀναγελῶσαν λέγειν* (sequuntur versus noti).
Haec habet W. et quoniam desideretur verbum, unde pendeat accusativus cum infinitivo, reposuit *οἶσθα τὴν Ἀ. ἅμα γελῶσαν λέγειν*, quae vera videtur lectio. Aliam, antiquis laborantem vitiis, habet B. et aequo fert animo.

739 E *ἀνεφώνησεν . . . τὰ λοιπὰ μεῖζον φθεγγόμενος ἤδη πρὸς ἐκεῖνον ἐπέραινεν.*
Nulla hic est oppositio et tamen alia voce recitari quae ad unum pertinent et quae in medium proferuntur consentaneum est. Lege ergo *μεῖον* pro *μεῖζον*.
Hylas, qui hic ludibrio habetur, in praecedentibus non est inter confabulantes. Agnoscis haec omnia memoriter a Plutarcho relata.

740 B *τοῦ τε γὰρ οὐρανοῦ . . . ἐνταῦθα δὲ τὸν αὐτάγγελον κτέ.*
Bis *τε* esse ponendum vidit B.

740 D *τὴν τύχην παρειστάγουσι* [*καὶ*] *τροφαῖς καὶ πολιτείαις, ὧν ἕκαστοι λαγχάνουσι, πολλὰ τῶν ἡμετέρων προκαταλαμβάνουσαν.*
Prius *καί* abesse debet.

740 F *ἂν οὖν . . . διαριθμῇς, αὐτὸ συμβαίνει.*
B. *αὐτό* corruptum censet, non ego; etenim *αὐτὸ συμβαίνει* est: „*ratio apparet*" („'t komt precies uit").

741 C Sospis rhetor his verbis invehitur in Academicos.
οὐδὲν γὰρ οἱ τοιοῦτοι στόμαχοι διαφέρουσι τῶν ἐρωτώντων πότερον ἄρτια τῇ χειρὶ συνειληφότες ἢ περιττὰ συντείνουσι.
Pro absurdo convicio *στόμαχοι* Doehnerus coniecit *λογομάχοι*. Sed num in Academicos potissimum illud competit, et, si com-

peteret, num ideo a *rhetoribus* contemnerentur? Nonne omnis ipsorum ars est *verbis pugnandi*? Equidem propono *σκιομάχοι* vel *σκιαμάχοι* non quod maiorem habeat „probabilitatem diplomaticam" (plerumque enim librarium in errorem induxit non oculus errans sed mens) sed ét quia unice aptum est Academicis (hi enim semper dubitantes, nunquam rem ad certum eventum perducentes, revera *de umbra*, aut, si hoc mavis, de *asini umbra* pugnant) ét quia rhetoribus maxime odio esse debent argumenta quae ab istis philosophis tractantur: obscurissima enim quaeque iis maxime sunt in deliciis, at ipsi ex ipsa vita, tamquam e fonte uberrimo, hauriunt aut de iusto et iniusto, de aequo et iniquo, denique de rebus ad vitam hominum pertinentibus disputant.

Sed praeterea haud dubie *ultimum* vocabulum est corruptum et ita quidem corruptum ut innumera in textu Plutarchi vocabula: *συνειληΦότες . . . συντείνουσι* natum est e *συνειληΦότες . . . προτείνουσι*. Cogita modo de initio *Vesparum* Aristophanis.

742 A Paris et Menelaus singulari pugnaverunt proelio ea conditione ut *victor* haberet Helenam. Sed quid hic est *victorem esse*? Ipsi enim verbo *νικᾶν* usi sunt, sed verbo *καταπέΦνῃ* Agamemnon in iurerurando recitando. Atqui *vicit* Menelaus sed non *occidit* Paridem, ergo:

μεταλαβόντες ἑκάτεροι τὴν ἀξίωσιν ἰσχυρίζονται τοῖς τῶν πολεμίων, οἱ μὲν ὡς νενικημένου τοῦ Πάριδος ἀπαιτοῦντες, οἱ δ' ὡς μὴ τεθνηκότος οὐκ ἀποδιδόντες.

Verba *μεταλαβόντες ἑκάτεροι τὴν ἀξίωσιν ἰσχυρίζονται τοῖς τῶν πολεμίων* me non intelligere fateor. Quod dat interpres: „utrique habent quo se tueantur" aptissimum praebet sensum sed qui in verbis Graecis non inest.

742 B Sospis potiorem esse causam eius qui provocavit ait: eum enim tamquam *legem* dedisse:

οἱ δὲ δεξάμενοι καὶ ὑπακούσαντες οὐκέτι κύριοι προστιθέντες.

Pro ultimo vocabulo lege *προστιθέναι τι*, quo opus esse ultro fatetur interpres haec dans: „ius addendi aliquid non habent".

743 A Ipse Menelaus per totum campum Paridem quaerens *μεμαρτύρηκεν ἄκυρον εἶναι καὶ ἀτελῆ τὴν νίκην.*

Articulum cum Doehnero inserui.

743 B Apud Homerum Menelaus, ut opinor, non *τὰς ἀποτεύξεις* sed *τὴν ἀπότευξιν ὀδύρεται*, quod sibi Paris sit e manibus ereptus, Lege ergo hic *τὴν ἀπότευξιν ὀδυρομένου* pro *τὰς ἀποτεύξεις ὀδυρομένου.*

743 D *σὺν τοῖς βασιλεῦσιν αὐτὴν* (Calliopen) *παρεῖναί φασιν.*

Immo *φησιν* cum Madvigio: dicit hoc Hesiodus, cuius modo sunt citati versus.

ib. *ἐνιαχοῦ δὲ καὶ πάσας, ὥσπερ ἐν λείῳ, τὰς Μούσας Μνείας καλεῖσθαι λέγουσι.*

In corrupto *λείῳ* equidem *poematis* nomen latere suspicor.

743 E *ἐγὼ δὲ μεταποιοῦμαί τι καὶ Εὐτέρπης· εἴπερ, ὥς φησι Χρύσιππος, αὐτὴ τὸ περὶ τὰς ὁμιλίας ἐπιτερπὲς εἴληχε καὶ κεχαρισμένον.*

Pro *αὐτὴ* cum Grafio legatur *αὕτη.*

743 E Rhetoris *λέξεις ἔχουσί τι καὶ εὐμενείας κτέ..*

A W. sumo *λέξεις* (pro *ἕξεις*) et *τι* insero cum B. Lacunam, quae mox sequitur recte, quod ad sensum attinet, supplesse W. videtur.

743 F *οὐκ ἄξιόν σοι νεμεσᾶν καὶ πλείῃ χειρὶ τῶν Μουσῶν ἐπιδραττομένῳ.*

Facessat hinc istud *καί.*

ib. Sine ulla causa bis *πάντες* ponitur; dele prius.

744 B *ἀλλὰ τί ταῦτα ταῖς Μούσαις μᾶλλον ἢ τοῖς ἄλλοις θεοῖς προσῆκεν, ὅτι Μούσας ἔχομεν ἐννέα, Δήμητρας δὲ καὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἀρτέμιδας οὐκ ἔχομεν;*

Nonne *ὥστε* pro *ὅτι* legendum? Recte interpres: *ut habeamus.*

745 A *'Απόλλωνι Παιᾶνι χρωμένους πάντα, Μουσαγέτῃ δὲ μηδέν.* Recte *δέ* inserit B.

745 C *Μούσαις ἐμΦιλοδαμοῦσα* recte W. legit pro M. *Φιλοδαμοῦσα.*

745 D *ὥς ἐστι νόμος ἐν πόλει τοῖς βελτίστοις τὸ βέλτιστον αὐτῆς, ἀπαράτρεπτον καὶ ἀπαράβατον οὐ τῷ μὲν ἀδυνάτῳ τῷ δ' ἀβουλήτῳ τῆς μεταβολῆς.*

In initio lege: *ὥς ἐστιν ὁ νόμος* cum B., in fine cum W. exime *μέν*, ut hic exsistat sensus: „non quod mutari nequeat, sed quia nemo eam mutare vult."

445 E *τὰ δ' ὦτα τῶν μὲν πλείστων περιαλήλιπται καὶ καταπέπλασται σαρκίνοις ἐμΦράγμασι καὶ πάθεσιν, οὐ κηρίνοις.*

Praeclaram imaginem restituit Grafius pro *καὶ πάθεσιν* legendo *τοῖς πάθεσιν.*

745 F *γλιχομένης καὶ ποθούσης λῦσαι δὲ μὴ δυναμένης ἑαυτὴν ἀπὸ τοῦ σώματος.*

Recte *δέ* pro *τε* W.

746 A *Μοῦσαι δ' εἰσὶν ὀκτὼ καὶ συμπεριπολοῦσι ταῖς ὀκτὼ σΦαίραις.*

Immo *sunt* novem Musae, sed earum octo praesunt sphaeris illis. Lege ergo cum Grafio *ἔπεισιν* pro *εἰσίν.*

ib. *μία δὲ τὸν μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης τόπον ἐπισκοποῦσα καὶ περιπολοῦσα, τοῖς θνητοῖς, ὅσον αἰσθάνεσθαι καὶ δέχεσθαι πέΦυκε, χαρίτων καὶ ῥυθμοῦ καὶ ἁρμονίας ἐνδίδωσι, διὰ λόγου καὶ ᾠδῆς πειθὼ πολιτικῆς καὶ κοινωνικῆς σύνεργον ἐπάγουσα παραμυθουμένην.*

Transpone *πειθώ* ut post *κοινωνικῆς* legatur: Musae cantus civilis est et communis, suadela eius est adiutrix quae admonet homines.

746 B *μίαν ἔχοντα καὶ ἁπλῆν α ἴ τ ι ο ν Φύσιν.*

Immo *αἰτίαν* cum Turnebo.

746 C *τοῦ βίου τὸ μὲν σπουδῇ τὸ δὲ παιδιᾷ μέρος ἐστί.* Immo *σπουδή* et *παιδιά* cum M.

746 D Reliquarum Musarum est *τὸ ἀκόλαστον ἡμῶν* bonis artibus *εὐσχημόνως καὶ κοσμίως ἐκδέχεσθαι καὶ παραπέμπειν.*

Vix in Mnemosyne (vol. XLII p. 16) scripseram apud Tacitum in Dial. c. 28 legendum esse: „de urbe et eius propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus *comitantur*" cum in haec Plutarchi verba iterum incidebam, quae meam emendationem: „excipiunt ... comitantur" non quidem confirmant (neque enim Tacito Plutarchi neque Plutarcho Taciti auxilio opus erat scribenti) sed tamen lepide illustrant.

746 F *οἶδε καὶ ὀφθαλμῶν ἡδονήν, εἶδος κτέ.*

L. cum Emperio et W.: *τὸ δὲ δι' ὤτων καὶ ὀφθαλμῶν ἡδονῆς εἶδος κτέ.*

747 A *ὥστε τὸ μὲν εὐφροσύνην μὴ κήλησιν εἶναι, τὸ δὲ μὴ γοητείαν ἀλλὰ τέρψιν.*

Recte B. *τὸ μέν* pro *τὴν μέν.*

747 B Egregie W. *πυραμοῦντες ἐπήγοντο τοῖς παισὶ νικητήριον* pro *πυραμοῦντος ἐπῆραν τοῦτ' ἐσπᾶσι.*

ib. *δύο τοὺς εὐδοκίμους* convivae iubebant saltandi quoddam exhibere artificium. Immo *δύο τοὺς εὐδοκιμοῦντας*, duos pueros saltandi arte insignes.

747 C *ἡ γὰρ ὄρχησις ἔκ τε κινήσεων καὶ σχέσεων συνέστηκεν ὡς τὸ μέλος τῶν φθόγγων καὶ τῶν διαστημάτων.*

Pro priore *τῶν* lege *ἔκ τε*, alterum dele.

747 D Et aliis de bello utuntur metaphoris poetae et dicunt *τὴν ἰσόρροπον μάχην „ἴσας ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχειν."*

Iure Grafius pueri annotationem *ὑσμίνη* exemit e textu.

748 A *ποίησιν γὰρ εἶναι τὴν ὄρχησιν σιωπῶσαν, καὶ φθεγγομένην*

ὄρχησιν πάλιν τὴν ποίησιν· ὅθεν εἶπεν οὔτε γραφικῇ μετεῖναι ποιητικῆς οὔτε ποιητικῇ γραφικῆς, οὐδὲ χρῶνται τὸ παράπαν ἀλλήλαις.

Plutarchi manum restituisse videtur W. pro *ὅθεν εἶπεν οὔτε* legendo *ὅθεν οὔτ' εἰπεῖν ἔστι.*

ib. *τὸ τῶν ὑπορχημάτων γένος.*

Recte B *τῶν* inseruit.

748 C Citatis versibus poetae melici, quos quomodo Bergkius aliique emendent nunc non quaerimus, haec addit: *καὶ τὰ ἑξῆς μονονοὺ λειόθεν τὴν ἐν ὀρχήσει διάθεσιν τὰ ποιήματα.* Quae optime sic B. emendat: *καὶ τὰ ἑξῆς μονονοὺ λέγει ποθεῖν τὴν ἐν ὀρχήσει διάθεσιν τὰ ποιήματα.* In iis quae sequuntur male *δέ* abundat inter *τούτων* et *λεγομένων*, exempto demum bene decurrit sententia.

748 D *καὶ γὰρ καὶ αὕτη πάνδημόν τινα καὶ ποιητικὴν προσεταιρισαμένη κτέ.*

Sic cum W. legendum esse pro *καὶ γὰρ αὕτη καί* clamat contextus.

ib. *παρὰ τοῖς νοῦν ἔχουσι καὶ θείοις ἀνδράσι.*

Acute et apte Grafius pro *θείοις* reponit *ἀστείοις.*

CAPUT XVII.

AMATORIUS.

Hic liber quodammodo effecit ut in vitam revocaretur Plutarchus: hinc enim profectus Levequius imaginem illam philosophi Chaeronensis eiusque aequalium depinxit, quam a. 1867 bibliothecae c. t. *Revue des deux Mondes* insertam ego a. 1903 seorsum edendam curavi [1]). Neque mirum: *vitam* enim illius temporis totus liber spirat. Et vix ullus alius Plutarchi liber tam clare nobis ipsum scriptorem ponit ante oculos. Ut alia omnia mittam, et philosopho et scriptori Plutarcho quae summa sit visa gloria hinc vel maxime elucet: Platonem imitatur sed simul, si fieri potest, Platonem superare nititur. Argumentum simillimum est illi quod in Platonis tractatur *Convivio*, sed multo maior est colloquiorum varietas: „scena dramatis" modo in Helicone est modo in ipso Thespiis oppido, nunc hi nunc illi disputantes inducuntur, identidem (ut in libro *De Genio Socratis*) tota disputatio nuntiis de rebus, quae interea alibi evenerunt, interrumpitur, denique omnis includitur fabula colloquio quo de ea Flaviano narrat Autobulus.

Autobulum hunc, qui omnia se *e patre suo* cognovisse ait, *non* esse Plutarchi filium (de cuius nuptiis agitur Q. C. l. IV initio Problematis 3, et cuius causa librum *de animae procreatione in Timaeo* ipse pater conscripsit), neque ergo patrem illum ipsum esse Plutarchum demonstrare Volkmannus studet disputatione quae tota duobus nititur argumentis:

---

1) Ornatam hoc titulo: *Caroli Lévèque* libellum aureum de Plutarcho mentis medico denuo edendum curavit J. J. Hartman L. B. Sythoff.

1 Autobulus si Plutarchi fuisset filius, etiam filium habuisset Plutarchus Flaviano nomine, de quo aliunde nihil nobis innotuit, siquidem p. 748 F sic colloquendi facit initium Flavianus: „nunc mihi, Autobule, sermones illos in Helicone habitos refer, sive eos chartae mandasti sive memoria tenes *τῷ πολλάκις ἐπανερέσθαι τὸν πατέρα.*"

Perversissime, ne quid dissimulem, mihi hic vir summus verba *τὸν πατέρα* sic interpretari videtur: „*nostrum* patrem." Licet enim utrumque, et *nostrum* et *tuum*, articulus ille significare possit, sponte tamen propensiores sumus in hanc sententiam ut de *solius* Autobuli patre sermo sit. Res vero ipsa tantum non cogit nos sic articulum accipere. Fac enim fratres esse Autobulum et Flavianum, quidni hic quoque de ea re patrem interrogavit? An nunc demum ei cordi esse incipit? Et *novit* Flavianus saepe Autobulum de colloquiis in Helicone habitis patrem interrogasse. Si, ut ego censeo, diversus Flaviani pater a patre Autobuli, identidem obiter *amico* narravit se denuo quaedam de iis e patre audivisse, et fortasse pollicitus est se oblata facultate omnia ordine relaturum, sed praeterea nihil, ita ut nunc aut iure suo postulare ab *amico* Flavianus possit ut nomen suum solvat aut certe, si sumimus nunc demum aptum illi rei venisse tempus, haud inepte rogare ut tandem aliquando suam spem, quam ex amici verbis obiter iactis conceperit, expleat. Quo quid magis verisimile, quid ipsi rei, de qua agitur, naturae accommodatius? Contra quam absurda et quam incredibilia fiunt omnia, si *fratres* sunt Autobulus et Flavianus. Quid enim? Scit fratrem frater saepe cum communi amborum patre de aliqua re collocutum. Qui scit? Ut opinor quia assedit ipse, nam si non assedit, totam rem, cuius nunc cognoscendae tam cupidus est, parum curavit. Quid ergo ei nunc in mentem revocari opus ea quae non minus bene novit ipse quam frater quem interrogat? An forte, dum frequentia illa Aristobuli cum parte fiebant de disputationibus Heliconensibus colloquia, peregre aberat Flavianus? Equidem, qui semper magni faciam illud quod „e silentio" dicitur argumentum, licet plerumque nunc spernatur, hic certe aliquam eius iniici oportuisse mentionem contendo; non sic nude *τῷ πολλάκις ἐπανερέσθαι τὸν πατέρα* dixisset, sed, si nihil aliud, *ὥς φῄς* addidisset.

2 Sic Volkmannus ratiocinatur: dum habetur conventus ille Heliconensis, iam mortuus est Domitianus (id quod luce clarius e capite 25, p. 771 C apparere lubentissime Volkmanno concedo), et *modo* uxorem duxit Autobuli pater (hoc quoque verissimum). Qui si ipse Plutarchus est, iam quinquagenarius fere uxorem Plutarchus duxit. Cumque Autobulus, qui omnia illa colloquia refert, iam vir sit adultus, scribi ante annum 120 *Amatorius* ne potuit quidem. At utrumque incredibile, ergo Autobuli pater *non* est Plutarchus."

Ego vero sic disputo: scriptus est *Amatorius*, ut maior pars Moralium, anno fere 107. Autobulum filium hic Plutarchus inducit omnia narrantem quae e patre audivit ipse, sed in ea narratione temporum ratio confunditur. At *semel* tantummodo id fit, et levissima est confusio: dum enim Sabini et Eponinae historia, quae in annum 69 incidit, refertur, *obiter* Domitiani mortui fit mentio. Nonne parata venia scriptori qui, dum qua fuerit in Eponinam crudelitate Vespasianus narrat, *subito* propositi fiat immemor decantatumque illum adiiciat locum de Domitiano per quem tota gens Flavia omnium suorum peccatorum dederit poenas? Cum praesertim totus ille memoriae lapsus ad solam fabulae scenam pertineat, sitque eiusmodi ut a „benevolo lectore" vix observetur, certe facillime possit negligi.

Nam levius hoc — quamquam minime tamen negligendum — quod ipse Volkmannus minime accuratus hic fuit. Ad Wyttenbachium provocat qui „Animadversionum in Plutarchi Opera Moralia p. 171" iam demonstraverit Autobulum non esse Plutarchi filium. At ea pagina ne unum quidem de Autobulo legitur verbum: **Soclarum** ibi Wyttenbachius demonstrat non filium sed aequalem Plutarchi esse.

Denique utra, obsecro, verisimilior est sententia, meane, quam hic proposui an Volkmanni illa quae huc redit:

„pater Autobuli in disputando purus putus, ut ita dicam, est Plutarchus: rationalismum, qui dicitur, impugnat p. 757 C [1]),

1) Quis non ipsissimam hic vocem Plutarchi audit: *ὁρᾷς δήπου τὸν ὑπολαμβάνοντα βυθὸν ἡμᾶς ἀθεότητος, ἂν εἰς πάθη καὶ δυνάμεις καὶ ἀρετὰς διαγράφωμεν ἕκαστον τῶν θεῶν*? Nonne eiusdem haec sunt qui alibi inter se opposuerit *paludem δεισιδαιμονίας* et *ἀθεότητος* abyssum saxosum?

Academiae laudem praedicat verbis magnificentissimis p. 763 F, mythologia Aegyptiaca symbolice, ut dicimus, utitur ut res moribus emendandis, quam maxime idoneas illustret p. 764 B sqq. ..... et tamen *non* est Plutarchus ipse, licet alibi disertis verbis Plutarchum audiamus tradentem filium sibi esse Autolycum nomine."

Vides me aperte et ingenue retractare sententiam, quam in libro vernacule scripto admodum acriter defendi. Quid mihi tum evenerit nescio, satis enim accurate iam tum et *Amatorium* et omnia Plutarchi scripta moralia legeram. Imposuit mihi, ut opinor, Volkmanni auctoritas et elegans disputatio.

Sed sive tunc erravi, sive, id quod haud facile mihi persuadebitur, erro nunc, de libri nostri *argumento* idem est statuendum quod statui antea: Autobuli pater primas partes agit, ergo defendit ea quae ipsi Plutarcho maxime cordi sint. Iam parvi scire interest Plutarchine filius ille Autobulus sit an alius nescio quis.

Certe non esse hominem ignotum vel ignobilem Flavianum, quocum colloquens iam statim ab initio Autobulus inducitur, ipsum viri nomen clamat: e gente est Flavia, ipsis fortasse, qui antea fuerunt, imperatoribus cognatus et, ut de aliis taceam, novimus Tampium illum Flavianum, legatum consularem Pannoniae. Vir ergo est amplissimus, summo loco natus ... atque huic liber noster dedicatur. Hoc enim sibi vult nomen eius in fronte positum et deinde hic illic sparsum. Habet Flavianus cur librum, qui ipsi tantum decoris afferat, ab hominibus legi cupiat quam plurimis. Et dedit operam ipse scriptor ut et ab aliis et a Romanis lubentissime legeretur. Romanarum rerum plenus est liber, vel earum quae Romanis quam maxime cordi essent: de Claudio Civile, Sabino, Eponina narratur, de Sinato, Sinorige Camma Gallis, iocose Maecenas servum increpans inducitur, commemoratur Caci fabula, a dictatore Romano petitur exemplum, denique Pisias ita mulierum luxum impugnans inducitur tamquam si Cato hic legem suaderet Voconiam Oppiamve.

Denique summo artificio structum est totum opus, in quo unum modo, idque levissimum, deprehenditur vitium, quod iam notavi: magnam colloquii partem haberi a sapientibus, dum ab Helicone Thespias ambulant, intelligendum nobis relinquitur;

melius fuisset si id ab ipso scriptore disertis esset dictum verbis.

De singulis locis quae annotem haec habeo:

749 A „Mitte decantata ista ornamenta quae imitatores solent *ἐπιγράφεσθαι*" Flavianus ait.

Vocabulum Graecum „transscribere" vertit interpres, ad sensum apte, sed sensum hunc illud verbum habere non potest. Lege *ἀπογράφεσθαι* et, ut alios locos mittam, cogita de Catone minore, cuius (in vita c. 18) dicuntur servi semper in aerario stetisse *ἀπογραφόμενοι τὰς διοικήσεις.*

749 E *ἥ τε μήτηρ ὑφεωρᾶτο . . . τινὲς δὲ καὶ συγκυνηγοί κτέ.*
Quo consilio hic editor pro *τε*, quod unice aptum, reposuerit *γε* prorsus me latet.

749 F Uxorem ducere Pisias iuniorem amicum nolebat *ὅπως ἄθικτος αὐτῷ καὶ νεαρὸς ἀποδύοιτο πλεῖστον χρόνον ἐν ταῖς παλαίστραις.*

Nonne *συναποδύοιτο* legendum est?

750 B *πέντε μόνον ἡμερῶν ὁδὸν ἀπέχοντι τῆς πατρίδος.*
Rectissime illud *ὁδόν* addendum esse intellexit B.

750 C *οὐδ' ἐρᾶν ὑμᾶς ἔγωγέ φημι τοὺς γυναιξὶ προσπεπονθότας ἢ παρθένοις.*

Post *γυναιξί* Herw. inserere vult *τι*, iniuria, ut opinor: frequentissimum est apud Plutarchum *πάσχειν* simplex de eo qui quocunque tandem modo afficitur.

750 E Amor, si amicitiae spem amisit, *οὐκ ἐθέλει παραμένειν οὐδὲ θεραπεύειν ἐφ' ὥρᾳ τὸ λυποῦν καὶ ἀκμάζον.*

Suos sibi dolores afferre amorem saepe audimus, sed cum verbo *ἀκμάζειν* parum opportune iunguntur illi. Quapropter pro *λυποῦν* rectissime *ἀνθοῦν* reposuisse Reiskium persuasum mihi est.

750 F De vulgari feminarum amore Protogenes sic disputat: *εἰ δ' οὖν καὶ τοῦτο τὸ πάθος δεῖ καλεῖν Ἔρωτα, θῆλυν καὶ νόθον ὥσπερ εἰς Κυνόσαργες συντελοῦντα τὴν γυναικωνῖτιν.*

Arena sine calce. Utcunque haec R. conglutinavit post θῆλυν inserendo δεῖ καλεῖν, sed admodum invenusta ista repetitio et locus vel sic subobscurus.

751 D πολὺ μᾶλλον εἰκός ἐστι τὸν γυναικῶν ἢ τὸν ἀνδρῶν ἔρωτα ad amicitiam pervenire.
Iure alterum τόν Herwerdenus inseruit.

751 E Solon senex ad quietem pervenerat ὥσπερ ἐκ ζάλης καὶ χειμῶνος καὶ τῶν παιδικῶν ἐρώτων.
Exime alterum καί et de exquisitissima structura ὥσπερ ἐν νηὶ τῇ πόλει διαπονεῖν legatur notissimus locus apud Cobetum.

751 F παραδὺς εἰς τὰ γυμνάσια καὶ προσανατριβόμενος ἡσυχῇ καὶ προσεμβαλὼν (τοῖς νέοις) κτἑ.
Ineptum est ultimum vocabulum et pro aoristo praesens requiritur. Acute B. προσαικάλλων coniecit.

752 A σβεννυμένην ... εὐθὺς ἐξανάπτοντα.
Tria haec vocabula sufficiunt ad demonstrandum cum R. αὖθις pro εὐθύς esse legendum. Paulo post κονίεται δή legendum esse pro κονίεται δέ legenti statim apparebit.

752 B Lepide hic, ut et alio Plutarchi loco, quem paulo ante notavimus, et in Taciti Germania *cervisia* contemnitur.

ib. μικρὸν δ' αὐτοῦ καταλιπόντος ....
Immo διαλιπόντος cum Herwerdeno: pausa enim fit.

752 D Non tam igne liquefit aes quam alio aere fluente. Hoc ad Daphnaeum transfert sic:
καὶ τοῦτον οὐκ ἐνοχλεῖ τὸ Λυσάνδρας κάλλος, ἀλλὰ συνδιακεκαυμένῳ καὶ γέμοντι πυρὸς ἤδη πολὺν χρόνον πλησιάζων καὶ ἁπτόμενος ἀναπίμπλαται.
Supra (749 B) certiores facti sumus Lysandrae amore captum Lysandrum, quo amico dum utitur, Daphnaeus eodem modo afficitur. Insere ergo Λυσάνδρῳ post ἀλλά et διακεκαυμένῳ lege pro συνδιακ.

752 E „Λέγω τοίνυν' ὁ Πεισίας" ἔφη „προκηρύξας ἐμοῦ γ' ἕνεκα πάσαις γυναιξὶν ἂν ἐραστὴν" κτέ.

Quid in isto ἂν ἐραστήν lateat se ignorare B fatetur; ego ἀνέραστον suspicor et supplendum πόλεμον ut satis lepide Pisias ludat nota formula πόλεμος ἄσπονδος καὶ ἀκήρυκτος.

752 EF μέγα γὰρ ἂν ἐλαφρᾷ καὶ λιτῇ γυναικὶ μειρακίου συνελθόντος εἰς ταὐτὸν ἡ κρᾶσις οἴνου δίκην ἐπικρατήσῃ.

Neque haec intelligo neque sequentia:

ταύτην δ' ὁρῶμεν ἄρχειν καὶ κρατεῖν δοκοῦσαν

neque multum me adiuvat Emperius pro δοκοῦσαν reponens ποθοῦσαν. Pro ἡ κρᾶσις interpres dat „masculus sexus", ad sensum recte, sed quo iure?

753 B ἐρᾶται γὰρ αὐτοῦ νὴ Δία καὶ κάεται.

Istud ἐρᾶται a dormitante librario pro ἐρᾷ scriptum videtur. Non enim eiusdem scriptoris est brevissimo intervallo ἐρᾶται et ἐρᾶν, activo utrumque sensu, ponere.

ib. ἐρᾶν δὲ φάσκουσαν γυναῖκα φυγεῖν τις ἂν ἔχοι καὶ βδελυχθείη, μήτι γε λάβοι γάμου ποιησάμενος ἀρχὴν τὴν ποιαύτην ἀκρασίαν.

Ipsa nocte obscuriora haec. Quae dat interpres aptissimum praebent sensum sed vocabulis Graecis parum respondentem.

753 C τί δ' οὐκ ἂν ἔγκλημα γένοιτο γυναικός, εἰ δι' ἔρωτα καὶ πλοῦτον ἀπορρίψομεν Ἰσμηνοδώραν; βαρεῖα γὰρ καὶ πλουσία.

Pro ultimo καί rectissime Emperius εἰ reponit.

ib. αἱ δὲ σώφρονες (sic rogare pergit feminarum patronus ille, quem ego ipsum Plutarchum esse contendo) οὐδὲ αὐστηρὸν καὶ κατεγνυπωμένον ἐπαχθὲς ** καὶ δυσκαρτέρητον ἔχουσι, καὶ ποινὰς καλοῦσιν αὐτὰς καὶ τοῖς ἀνδράσιν ὀργιζομένας, ὅτι σωφρονοῦσιν;

Ita locum B. edidit. Sed non de eo sanando desperare oportet. Lege οὐ τὸ αὐστηρόν pro οὐδὲ αὐστηρόν et καλοῦμεν pro καλοῦσιν, omnia erunt lepidissima et Plutarcho dignissima. Non opus pro ultimo καί cum Emperio ἀεί legere; iocose senex noster istas austeras mulieres furias appellat quae viris succenseant quod castae sint virgines.

753 D *ἆρ' οὖν* (idem rogat) *κράτιστον ἐξ ἀγορᾶς γαμεῖν* . . . *Βακχίδα Μιλησίαν ἀνέγγυον ἐπαγομένην δι' ὠνῆς καὶ καταχυσμάτων;* Reponatur simplex *ἀγομένην*. Pretio talis femina *ducitur* in matrimonium sed nullo auctore.

754 B *ὁ μὲν γὰρ Ἀντίγονος ὠχυρωμένῳ τὴν Μουνιχίαν τῷ Φρουροῦντι γράφων κτέ.*

Immo *ὠχυρωμένην*.

ib. *ἀνδρὶ δὲ πλουσίας ἢ καλῆς οὐ προσήκει μηδὲ τὴν γυναῖκα ποιεῖν ἄμορφον ἢ πενιχρὰν ἀλλ' ἑαυτὸν . . . ἴσον παρέχειν κτέ.*

Ut sanus aptusque evadat sensus, dele *οὐ* et pro *μηδέ* lege *μή*.

755 D Nuntiato Bacchonem, formosum adolescentulum, *raptum* ab Ismenodora, quae eum deperibat, *ὁ Σώκλαρος ὑπομειδιῶν „οἴει γὰρ ἁρπαγήν" ἔφη „γεγονέναι καὶ βιασμόν, οὐκ ἀπολόγημα καὶ στρατήγημα τοῦ νεανισκου νοῦν ἔχοντος."*

Quid sibi hic *ἀπολόγημα* velit, et quam rem Baccho eo quod raptus est dici possit *verbis defendere* haud facile exputabis. Equidem repono *ἀποτόλμημα* et quod ante *νεανίσκου* legitur *τοῦ* expungo: „callidi adolescentuli audacia et dolus fuit id quod evenit".

757 B Chrysippus etymologica ratione usus *ἀναιρεῖν . . . εἶναι τὸν Ἄρην Φησίν*.

In textum receptam oportuit praestantissimam Peterseni emendationem *ἀναίρεσιν* pro *ἀναιρεῖν* legentis.

757 D „Caedis et belli" Pemptides ait „deus est" *πάθους δὲ γάμου καὶ Φιλότητος . . . οὐδεὶς θεῶν μάρτυς;*

Sensu cassa haec sanabis *καί* post *δέ* cum R. inserendo.

757 F „Hominem" Plutarchus ait „cuivis arbori vel plantae postponunt"

οἱ νομίζοντες ἀρότου καὶ σπόρου καὶ Φυτείας ἐπιμέλειαν θεοῖς προσήκειν.

Ain uero? Ergone homines pii ipsam humanitatem spernunt? Insere *μέν* post *ἀρότου* et pro semicolo virgula posita, haec artis-

sime iunge cum sequentibus *μειρακίων δ' ἄρα ... τροφαὶ καὶ αὐξήσεις οὐδενὶ θεῶν ἢ δαιμόνων προσήκουσιν*; (cf. *οὐκ εἶπον μὲν ... οὐκ ἔγραψα δέ*).

758 A Partus *ἔχει θεῖον ἐπίσκοπον Εἰλείθυιαν.*
Immo *θεόν* cum B.

758 B *ἔστι δέ τις ἐκεῖ κομιστὴρ ἐνθένδε καὶ ἀρωγὸς τῶν ἐν τέλει γενομένων κατευναστὴς καὶ ψυχοπομπός.*
ἐνθένδε (*hinc*, e terris) oppositum habere debet „*ad* inferos". Lege ergo *ἐκεῖσε* pro *ἐκεῖ* et cum W. pro *ἀρωγός ἀγωγός.*
Sequitur *καὶ τὰ τοιαῦτα πολλὰς ἔχει δυσχερείας*, quibus verbis statim *opponuntur* haec: *ἐκείνου δ' οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ἔργον ἱερώτερον.* Ergo pro *καί* lege *καίτοι* cum W.

758 C *οὔτ' ἄλλον ἔχουσαν ἡγεμόνα ... ἀλλὰ τὸν ... Ἔρωτα κτέ.*
B. post *ἀλλά* inserere *ἤ* vult. Sed sic habebimus „praeter Amorem non alium habet ducem" cum requiritur: „ipsum Amorem habet ducem", quod traditum est.

758 E Est et mania quaedam *οὐκ ἀθείαστος οὐδ' οἰκογενής, ἀλλ' ἔπηλυς ἐπίπνοια καὶ παρατροπὴ τοῦ λογιζομένου καὶ Φρονοῦντος ἀρχὴν κρείττονος δυνάμεως ἀρχὴν ἔχουσα καὶ κίνησιν.*
Insigne exemplum frequentissimi in textu Platonis vitii, quod bene hic sanat B. pro priore *ἀρχήν* legendo *ἀπό τινος.*

ib. *ἐνθουσιασμοῦ δὲ τὸ μαντικὸν ἐξ Ἀπόλλωνος ἐπιπνοίας καὶ κατοχῆς, τὸ δὲ βακχεῖον ἐκ Διονύσου.*
Post prius *τό* insere *μέν.*

759 A Bellico furore cessante miles *κάθηται πολεμούντων τῶν ἄλλων ἀπόλεμος θεατής.*
Recte quidem illud *πολεμούντων* inserit R. sed simul sequens *τῶν* erat delendum.

759 C—F lacunas huius loci bene supplesse videntur W. et B.

760 E Sic Plutarchus narrat: Cleomachus Pharsalius:

ἧκεν ἐπίκουρος Χαλκιδεῦσι τοῦ Θεσσαλικοῦ πολέμου πρὸς Ἐρετριεῖς ἀκμάζοντος.

Insana haec prudenter sanat Hermannus ante τοῦ inserendo μετά. Sed nunc quae annectuntur sic sunt refingenda: τὸ μὲν γὰρ πεζὸν ἐδόκει τοῖς Χαλκιδεῦσιν ἐρρῶσθαι, τοὺς δ' ἱππέας μεγ' ἔργον ἦν ὤσασθαι τῶν πολεμίων. Hic τὸ μὲν γὰρ lege pro καὶ τὸ μέν. Praeterea μέγα delendum censeo, cf. 761 D Ἡρακλέους δὲ τοὺς μὲν ἄλλους ἔρωτας ἔργον ἐστὶν εἰπεῖν διὰ πλῆθος.

761 C ἐραστοῦ δὲ θω δὲ καὶ ἐρωμένου μέσος οὐδεὶς πώποτε διεξῆλθε πολέμιος οὐδὲ διεξήλασε.

Istud θω δέ una litura delere malim quam cum B. σῶος legere.

762 E εἶπεν ὁ Δαφναῖος.

Colloquii ratio aut cum Patzigio εἰπὲ ὦ Δαφναῖε aut cum B. ὃ εἶπεν ὁ Δαφναῖος rescribi iubet. Hoc praestare videtur.

763 B ἡμῖν ταὐτὸ σῶμα πολλοὶ καὶ ταὐτὸ κάλλος ὁρῶσιν, εἴληπται δ' εἷς ὁ ἐρωτικός.

Egregie pro ἡμῖν W. reposuit καὶ μήν.

764 E Eros reprehenditur tamquam ἀναπείθων ἐν ἑαυτῷ καὶ περὶ ἑαυτὸν αἰτεῖσθαι τά τ' ἄλλα καὶ τὴν ἀλήθειαν.

Praestantissima est Wyttenbachii emendatio κεῖσθαι pro αἰτεῖσθαι.

764 F τῶν γενομένων ἐνταῦθα καὶ μεταβαλόντων.

Haec sic interpres vertit: „animorum, qui ex illa in hanc vitam veniunt et mutantur", certe ad sensum recte.

Paulo post bene lacuna a B. suppletur.

765 B θνητὰ μέντοι θεῶν καὶ ἀπαθῶν παθητὰ καὶ νοητῶν αἰσθητὰ μηχανώμενος.

Rectissime καὶ ἀπαθῶν B. addidit.

765 C ἐκκαλούμενοι τὰς ὄψεις καθορῶσι.

Bene sententiae et nexui consuluit B. ἐγκλώμενοι τ. ὄ. κ. legendo.

Sequitur: *καὶ συγγίγνονται διὰ λόγων τὰ πολλὰ καὶ πράξεων ἀλλήλοις, ἂν περίκομμα τοῦ καλοῦ καὶ εἴδωλον ἐν ταῖς διανοίαις ἔχωσιν.*
Lege *εὕρωσιν* cum W.

765 D *ἐνθουσιῶντες καὶ περισπῶντες εὐπαθοῦσι τῇ μνήμῃ.*
Egregie R. *περιέποντες* pro *περισπῶντες* et *συμπαθοῦσι* pro *εὐπαθοῦσι.*

765 E *ἀνάκλασις δή που τὸ περὶ τὴν ἶρίν ἐστι τῆς ὄψεως πάθος.*
Haec intelligerem, si ultimum vocabulum abesset.

766 A *εὐφυοῦς δ' ἐραστοῦ καὶ σώφρονος ἄλλος τρόπος· ἐκεῖ γὰρ ἀνακλᾶται πρὸς τὸ θεῖον καὶ νοητὸν καλόν.*
Pro *ἐκεῖ* non dubito quin *ἐκεῖνος* sit legendum.

766 B *καὶ οὔτε μετὰ σωμάτων ὄντες ἐνταῦθα τουτὶ τὸ φῶς ἐπιποθοῦντες κάθηνται καὶ θαυμάζοντες.*
Lege cum W. *ἔτι ποθοῦντες* pro *ἐπιποθοῦντες.*

766 D *πλὴν ἐκείνη μὲν ἀπελιθώθη παρακύψασα τὸν ἐραστὴν ἰδεῖν ἐκκομιζόμενον.*
Mira structura. Equidem *Παρακύψασα* (quod nomen supra legimus illi mulieri inditum) expulisse opinor veram lectionem *τολμήσασα.*

766 E *οὐ δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων, ἀδύνατον δ' ἀπὸ γυναικῶν.*
Omnia turbavit qui primum ex his interrogationem fecit. Sententia enim est: „si fieri potest a pueris etiam fieri potest a feminis". Quousque tandem editoribus illud *οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα οὐκ ἔγραψα δέ* recitandum est?

ib. *καὶ . . . καλοῦμεν . . . τί ἂν κωλύοι . . .;*
Sensum restituit B. *κεὶ* pro *καὶ* legendo.

766 F *ὡς Ἀρίστων ἔλεγεν ὅταν . . .*
Bene procedet disputatio, si cum B ante *ὅταν* inseremus *ἤ.*

ὅταν ἐν εἴδεσι καλοῖς καὶ καθαροῖς σώμασιν ἴχνη λαμπρὰ κείμενα ψυχῆς ὀρθὰ καὶ ἄθρυπτα κατίδωσιν.

Recte M. καί, quod ante κείμενα legebatur, delevit.

767 A ὁ δὲ Φιλόκαλος . . . ὥσπερ ἱματίων οἰόμενος εἶναι διαφορὰς ἐρώτων γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν.

Iustam hinc fac sententiam οἴεται δεῖν pro οἰόμενος legendo.

767 C οἱ μὲν ἄθλια γύναια προικιδίοις ἐφελκόμενα . . . .

Immo ἐφελκόμενοι cum R.

767 E τὰς ψυχὰς βίᾳ συνάγουσι καὶ συντήκουσι.

Melius B. συνάπτουσι.

ib. ἡ μὲν . . . .

Sed nullum ἡ δὲ sequitur.

ἡ μὲν ἔξωθεν καὶ νόμων ** πλέον ἔχουσα . . . .

Bene lacunam sic supplet B: ἡ μὲν ἔξωθεν κἀκ νόμων οὐ φύσει πλέον ἔχουσα.

767 F ἀποδρᾶσα τῶν ἄλλων ἐραστῶν κρύφα τὸν μέγαν στρατὸν ᾤχετο κοσμίως.

Solo illo τόν addito scriptoris manus restitui videtur.

769 B ἄτοπον οὖν τὸ γυναιξὶν ἀρετῆς φάναι μηδ᾽ ἄλλης μετεῖναι.

Cum B. pro μηδ᾽ ἄλλης legerim μηδαμῇ.

769 C τὸ δὲ πρὸς τἄλλα καλὴν τὴν φύσιν αὐτῶν (mulierum) ἀλλὰ ψέγοντας εἰς μόνην φιλίαν ἀνάρμοστον ἀποφαίνειν, παντάπασι δεινόν.

Pro ἀλλά cum W. lege μή.

769 E καίτοι καὶ μεθ᾽ ἕλκους ἴσως οὐδὲν ἢ δεινὸν κτέ.

Bene decurret sententia, si pro ἢ cum B. ἂν εἴη legemus.

770 A καὶ γὰρ ὁ νόμος βοηθεῖ καὶ γεννήσεως κοινῆς καὶ τοὺς θεοὺς Ἔρωτος ἡ φύσις ἀποδείκνυσι δεομένους.

En vocabula mire distorta, hiatus, ut opinor, vitandi causa.

770 B πολλὰ λέγουσι καὶ σκώπτουσι λέγοντες.

Subiectum πολλοί praemisit W. recte, recteque pro λέγουσι B. ψέγουσι reposuit. Non enim ferendum λέγουσι ... λέγοντες.

770 C ἔτι δὲ Φορτικώτερον Βίων τὰς τῶν καλῶν τρίχας Ἁρμοδίους ἐκάλει καὶ Ἀριστογείτονας, ὡς ἅμα καλῆς τυραννίδος ἀπαλλαττομένους ὑπ' αὐτῶν τοὺς ἐραστάς.

Pro ὡς ἅμα καλῆς B. coniicit ὡς ἂν ἀπαλῆς. Obtemperare noli! Aptissima haec sententia: simul crinibus liberantur pueri simulque tyrannis amatores.

771 C μάλιστα παρώξυνε (Eponina) τὸν Οὐεσπασιανόν, ὡς ἀπέγνω τῆς σωτηρίας πρὸς αὐτὸν ἀλλαγὴν κελεύουσα.

Persanata haec erunt, si cum R. ἀπάγειν scriptum erit pro ἀλλαγήν. Praeterea mutandum nihil: πρὸς αὐτόν enim est: „ad maritum".

771 D καὶ νῦν ἑκὼν στέΦανον καὶ λευκὸν ἱμάτιον λαβὼν οἷός ἐστιν ἡγεῖσθαι δι' ἀγορᾶς πρὸς τὸν θεόν.

Absit hinc illud ἑκών, quod multo venustius verbis οἷός ἐστιν significatur. Pro eo ergo ἔχων legatur, deleaturque λαβών, utrumque cum B.

CAPUT XVIII.

AMATORIAE NARRATIONES.

Has esse spurias qui etiam demonstret, operam perdat. Nemo enim, ut opinor, discrepat. Dudum persuasit omnibus Volkmannus, hisce usus argumentis:

1 Scatent hiatibus. Hoc argumentum equidem parvi facio cum de *collectionibus* agitur.

2 Turpissime omnino in historia erratur sed praesertim in ipsius Boeotiae historia. Ne fingi quidem potuit argumentum gravius. Hic vero nihil Volkmannus finxit: omnia sunt apertissima certissimaque.

Accedit quod ineptissimum est totum corpusculum: qui legit neque discit quidquam neque delectatur. Sunt quinque narratiunculae quarum duae (prima secundaque) nobis amatores exhibent rixando corpus amatum in partes distrahentes. Et sermone utitur hic homuncio saepe absurdissimo:

773 C *διεκωλύοντο πρὸς τὴν τόλμαν.*

774 B *αὐτὸν τοῦ ζῆν μετέστησεν.*

775 C *Φυγῇ περιέβαλον τὸν ἄνδρα.*

ib. *ἐκώλυον ἀλλὰ καί* omisso *οὐ μόνον.*

775 D *ἐπεὶ δὲ καὶ ὡς ἐ μ ν η σ τ ε ύ ο ν τ ό τ ι ν ε ς τὰς παῖδας διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετήν, ἐκώλυσαν οἱ ἐχθροὶ διὰ ψηφίσματος μ ν η σ τ ε ύ ε σ θ α ί τ ι ν α ς τὰς κόρας.*

Ohe iam satis est! In mentem nobis has quisquilias legentibus venit libri *de Fluviorum et Montium nominibus*, quem Bernardakius exhibet vol. VII p. 282—328. Qui licet multo sit absurdior, eundem tamen habere videtur auctorem aut aliquem huic

cognatum. De singulis locis disputare piget taedetque. Quis penicillo Augiae purget stabulum?

Sequitur nunc in editionibus *fere* continua series librorum libellorumque ad *rempublicam* pertinentium, a qua tamen, ut apte procedat nostra diputatio, unus est eximendus:

Περὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας καὶ ὀλιγαρχίας.

De hoc ergo primo videamus. In initio narratur nobis heri in *auditorio* quodam a scriptore admonitos esse qui aderant ut capesserent rempublicam; nunc eosdem et alios omnes in quorum manus hic venturus est libellus *quo modo* sit capessenda docebit. Sed legere illum potest nemo quin *sentiat* a Plutarcho eiusmodi aliquid proficisci non potuisse. Atqui in quaestionibus de libri cuiuspiam auctore, quamvis multa proferantur argumenta e singulis petita verbis sententiisque et testimonia indiciaque undique congesta, summus qui totam dirimat controversiam, iudex semper est veri falsique *sensus* ille e diuturna quam cum scriptore, de quo agitur, contraximus familiaritate natus. Hic vero ... vitantur hiatus, haud diffiteor, atque hoc nostro cum Plutarcho commune est, sed praeterea nihil nobis offertur quod philosophi nos Chaeronensis admoneat. Contra mox in locum incidimus quem legere non possumus quin „taliane Plutarcho obtrudi?" exclamemus. Capitibus enim secundo tertioque accurate exponitur quibus modis vox Graeca πολιτεία adhibeatur, sive, ut cum grammaticis loquar, quasnam habeat illud vocabulum „significationes". *Accurate*, aiebam: sed putida est ista doctrina, quae irritet legentem et tantum non totum eiicere e manibus libellum cogat. Quid quod nullos istae quisquiliae ferunt fructus: nihil iis perlegendis proficis, neque mores tui emendantur neque quae sint civis magistratusque officia cognoscis. Suam hic ostentat scriptor doctrinam subtilitatemque et nihil praeterea. Nunquamne ergo ita ipse egit Plutarchus? Iuvenis cum esset semel iterumque sophistica disputatiuncula suam audientibus venditavit facundiam et ut lepidus videretur orator qui omnes sermonis Graeci in promptu haberet elegantias dedit operam, sed tum quoque semper *rem* spectabat graviorem, atque adeo gravissimam: sic parentes nobiles opulentosque, Romanos

prae ceteris, ut suos ipsi docendos educandosque liberos committerent adducere studebat, sic quodammodo demonstrandi nanciscebatur facultatem eum se esse quem adulti de mentium morbis, quibus ipsi liberique laborarent, consulerent si apte tractari eos periteque sanari cuperent. Sed canoras promere nugas vel, quod hic fit, doctas docte explicare argutias, unde nemo unquam ullam possit percipere utilitatem, hoc illud est quod tota sua vita ceteris omnibus ineptiis fastidierit magis contempseritque Plutarchus. Denique is est totius libelli sermo eaque oratio ut lector paulo pugnacior sibi *dari* istum adversarium gestiat.

Restant ergo de republica hi libri genuini:

Maxime cum principibus viris philosopho esse disserendum.
Ad principem ineruditum.
An seni respublica gerenda sit,
Praecepta gerendae reipublicae
De vitando aere alieno
De Herodoti malignitate.

Atque sic illi olim fuerunt dispositi neque est coniectura iusto audacior sic ipsum eos disposuisse Plutarchum. Sed exortus est novus editor qui inter paenultimum ultimumque hosce duos insereret libros:

X oratorum vitas et
Aristophanis et Menandri comparationem.

Quo consilio illud fecerit rogas. Res est neque obscura et ad cognoscendum qua ratione libri Plutarchei sint collecti et in publicam emissi lucem admodum utilis. Eodem fere tempore scripti sunt sex illi libri et aut ab ipso Plutarcho aut ab aliquo Sossio Senecione vel Claudio Pulchro eo quem dixi ordine collecti dispositique. Sed supervenit, post longum fortasse tempus, novus editor, qui, cum Plutarchum non satis bene cognitum haberet, ét librum *de Herodoti malignitate* ad rempublicam pertinere, *politici* esse *generis*, non perspiceret: rem sibi esse putabat cum libro in qua *quaestio literaria* pertractaretur. Ergo ut a *sylloge politica* ad unicum librum literarium pararetur transitus, atque adeo ut *syllogae politicae* opponeretur *sylloge literaria,* cum libro *de Herodoti malignitate* duos hosce coniunxit et sic iustum effecit „corpusculum literarium" praecedenti non

nimis dispar: libri enim politici apud Bernardakium 141 implent paginas (abiectis illis ineptiis *περὶ μοναρχίας κτἑ.*), *libri literarii* (X oratorum vitae, Arist. et Men. comparatio, de Her. mal.) 120.

Nunc de singulis libris politicis agamus.

Maxime cum principibus viris philosopho esse disserendum.

En titulum satis verbosum, certe pro decem illis paginulis, quae deinde legentibus praebentur. De quibus ita refert Volkmannus (ipsa viri praestantissimi afferam verba):

„leider ist uns auch diese Schrift nur in einem *fragmentarischen Auszuge* erhalten".

Quod parum accurate est enuntiatum atque ita ut ipsa inter se certent verba: *aut* cum fragmento nobis res est *aut* cum excerpto. Certe illud *excerpti fragmentum* in nostrum libellum non quadrat. Fragmentum tantummodo superest, fateor, sed illud ipsum ita ad nos pervenit ut ab ipso Plutarcho est compositum: vitantur hiatus, neque desunt duo flosculi qui Plutarcho prae ceteris sunt in deliciis. Legimus enim (p. 776 F):

„Narrant cum caprae in os venerit eryngium" (carduus hic est spinosissimus hirsutissimusque) „primum ipsam deinde totum gregem subsistere donec accedat pastor eximatque" vides rem illam ex „historia naturali" memorabilem hic uberius accuratiusque tradi quam usquam alibi.

Et paulo post more suo pro „circino" utitur verbis „centro et distantia". Sic enim hominem de plebe, paucis contentum describit:

περιγράφοντα ἑαυτὸν ὡς κέντρῳ καὶ διαστήματι.

Non *excerpti*, ut opinor, haec sunt. Sed cum *fragmento*, quod proprie sic dicitur, nobis rem esse ipsa verba ultima disertissime nos docent. Sunt enim huiuscemodi:

„philosophorum demonstrationes cum mentibus principum magistratuumque ita sunt inscriptae ut deleri nequeant ibique dominantur, legum obtinent vim. Ideo et Plato in Siciliam navigavit sperans se in Dionysii regno dogmata sua conversurum in res et leges. Sed invenit Dionysium ut chartam quandam plenam macularum quae tyrannidis colorem non iam remitteret: longum tempus eum indelebilem reddiderat. Iuvenem integrumque bonis imbui oportet consiliis."

Saepe iam vidimus Plutarchum non amare „perorationes" late

sonantes, sed scribendi finem facere solere cum materiem exhauserit, fortasse flosculum aliquem, si ita res ferret, *ex tempore* additurum. Sed hoc non est *finire* orationem verum *abrumpere*. Quaedam, fortasse multa, desunt. Sic fit ut haud facile libelli naturam consiliumque describas. Quod ut tamen aliquatenus facere possis, observandum est decem his paginis haud pauca legi exempla nominaque ex historia *Romana* petita. Velut p. 777 A sic disputatur: „Cato ipse ab exercitu navigavit ut Athenodorum adduceret; et Scipio, cum eum misisset senatus

inspecturum homines, qui fidi quique protervi

Panaetium arcessivit, quemadmodum tradit Posidonius. Quid nunc diceret Panaetius? An hoc: si Bato esses vel Polydeuces vel alius privatus quispiam qui urbis effugere strepitum vellet ut in aliquo angulo syllogismos necteret solveretque, libenter te in meam reciperem disciplinam tuaque uterer familiaritate, nunc vero cum Aemilii Pauli sis filius bis consulatu functi et Scipionis Africani nepos, a quo devictus Hannibal, tecum disputare nolo"?

Haec quorsum spectent satis est perspicuum: refutantur hic Cynici, Plutarcho aequales, quibus turpem servire servitutem videtur philosophus qui intra „potentiorum limina" vitam degit.

Ab hac iactatione hominum usquequaque sua gloriantium virtute et libertate quam alienissimum fuisse Plutarchum satis iam novimus.

Denique non *orationem* hanc esse sed diatribem suspicor, aut ipsi dedicatam imperatori Romano aut viro qui magna in Urbe polleret auctoritate.

Sequitur libellus

Ad principem ineruditum.

Hic vero titulus, quamvis minus sit verbosus multo est ineptior; tam parum enim argumento quod tractatur respondet ut ab ipso Plutarcho istud libello nomen inditum esse vix sit credibile. Nam nihil aliud demonstratur quam hoc: principem philosophum esse debere. *Fragmentum* hoc quoque est: ultima desunt, nam sic ne Plutarchus quidem ullam clauderet disputationem. Quod quo magis eluceat simulque totius libri consilium in clara ponatur luce, ultimum caput hic totum refero:

„Fieri non potest ut, ubi sit potentia, vitia lateant. Epileptici,

cum in editum venerunt locum vel circumvertuntur, vertigine laborant perturbanturque et sic morbus eorum intelligitur. Homines inculti stultique, cum paululum modo fortuna sunt sublati et in edito aliquo versantur dignitatis potentiaeque loco, mox decidunt et sic semet ipsos produnt. Vel sic melius dicam: velut vasa quamdiu vacua sunt non facile dignoscitur utrum sincera sint an rimas duxerint, sed simulatque infunditur aqua statim apparet effluatne aliquid an non, sic vitiosae mentes quod infunditur continere non possunt: rimas enim efficiunt voluptates, ira, iactatio, ineptiae. Sed quid hic de magnis loquor vitiis? In hominibus nobilibus amplisque etiam minimi deprehenduntur defectus: reprehendebatur Cimon quod vino indulgeret, Scipio quod longiore uteretur somno, Lucullus quod cenas pararet nimis opiparas."

Sed quae supersunt praecedenti libello admodum sunt similia. Oratio vero lepidior est limpidiorque. Quid quod unam hic legimus *comparationem* quae tam nova est et faceta ut inter ceteras omnes emineat excellatque. Magnum aliquid dico, nam nullo magis quam imaginum inveniendarum exornandarumque artificio admirationem nostram meretur Plutarchus. Quam quo melius appareat „barbare versam" hic propono:

„Plerique reges principesque, cum careant prudentia, ineptos imitantur statuarios, qui tum colossos suos admirationem moturos opinantur cum eos crucibus divaricatis finxerint, extentis manibus, ore quam maxime hiante. Nam et illi domini putant se verorum regum assecuturos dignitatem auctoritatemque voce gravi, vultu torvo, moribus duris, difficili aditu. Sed colossis istis nihilo praestant, qui extra similes sunt viris divina stirpe creatis, intus vero oppleti limo lapidibus plumbo. Hoc unum interest quod statuarum illarum ipsa gravitas efficit ut in suo permaneant statu neque corruant, at stulti reges ipsa sua stultitia nutant evertunturque. Nam cum suam potentiam extruant in altum fundamento non plano usi, labascunt ipsi. Quemadmodum regula ipsa cum recta, nusquam flexa sit, cetera omnia sibi similia atque sic recta facit, sic rex primum in semet ipso vires habere debet, tum mentem rectam mores constantes reddere, denique quos subiectos habet sibi efficere similes. Non enim eius est qui labitur ipse erigere alios, neque imperiti alios

docere neque ornare inculti, neque disponere eius qui ipse loco cedit, neque imperare parere nescientis. Quod plerique non intelligentes hanc esse summam putant regentis felicitatem quod nemini sit obnoxius. Rex vero Persarum omnes homines suos esse credebat servos ... praeter uxorem suam, quam tamen primam omnium sibi habere dicto audientem debuerat."

Neque decantata sunt exempla ex historia petita et decem illis paginis *tria* leguntur Romanorum nomina. Lucullus et Scipio quomodo in ultimo commemorentur capite iam vidimus. Nunc audiamus hanc de Catone minore disputationem, elocutione gravissimam, quaeque de summi momenti re Plutarchi sententiam disertissime declarat (p. 781 D):

„Post cladem Cato omnes quos Uticae secum habebat ad mare duci imperavit. Quos cum in navibus imposuisset, felicem iis precatus navigationem domum rediit seque occidit. *Sic quibus metuere et quid non metuere imperantem deceat ostendit.*"

Nihili faciat mortem rex verus sapiensque atque adeo eam, ubi opus est, appetat. Haec summa est Stoicae sapientiae, hanc suam facit Plutarchus. Atque — id quod nescio an nondum a doctis sit observatum lectoribus — illam dum tradit Plutarchus, simul Othonis memor est, in cuius exitu nihil maiore laude dignum visum est Plutarcho — et iure ita visum est — quam quod iamiam moriturus tamen non prius sibi intulerit manus quam salvos evasisse cognovisset senatores quibus mortem minarentur irati milites. Martialis illud distichon:

Sit Cato, dum vivit, sane vel Socrate maior,
Dum moritur numquid maior Othone fuit?

si novit Plutarchus — et quidni noverit? — haud dubie vehementer probavit.

An seni respublica gerenda sit.
Praecepta reipublicae gerendae.

Primum una sunt tractandi hi libelli quia ad ambos pertinet disputatio quaedam praestantissima, quae paucis abhinc annis in lucem est edita, licet alterius tantummodo in titulo fiat mentio, Karoli Mittelhausii dico dissertationem *De Plutarchi Praeceptis Gerendae Reipublicae* (typis expressa ea est *Vratislaviae* a. 1911, quis ediderit non apparet). Atque primum docte acuteque Mittel-

hausius demonstrat id quod sponte admodum est verisimile, eodem fere tempore utrumque scriptum libellum. Nostrum autem (Praecepta r. g.) inter annos 115 et 120 scriptum statuit, *praecessisse* vitam Sullae, secuta esse haec scripta: *de capienda ex imimicis utilitate* et *de exsilio*. Iam de priore libro constat: ipse enim profitetur Plutarchus (86 D) *Praecepta* sua *reipublicae gerendae* sedulo lectitari a Cornelio Pulchro illo cui nunc libellum *De capienda ex inimicis utilitate* dedicat. Librum autem *de exsilio* nunquam a Plutarcho scriptum mihi persuasum est et cur esset suo loco demonstravi. Praeterea non possum facere cum Mittelhausio e *vitae Sullae* c. 21 efficienti hanc vitam a. 115 scriptam. Ibi enim Plutarchus sic demonstrat quanta clade a Sulla affectus sit Archelaus a Mithridate praefectus copiis:

κατέπλησαν ἀποθνήσκοντες αἵματος τὰ ἕλη καὶ νεκρῶν τὴν λίμνην, ὥστε μέχρι νῦν πολλὰ βαρβαρικὰ τόξα καὶ κράνη καὶ θωράκων σπάσματα σιδηρῶν καὶ μαχαίρας ἐμβεβαπτισμένας τοῖς τέλμασιν εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ἐτῶν διακοσίων ἀπὸ τῆς μάχης ἐκείνης διαγεγονότων.

Nihil inde pro certo efficere possumus nisi *minus* ducentos praeteriisse annos. Si *ipsi* ducenti fuissent anni, pro *σχεδόν* Plutarchus *ἤδη*, si *plures*, *πλέον* scripsisset. Quam maximum enim potest numerum annorum hic ponit, et potuit *σχεδὸν διακοσίων* scribere elapsis 190 annis.

Sed leviuscula haec et omnino refutare doctissimum iuvenum neque possum neque volo. Multa enim liber eius utilissima praebet, hoc vero praestantissimum quod sua ipsum scrinia identidem compilasse Plutarchum acutissime demonstrat, neque quidquam affert quod ullo modo sententiam convellat quam mihi iam pridem informavi de vitis a Plutarcho brevi tempore et uno quasi tractu scriptis, libris „Moralibus" iam aut omnibus aut tantum non omnibus in lucem editis. Qua de re quae olim vernacule disputavi hic breviter referre operae pretium videtur.

Omnino *Vitae* post *Moralia* scriptae sunt, si quidem in vita Romuli 15 et Camilli 19 citantur Quaestiones Romanae, quae nunc etiam inter „Moralia" suum sibi locum tenent idque optimo iure, non enim „Antiquitates Romanae" ibi docentur sed

emendantur mores. Praeterea eodem vitae Camilli capite relegamur ad librum *de diebus*, cui in eadem fuisse collectione suam adsignatum sedem consentaneum est. Et omnino res ipsa fert ut „philosophus'' primum docte de hominum virtutibus vitiisque disputet, deinde ex iisdem annotationibus, e quibus illa est nata disputatio, opus componat summa arte constructum.

Audiamus nunc ipsum Plutarchum de suis *Vitis* tamquam de *uno* opere continuo loquentem. Lepidissimus est locus in vitae Cimonis c. 2, ubi postquam narravit quomodo Chaeronenses e magno periculo, quod iis a calumniatore parabatur, Luculli testimonio salvi evaserint, sic pergit: „atque illi proavi nostri tunc Lucullo iuxta Bacchum marmoream posuerunt statuam; ego vero quamvis multis saeculis post vivam, tamen puto ad nos quoque Luculli pertinere meritum; cumque mihi persuasum sit imagine, quae corpus vultumque referat, multo esse pulchriorem illam in qua mores indolesque conspiciantur, in vitas meas parallelas etiam illius viri res gestas recipiam easque fideliter enarrabo.''

Audisne illarum vitarum scribendarum unum esse laborem unumque consilium? Quod cuiusmodi sit nobis Plutarchus eo loco narrat qui omnibus aliis magis efficit ut eum non amare non possimus. Legitur in prooemio *Timoleonis*:

„Aliorum causa vitas scribere coepi, sed in eo labore persisto eoque delector mea causa, dum historia tamquam speculo utor ut ante illud stans me ipsum exornem paremque reddam imaginibus quas illud mihi praebet. Nam historiam scribere est quasi inter antiquos versari homines et cum iis vivere, quos quodammodo ad nos invitamus ut contemplemur „qualis quantusque quisque eorum fuerit'', e factis eorum secernentes quae maxime sint iis propria atque pulcherrima:

o quae voluptas maior ulla usquam patet

et quae efficacior ad suos mores emendandos?''

Et paulo post:

„In historia vivendo et assidue historiam scribendo me ipsum paro ut, in animum meum recipiens optimorum clarissimorumque virorum memoriam, omnia quaecunque fortasse quotidianus hominum usus, quibuscum me coniunxit necessitas, ingessit prava, perversa, pusillanima, expellam dum semper pulcherrima

contemplor exempla quae memet ipsum clementem reddant placidumque."

Ergo historiam scribere haud parva pars eius est artis quam *exercet* mentium medicus noster.

Quodsi certum est consilium eius qui eiusmodi opus scribit, ipsum quoque illud scribendi genus suas sibi habet leges, quae quid iubeant vetentve constet. Sed una hic scriptor uti solet licentia cuius identidem legentes admonet: illa enim carere nemo scriptor potest, omnium vero minime scriptor *senex*: digrediendum est nonnunquam et paulisper neglecto proposito excurrendum alio. Quomodo ea licentia utatur Plutarchus exemplo demonstrabo.

Alexandrum Caesaremque scribens iam multas vitas perfecit. Ibi res fert ut disputet de fontibus Babyloniae unde τὸ νάφθα hauritur; profert ergo coniecturam suam de Medea hoc veneno Creusae imbuente vestem; tum de soli Babylonici natura ignea agens et alia commemorat et quae plantae Graecae, Harpalo earum periculum faciente in hortis regiis, bene provenerint et quae non, denique totum hunc locum sic concludit:

„eiusmodi excursus, dummodo modus in iis habeatur, severi critici non, ut opinor, magnopere vituperabunt."

Quod vitis suis etiam Demetrium Poliorcetem et Antonium, viros notiores quam probatiores, adiicit lepidissime sic defendit:

„Antiqui Spartani diebus festis Helotes multum vini bibere cogebant, tum eos in convivia sua introducebant atque sic iuvenes docebant quam turpis res esset ebrietas. Equidem neque humanum esse neque prudens duco consilium alios emendare corrumpendis aliis, sed fortasse non absurdum est unum vel duo paria virorum qui inconsultius viribus suis usi sunt et, cum ad magnam pervenissent potentiam, pravitate fuerunt insignes, *inserere* in vitas quas tamquam exempla do legentibus [1]); non, hercle, iis inserendis delectare legentes studeo operamve do varietati, sed quemadmodum Ismenias Thebanus et bonos et malos musicos discipulis suis praebebat audiendos, deinde eos modo sic monebat: „ita canere oportet", modo sic: „ita non canere oportet", et quemadmodum Antigenidas iuvenes putabat

1) Gr. παρεμβαλεῖν εἰς τὰ παραδείγματα τῶν βίων.

magis bonis tibicinibus delectari si etiam malos essent experti, eodem modo *nos* opinor bonarum vitarum paratiores fore spectatores et imitatores si non fuerimus ignari malarum et improbandarum."

Inserere in vitas, hoc est, ut opinor, in illud corpus vitarum quod aut nullis aut parvis intervallis paro, in quo componendo nunc totus sum, quodque iamiam in publicum sum emissurus lucem. Et praeterea observate quantopere sibi hic constet Plutarchus: *nos*, ait, nam ut antea, cum Moralia scribebat, sic nunc, cum Vitas componit ordinatque, semet ipsum iis adnumerat quorum mores exemplis et praeceptis sint emendandi.

In vita Dionis c. 21 postquam narravit Dionysium minorem, cum Dioni amicitiam renuntiavisset, ei etiam ademisse sororem suam, quae illi nupserat, haec addit: „tam remotus fuit a patris sui moderatione; nam hic quoque inimicus factus erat Polyxeni, qui eius sororem Thesten in matrimonio habebat. Cum ergo metu Polyxenus cederet Siciliamque fugeret, Dionysius sororem suam ad se vocavit eamque corripiebat quod se non fecisset certiorem de mariti fuga, cuius tamen fuisset conscia. At illa intrepida et interrita respondit: „Dionysi, tam malam me putas uxorem et tam parum amantem viri mei ut, si fugam parare maritum meum cognitum habuissem, non cum eo fuerim hinc vela datura, illius sortis socia? Magis enim mihi honori ductura eram Polyxeni exulis uxor dici quam tua, tyranni, soror? Fortem hanc sororis orationem Dionysius admiratus esse dicitur; atque etiam Syracusani illius mulieris virtutem sunt admirati, nam sublata tyrannide illa regiam servavit dignitatem, et cum diem supremum obiisset, cives publice funus eius sunt prosecuti" atque hanc comparationem sic concludit:

„non inutilis, ut opinor, haec fuit digressio".

Profecto non fuit, optime magister: ad mores enim legentium emendandos, quod tu prae ceteris atque adeo solum vitarum illo corpore componendo spectabas, illa quoque confert aliquid!

Consilio uno certoque totum Vitarum opus est compositum, suum sibi in arte literaria tenet locum suasque leges habet. Et addit his Artaxerxis Persarum regis vitam. Mirum hoc videri possit; nam cum ceteri omnes, quorum narravit vitam, ne Demetrio quidem et Antonio exceptis, aliquid certe habuerint boni,

in Artaxerxe omnia fuerunt taetra atque horrenda. „Et tamen" Plutarchus ait (sub finem c. ultimi) „nefarius iste homo lenis clemensque videbatur subiectis: comparabant enim eum cum filio Ocho, qui crudelitate et saevitia omnes mortales superabat." Ut opinor, tota haec vita scripta est ut legentes verae atque sincerae tyrannidis omnes perspiciant miserias, in quarum numero et fratrum caedes est commemoranda, atque sic *comparatis* addita vitis, quae de iis agunt hominibus, in quibus aut multum fuit boni aut aliquid saltem (ut in Demetrio Antonioque). Nam utilia legentibus sunt et exempla quae *deterrent*.

Tum vero maxime senties vitas unum esse opus, in se teres atque rotundum, et *brevi* perfectum tempore, si praefationem consideraveris libri qui Theseum et Romulum continet, quique in nostris editionibus primus est positus, licet — excepta vita Artaxerxis, de qua modo agebam et paucis fortasse praeterea — omnium ultimus sit perscriptus. Est autem tam lepida praefatio illa ut totam eam hic referre non pigeat:

„Sossi Senecio, quemadmodum in geographiae disciplina viri docti quidquid se eorum subtrahit notitiae in ultimos tabularum suarum comprimunt angulos atque haec adscribunt: „ultra sunt deserta arida, arenosa, ferarum plena, vel Scythicum frigus, vel Oceanus gelu contractus", sic ego nunc, cum in vitis comparatis scribendis ad terminum venerim campi ubi investigatio firmo nititur fundamento, de omnibus quae extra illum terminum iacent dicere possim: praeterea habes campum plenum fabularum miraculorumque, ubi poetae pascuntur et mirabilium venditores." Sed quoniam, in lucem editis vitis Lycurgi, legum auctoris, et Numae regis, haud inepte mihi adscendere posse visus sum ad Romulum, ad cuius iam tempus accesseram investigando, meque ipsum Aeschyli verbis usus interrogans:

Tanto viro quis in certamen audeat
Descendere? ut par huic quis opponi potest?

intellexi Athenarum, pulcherrimae illius et a poetis celebratae urbis, conditorem comparari debere cum Romae invictae et inclytae patre ... spero fore ut mythicum illud tempus, quod ratione purgare studeo, se praebeat docile et speciem sumat historiae. At sicubi contumax omnem fastidit probabilitatem seque cum eo quod veri est simile misceri non patitur,

ego ab *auditoribus* peto ut benevole vetusta ista accipiant."

At enim qui potuit *senex* tantum opus brevi absolvere tempore? Magnus est, concedo, vitarum numerus, quas in libros ipse digessit Plutarchus. Sunt vitae 46, libri autem minus 23, siquidem non omnes Graecorum vitae suam sibi habent praefationem. Libros autem illos biennio fere esse conscriptos haud temere coniicimus siquidem

1 ét liber 5 (Demosthenes et Cicero) ét l. 12 (Dio et Brutus) et liber ultimus (Theseus et Romulus) dedicati sunt uni Sosio Senecioni, qui et aliis annis et a. 107 consul fuit.

2 Perit omnis venustas illius comparationis, a qua vita Thesei incipit, nisi totum opus uno quasi tractu in lucem prodiit.

3 Moris nunc est contemnere et spernere argumentum quod „e silentio" dicitur. At nonnumquam illo firmius argumentum ne fingi quidem potest. Velut hic, quam absurdum foret post aliquas vitas editas illud opus abrumpere atque post multos annos instaurare, ne verbo quidem lectoribus monitis cur ita egeris, immo vero omne istud dissimulantem scribendi intervallum!

Iam quo ordine illi libri scripti sint partim iam constat, partim paulo etiam accuratius quam vulgo fit potest definiri. Constat ergo inter omnes: vitarum comparatarum *ultimas* scriptas esse Thesei, Romulique, *quintum* fuisse librum qui Demosthenem et Ciceronem, *decimum* qui Periclem et Fabium, *duodecimum* qui Dionem et Brutum contineret. Atque his addi possunt etiam haec:

liber qui *Lycurgum* et *Numam* continebat ultimorum unus fuisse videtur: quid enim attinet in praefatione ultimi (Theseus-Romulus) sic scribere: „quoniam Numam scripsi, addatur etiam Romulus", si iam post Numam *aliquot* vitarum libri prodierunt? Non tamen est paenultimus liber Lycurgus-Numa, secuti enim sunt Agis-Cleomenes-Gracchi, cf. Cleon. XII: „quae sit utilitas exercitationis illius, qua pueri discunt paratum habere responsum, legitur in vita *Lycurgi*", secuti etiam *Agesilaus-Pompeius* (v. Ages. 4: de ephororum in republica potentia scriptum est in vita *Lycurgi*).

Demetrius-Antonius scripti sunt post librum XII (Dionem-Brutum) v. Ant. 69 ubi legentes relegantur ad Brut. 50.

Vitae *Demetrii* et *Antonii*, exemplorum illorum deterrentium,

tum demum scriptae sunt cum multo maxima pars vitarum quae imitandae proponuntur iam erat perfecta.

Quin absoluto iam vitarum comparatarum corpori dirus ille sit additus Ataxerxes non est dubium idemque, ut equidem opinor, asseverare possumus de omnibus vitis singularibus.

Ergo ultima pars vitarum comparatarum, quatenus illae ad nos pervenerunt, sic fere disponi potest:

Dio-Brutus s. liber XII.
Demetrius-Antonius.
Lycurgus-Numa.
Agesilaus-Pompeius.
Agis-Cleomenes-Gracchi.
Theseus-Romulus s. liber ultimus.

Accessitque primum Artaxerxes, tum *Aratus*. Cuius vitam ut perscriberet peculiaris quaedam causa Plutarchum movit. Ab Arato enim originem duxit Polycrates, cui ea vita est dedicata: Polycratis filiis scripta est. Cur illis? Parum, ut opinor, hos *delectabit* vita proavi illius; non enim eius male facta absconduntur, paululum modo excusantur velut quod Aratus, sui honoris causa, ab Antigono auxilium contra Spartam petivit quo facto totius Graeciae prodidit libertatem, quae res in vita Cleomenis tantopere reprehenditur; excusatur quod tam severe a Mantinea poenas sumsit (c. 45). Hoc vero reprehenditur quod prodidit Aristomachum quodque etiam Mantineae sustulit *nomen*.

Discere ex hac, ut opinor, vita pueri debent tyranno nihil esse abiectius, nihil magis contemnendum.

Hoc enim dogma Plutarcho prae ceteris fuit in deliciis.

Denique *Galba* et *Otho* cum *Vitellii* vita, quae periit.

Quot vitae *comparatae* perierint nescimus, sed multae non periisse videntur. Certe — id quod maxime dolendum — sors iniqua nobis *Epaminondae* negavit vitam, quo neminem Plutarchus suspexit magis, *Scipionis Aemiliani*, summi omnium ducis, *Metelli* quae promittitur Marii vitae c. 29.

Haud absurdum videtur coniicere vitis comparatis Plutarchum implesse duas librorum decades, ut perierint tres libri qui suum habuerunt locum inter *Dionem-Brutum* et *Demetrium-Antonium*.

Sed operae pretium non videtur in hanc rem quam accuratissime inquirere. Nam licet pro certo sciremus — id quod

scituri sumus nunquam — quo ordine omnes vitas Plutarchus conscripserit, tamen parum ea nobis res prodesset. Nam Plutarcho omnes illae Vitae unum sunt opus: aliam hic aliam illic vitam citat, persuasum ei nimirum est legentibus totum corpus prae manibus esse. Et quis neget fieri potuisse ut posteriorem vitam scribens in priore aliquid mutaret? Tum vero temerarium sit nimis esse securum hoc argumento quod haec vita illa prius scripta sit.

Nusquam vero disertius declarat Plutarchus ipse *continuum* sibi fuisse vitarum scribendarum laborem quam Caes. 45 ubi vitam Pompei, *nondum scriptam* (v. c. 35) iam nunc citat his verbis: „haec *expono* in vita Pompei" [1]). Cf. *de Herod. mal.* 866 B ἐν τῷ Λεωνίδου βίῳ γραφήσεται et *An seni* 786 E ubi e verbis καὶ ταῦτα περὶ αὐτοῦ (Sulla) γέγραφεν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν me quidem iudice apparet tum nondum scriptam fuisse vitam Sullae sed Plutarchum eo ipso tempore in illius vitae materie colligenda disponendaque totum fuisse.

Atque hac quidem in re a Mittelhausio discrepo. Ceterum cum praestantissimo iuvene non magnopere pugnare lubet. Etenim ut concedam post vitam Sullae atque adeo post omnes vitas a sene Plutarcho scriptos esse libellos *An seni, praecepta reipublicae de cap. ex in ut.*, minime tamen sic evertitur sententia mea de vitis omnino post Moralia scriptis et brevi tempore absolutis.

Et possum iam ab egregia Mittelhausii de ambobus hisce libellis politicis disputatione transire ad alterum eorum seorsum tractandum, sed quoniam semel in *vitis* substiti, in iis etiam paulisper immorari haud abs re videtur.

Vitae unum efficiunt opus brevi tempore confectum. Sed nihil obstat quominus credamus unam et alteram earum separatim esse *recitatam* et alibi et Chaeroneae. In libro c. t. de Avondzon (secundae editionis vol. I p. 40 sq.) e vita Sullae collegi quae *auditoribus*, iisque Chaeronensibus, scripta esse tantum non manifestum sit. Quos locos etiam qui nostri sermonis plane sunt inscii ibi inventos apud ipsum Plutarchum relegere poterunt: haud dubito quin mecum idem sint intellecturi. Atque ibidem de vitis Cimonis et Luculli idem statuo.

---

1) δηλοῦμεν c. 45 sed δηλωθήσεται c. 35.

Atque omnino Plutarchus ipse de vitarum suarum *auditoribus* loquitur et alibi et in suavissima illa *Thesei* praefatione, de qua modo agebam. Ergone *omnes* vitas in aliqua contione Chaeronensi recitavit medicus ille de suorum civium salute prae caeteris sollicitus? An denique tota haec observatio refutatur iis quae Naberus ad me scripsit in epistula quae prima omnium „censurarum" (si iam nomen illud convenit in humanissimas de meo libro laudisque plenas disputationes) ut spissīs illis voluminibus meis delectarer effecit:

„in Graeco sermone deest verbum quod Latinum *legendi* verbum accurate referat, nam ἀναγιγνώσκειν est *recitare.* Ideo Graeci saepe verbo ἐντυγχάνειν, haud raro verbo ἀκούειν utuntur"?

Haud opinor. Primum aulicus ille Candacensis, quocum in *Actis Apostolorum* Philippus disputans inducitur, in sua rhaeda sedens ἀναγιγνώσκει. Hic certe solus secum legit, non recitat alii. Tum plerumque apud Plutarchum ἀκούειν stricto *audiendi* sensu adhibetur: satis est hic commemorasse libellum περὶ τοῦ ἀκούειν. Denique locis quibus maxime mea disputatio nititur (Thes. 1 et Artax. 8) ἀκροαταί nominantur, quo nomine non, ut opinor, *lectores* significari possunt.

A sene scripta esse et Moralia et vitas vel maxime e *repetitis* flosculis, exemplis, narratiunculis apparet. Exempla huius vitii — si vitium est — maxime insignia in libro vernaculo I, 42 sqq. recensui, quo nunc eodem consilio lectores relego. Sed iam statim haec inde protrahenda videntur:

In una *Pompei* vita septem repetitiones ex eo genere leguntur.

In vita *Alexandri* c. 56 Plutarchus oblitus est se idem illud in eadem vita (c. 37 intervallo apud Sintenisium viginti paginarum) iam narrasse.

In vita *Bruti* c. 33 sq. Theodotus sophista pulchre describitur atque ita tamquam si plane ignotum illud sit nomen legentibus. Et tamen de eodem actum est in vita *Caesaris* antehac scripta (v. Brut. 9 fin.). Atque eadem narratio recurrit in vita *Pompei,* quae post *Brutum* scripta est (v. Pomp. 16 fin.).

Mira haec videri possunt. Sed aut aliquatenus excusantur aut explicantur certe hac coniectura, *Pompei* quoque vitam priusquam in corpus vitarum reciperetur iam esse recitatam Chaeroneae,

quemadmodum pro certo constat de vita *Sullae* et non sine idonea causa de vita *Luculli* coniicimus.

Nunc separatim et breviter de illo disputemus libello, cui titulus:

Praecepta gerendae reipublicae.

Nullam Platonis sententiam Plutarcho magis fuisse probatam opinor quam praeclaram illam: „malis, quibus in republica laborant homines, haud imponetur finis, nisi aut philosophi reges erunt facti aut reges philosophi" eamque nusquam legi apud scriptorem illum, qui in Epicureorum, quos tamen minime odit, disciplina adeo illud „lateat vita tua" abominetur, quique Stoicos, quos ferre non potest, propter unum illud „sapienti capessendam esse rempublicam" haud parva laude dignos aestimet, mirarer aio illa Socratis ad Glauconem verba a sedulo hoc Platonis lectore citari nunquam, nisi in promptu esset haud absurda rei explicatio. Verebatur, ut opinor, Plutarchus illis afferendis verbis nimis aperte semet ipsum tamquam exemplum sapientiae extollere, utpote qui conscius sibi esset se suae aetatis hominibus τὸν κατ' ἐξοχὴν φιλόσοφον videri, quique cum maxime in sua republica regnum quoddam exerceret. Et revera fuisse regem, quatenus per hodiernam liceret rerum conditionem Plutarchum nullus eius liber tam diserte docet quam haec *praecepta gerendae reipublicae.* Quae qui accurate legit secumque perpendit, ille ét quae fuerit illa praesens rerum conditio bene noverit, ét quae Plutarchi fuerit sententia de officiis hominis, qui suis prodesse studeat civibus, habebit perspectum. Ipsa hic nobis illius temporis depingitur vita, vitae plena sunt omnia, in una eaque parva civitate haud parvam contemplamur imperii Romani partem.

Certe ut a multis legeretur scriptus hic libellus est: summa enim est limatus arte et quam elegantissime exornatus. Ut uno utar exemplo: clara voce illam lege periodum (819 E):

(fuge avaritiam) τὸν ἀπὸ δημοσίων χρηματιζόμενον ἡγούμενος ἀφ' ἱερῶν κλέπτειν, ἀπὸ τάφων, ἀπὸ φίλων, ἐκ προδοσίας, ἀπὸ ψευδομαρτυρίας, σύμβουλον ἄπιστον εἶναι, δικαστὴν ἐπίορκον, ἄρχοντα δωροδόκον, οὐδεμιᾶς ἁπλῶς καθαρὸν ἀδικίας

haud dubitabis quin talia olim in Chaeronensi aliqua fuerint recitata contione. Et ad hanc normam totus est conscriptus

liber. Certe iterum iterumque hic scriptorem agnoscis qui nunquam obliviscatur dissimuletve gravissimam sui muneris esse partem *orationes* habere ad populum.

Sed utcunque se ea res habet, suam sibi viam invenit liber et in multa fuit discriptus exemplaria, alioquin ad nos non poterat pervenire. Et tamen uni scriptus est viro, eique viro qui — ut Paccius ille — a Plutarcho petiverat ut sibi, medicamenti instar, certam quandam diatriben componeret. Considera ipsum libri exordium, totum librum cognitum habebis sciesque non disputandi causa hic disputari, sed ipsam vitam prudenti moneri consilio.

Ergo Menemachus ille, homo ceteroquin ignotus nobis, fit libri patronus, huic, ut secundum nostri temporis loquar usum, prima eius est curanda editio. Et aut illius cura aut felici aliquo (id quod credere nolim) casu factum est ut ét in aliorum virorum potentissimorum veniret manus ét Claudii Pulchri, qui nunc tam amplo fungitur honore ut nisi tam comis esset homo, vix quisquam ad eum accedere ausurus esset, quemadmodum efficimus ex initio libri *de capienda ex inimicis utilitate.* Hunc librum cum Cornelius Pulcher accipiebat, *Praecepta gerendae reipublicae* lectitare solebat, neque dubium erat quin operam dederit ille ut omnibus viris, quorum aliqua erat in republica auctoritas, innotescerent. Et magnopere ea toti ordini amplissimo, omnibus magistratibus Romanis atque adeo ipsi imperatori placuisse pro certo mihi constat. Quid quod ne hoc quidem mihi incredibile videtur publice illa praecepta per omnes sparsa esse provincias, et ante omnia per Graeciam: Graeculis enim prae ceteris prodesse poterant, siquidem hoc eorum primarium est consilium et argumentum ut dediscant Graeculi *magnos gerere spiritus.* Venit enim tempus quo Graecus orator debeat *βλέπειν ἀπὸ τοῦ βήματος πρὸς τὸ στρατήγιον* (813 E) quemadmodum egregie Kaltwasserus traditum *βλέπειν ἀπὸ τοῦ στρατηγίου πρὸς τὸ βῆμα* correxit: a suo suggestu orator respicere praetoriam domum debet, ne quidquam dicat quod displiceat proconsuli. Nunc ei monendi sunt cives ut quae proavi *prudenter, humane, clementer* egerint imitentur, Marathonem vero, Eurymedontem, Plataeas orator civium prospiciens saluti relinquat sophistis declamantibus.

„Nonne ergo" sic quaerere possis, „servilis iste est magister qui sic audientes legentesque admoneat ut potentium appetant approbationem, de sua ipsi dignitate securi?" Haud opinor: persuasum enim ei est unam rem oratori publico relinqui, qua nullam esse maioris momenti quivis ei homo prudens concedet: *concordiae* curam; huic ille prospicere potest litibus tollendis conciliandisque inter se civibus. Tum quod Graeculis ante oculos ponit Pardalam quendam qui capite poenas dedit temeritatis, meritas illum dedisse poenas sub finem libri cognoscimus: parum enim afuit quin totam patriam suam turbando perderet. Et licet severum sit Romanorum imperium, salutem illud affert provinciis. Nonne haec est sententia loci quem p. 824 E legimus: „ex infirmitate reipublicae Graecae hunc certe percipient fructum prudentes viri, ut in pace et concordia vivant, quandoquidem nihil nobis sors reliquit quod dignum esset de quo certaremus. Quid quod pristinae illae calamitates, quae olim, stante republica et sub prioribus imperatoribus, provincias Romanas afflixerunt, nunc tam penitus sunt sublatae ut iure miremur talia unquam accidere potuisse"? Huc fere redit longior ille locus (c. 19) unde simul discimus minime tunc viro forti iusto constanti facultatem verae ostentandae defuisse virtutis. Cuius cum ipsam considero orationem gravem atque facundam, audire mihi oratorem videor qui probe ipse sibi sit conscius illorum virorum se unum esse qui, licet in fastis eorum nomina vix inveniantur, tamen virtute Leonidae et Miltiadi haud fuerint impares, ad eosque se facere verba qui talem ipsum haud semel sint experti defensorem propugnatoremque. Videre certe mihi hic Plutarchum videor, non Romam quidem navigantem ut patriae suae veniam ab imperatore petat — tumultus magnos Chaeroneae vivo Plutarcho ortos haud opinor — at Pellam iter facientem a proconsule petiturum ut viam Chaeroneam inter et Delphos refici iubeat, ut portitorum nimiam coerceat diligentiam, denique alicuius Chaeronensis adulescentuli causam oraturum ad altiorem in sua provincia promoveri locum atque adeo ad ipsam principis aulam admitti cupientis, aliaque ex eo genere, non magnifica sed quae cuncta totius municipii efficiant salutem et prosperitatem.

Et omnino multa etiamnunc in sua civitate viro forti strenuoque peragenda relinquuntur quae haud spernendam ei afferre

gloriam possint. Picturae instar locus est, quo quomodo illud fiat describitur. Legitur p. 805 A estque eiusmodi ut quominus eum meis inversum verbis hic ponam a me impetrare non possim:

„Quandoquidem ea nunc est civitatum condicio ut facultas desit ad proelium ducendi exercitus, tyrannos pellendi, foedera iungendi, qua ratione aliquis pervenire eo potest ut insignem gloriosumque in sua republica teneat locum? Restant, ut opinor, orationes in iudicio pro republica habitae, legationes ad imperatorem susceptae. Ad has res opus est viro acri, sed qui consilium cum fortitudine coniungat. Praeterea potes oculos in te convertere civium vel rebus bonis et antiquis quae negliguntur restituendis, vel malis, quae cum damno et dedecore reipublicae irrepunt, corrigendis. Nonnulli quoque laudabiliter reipublicae capessendae fecerunt initium causa bene agenda vel humili in controversia cum potente suum ius defendenti fide praestanda, denique adversus malum proconsulem fortiter pugnando pro aequo bonoque".

Quem locum si quis ab omni contemplatur parte, fieri non potest quin hoc sibi habeat persuasum: „philosophos" illos Graecos ordinem quendam effecisse sacerdotum eumque potentem sua apud ipsum principem auctoritate.

Idem ilud iam Arnimium v. c. suus docuit Dio. Haec enim eius sunt verba in utilissimo libro c. t. *Leben und Werke des Dio von Prusa* (p. 364):

„der Philosophenberuf blieb trotz aller Anfeindungen ein ehrwürdiger, wie etwa heutzutage der Pfaffenhass freigeistiger Kreise dem geistlichen Berufe seine Ehrwürdigkeit nicht rauben kann."

Atque omnino semper et ubique etiam homines in suo sibi angulo cum libello viventes plus valuerunt quam ii qui magno strepitu rempublicam implentes multa agendo nihil agunt. Aetate vero imperatoria philosophos sua auctoritate saepe prohibuisse quominus boni imperatores a recta aberrarent via, mali etiam fierent peiores et alii demonstrarunt et egregie Boissierius in libro c. t. l'opposition sous les Césars", sed *qua ratione* illi philosophi sibi eam auctoritatem pararint tum demum bene intelligis cum tibi alicuius informas Plutarchi imaginem secundum ea agentis praecepta quae in hocce libello sunt exposita.

Quid quod, licet nunc nullae eveniant res graves, tamen ne Plutarchi quidem aetate plane sunt spernendi municipales magistratus. Immo vero nonnulli eorum tam sunt ampli et magnifici ut ei qui tali honore dignus sit iudicatus verecundiae probe sit habenda ratio ne civium suorum moveat invidiam. Ex eo magistratuum genere sunt: strategus Atheniensis, prytanis Rhodiensis, Boeotarchus. Et ad minores magistratus quod attinet, non *quid* sed *quomodo* in iis est rogandum. Potest aliquis vel minimos humillimosque ea gerere dignitate, industria, diligentia ut civium suorum observantiam non mereatur solum sed et obtineat. Quod lepidissime illustrat Plutarchus narrando de humillimo quo cum maxime Chaeroneae fungatur munere. Hic quoque Dionem cum Plutarcho componere possumus: huic inspicienda fuit materies quam emerat respublica, illi cum fabro ferrario bellum gerendum, qui tabernam quandam vetustate caducam removere nolebat; vide suavissimum locum in Oratione Dionis 40 § 9, sed praesertim haec lege ex eiusdem orationis § 7: *ἐπεὶ δὲ τὴν ἀρχὴν ἔλαβον, ὅσα μὲν αὐτὸς ἔπαθον μετρῶν καὶ λογιζόμενος, ὅπως μὴ γένοιτο μηδὲν ἀπρεπὲς μηδὲ ἀχρεῖον . . . οὐκ ὢν ἔμπειρος τῶν τοιούτων οὐδενός, ἐῶ ἐπεξιέναι*, in hac quidem re Plutarcho simillimum videbis Dionem. Omnino quae fuerint eo tempore philosophi de sua patria merita et qui patriae, id est sui municipii, amor optime demonstrat Arnimius libri laudati capite IV.

In maiore vero magistratu quanta etiam tunc fuerit utilitas iusti hominis et sapientia imbuti philosophica egregie docet locus 822 C de ludis gladiatoriis ceterisque diris in amphitheatro certaminibus; quae Plutarcho perinde fuerunt odio atque nostrae aetatis homini Christiano.

Sapiens fuit homo Plutarchus etiam in republica gerenda, sed hic quoque praesertim comis erat et humanus, sic eum docuerat pater, qui licet minus hilaris et iocosus fuisse videatur quam avus Plutarchi Lamprias, ille omnium quotquot fuerunt unquam senum lepidissimus, eadem erat lenitate atque morum suavitate. Ergo et alia multa filium docuit et artem, qua nulla in magistratus munere est utilior: hominibus utendi. Et hominibus uti quid sit, si recte discere cupis, lege iocosissimam illam Plutarchi de patris sui praeceptis narratiunculam (816 D).

Quo modo vero ea utendum esse arte Plutarchus doceat in contionibus comitiisque vide apud ipsum p. 813 ABC.

Omnino nobis illa *Praecepta* ante oculos civitatem quandam ponunt in qua placide et iucunde vivant homines, sed — libenter hoc concedo — civitatem parvam. Ideone Plutarchum cum suo honore municipali despiciamus, ut nunc facere solent qui, ut ipsi Napoleones et Bismarckii videantur, ceteros omnes contemnunt, illos solos admirantur qui multorum milium civium suorum seque patriamque commacularunt cruore? Expertemne artis politicae verae magnaeque Plutarchum clamemus fuisse, quoniam in parva eam excercuerit republica, quae nulla bella gesserit, et apud posteros nullum vitae suae reliquerit vestigium? Immo vero artem illam non minus bene Plutarchus calluit quam quisquam inter antiquos qui eam ita libris suis illustrarunt ut aeternam assequerentur gloriam. Probe suum Thucydidem et Polybium cognitos habet, docilemque se eorum praestat discipulum. Amat Cimonem, admiratur Periclem qui et aliis rebus saluti patriae prospexerit et funestissima illa prohibenda in Siciliam expeditione. Nonne egregie Niciam, virum probum timidumque cum Pericle comparat, viro non minus probo sed multo fortiore? Nonne de Cleone eodem iudicat modo quo ipsius aequales sine ulla exceptione omnes? An a Plutarcho noviciam illam flagitemus sapientiam, quae in deliciis habet dirum istum astutumque Lemniorum carnificem? At nihil eiusmodi unquam vel Thucydidi innotuit vel aliis qui Graeco sermone Graecam scripserunt historiam.

Esto: de viris qui ullam unquam in sua patria auctoritatem sunt assecuti idem iudicat Plutarchus atque ceteri omnes quorum scripta legere, sententiam cognoscere potuit. Ergo — nam aptus hic videtur huic disputationi locus — *non* fuit Plutarchi aetate constans et communis hominum opinio *malos* fuisse imperatores Tiberium et Domitianum. Paulo accuratius hanc rem tractare a proposito non alienum videtur.

Tiberius novem apud Plutarchum locis commemoratur. Quorum si omitto eos ubi nomen tantum eius legitur, hi restant:

1 In fragmentis (apud Bern. VII, 148) traditur iam mature ei imperium esse praedictnm idque asino. Lacunosus est locus ideoque paulo obscurior, sed acerbitatis inest nihil.

2 De *def. or.* 419 D traditur curae fuisse Tiberio miraculum quod eo imperante evenerat.

3 *Reg. et imp. apophth.* 207 E hoc Augusti de Tiberio legimus iudicium: „nunquam bis de eadem re deliberavit". In quo sat multum inesse laudis opinor.

4 *de tu. san.* 136 E et *an seni* 794 B Tiberio hoc tribuitur dictum: „ineptus est sexagenarius qui manum porrigit medico". Non laudat hoc dictum Plutarchus, iusto enim superbius ei videtur, sed de ipso imperatore nihil dicit quod ei sit dedecori.

5 *de amic. mult.* 96 C Ad demonstrandum saepe suos alicui fuisse exitio amicos Seiani commemorantur amici a Tiberio morte multati. Verum est hic Tiberium una cum Dionysio et Nerone nominari, sed additur ... Alexander magnus. Neque praeterea ullum hic legitur in Tiberium convicium licet de ea parte illius imperii agatur quae revera fuit atrocissima.

Atque hi quidem loci, fateor, non admodum sunt diserti. Tacentis haec sunt testimonia, sed testimonia pro reo. Si vulgo de Tiberio sic eo tempore fuisset iudicatum ut iudicat Tacitus, mirum foret quod e quinque hisce locis nullo Tiberii imperium moresque reprehenduntur.

Sed maxime hoc convenit in ultimum quem hic pono locum:

6 *Quom. adul.* 60 C lepidissimam hanc legimus narratiunculam: „Tiberio quondam in senatum veniente, adulator quidam senatoribus ut liberis hominibus libere esse sententiam dicendam neque quidquam quod e republica esset reticendum clamabat. Qua praefatione cum silentium fecisset et ipse quoque Tiberius cupidus esset noscendi quid tandem prolaturus iste orator esset, sic perrexit: audi, imperator, quid tibi vitio demus omnes, nemo tamen proloqui audeat; temet ipsum negligis, et reipublicae causa vires tuas exhauris; neque nocte neque interdiu quiescis. Sic illo homine declamante, Cassius Severus: „haec quidem, ait, loquendi libertas homini vita *non* stabit." (Negationem a Sauppio libenter accipio: sine illa tota narratio illepida fit atque adeo sensu cassa).

Sine dubio hic aliquo verbo notasset Tiberium Tacitus, si mali eum fuisse imperatoris exemplum sibi habuisset persuasum. Sed non habuit.

De Domitiano vero nunquam vel cum contemptu vel cum

odio Plutarchus loquitur. Indignabuntur, sat scio, hic multi viri docti mihique opponent locum ex libro *de curiositate* p. 522 E ubi haec legimas: „Rusticus ille, quem postea interfici Domitianus iussit gloriae eius invidens". At quid ex illis apparet verbis? Haud probari Plutarcho Rustici necem, nihil aliud. At nemini nostrum illa probatur: ad mortem duci innocentes philosophos vetamus omnes. Sed qua voce, quo sono verba citata profert Plutarchus? Mihi quidem haec eius fuisse sententia videtur: „eiusmodi aliquid fieri potuisse miror ab imperatore ceteroquin tam bono". Si omnino condemnare Domitianum voluisset, acrioribus, ut opinor, esset usus verbis: hic locus erat magnifice et Taciteo more de illius imperatoris declamare saevitia: nihil erat quod metueret nam mortuus erat Domitianus neque quisquam iam aegre ferret illi quamvis vehementi oratione maledici, atque omnium minime novus imperator: immo vero sic optime illius obtinebatur favor. At nunc de uno hoc Domitiani scelere eadem loquitur severitate sed et eadem temperantia qua alibi Vespasiani notat facinus, qui semper omnibus visus est egregii imperatoris exemplum, atque etiam Plutarcho quemadmodum testatur locus ille in libro *de sera numinis vindicta* p. 566 E, ubi haec de eo vaticinatur Sibylla:

morbo relinquet, vir probus, regnum suum.

Illud Vespasiani facinus quod fuerit notum est omnibus qui *Amatorium* legerunt: subita correptus ira Eponinam, fidissimam illam Sabini uxorem, ad mortem duci iusserat. Operae pretium est totum locum paulo accuratius considerare. Legitur in c. 25, estque huiuscemodi: „illam Vespasianus occidi iussit, sed dedit poenas facinoris: brevi enim tempore tota eius exstincta gens est. Nihil tristius vidit illud imperium atque credibile est omnes deos daemonesque istud magis esse aversatos facinus quam aliud ullum. Et tamen ipsa mulieris fortitudo spectantibus omnem misericordiae ademit sensum. Eadem illa fortitudo imperatorem in eam irritaverat. Nam cum se ab imperatore mariti salutem impetraturam desperaret: „reducite" inquit „me in speluncam meam ad maritum: sub terra enim felicius vixi quam tu, imperator, in tuo solio."

Vespasianum malum fuisse principem si quis demonstrare velit, egregie huius loci possit uti testimonio. Certe multo

disertius hic Vespasianum condemnat quam ille de Rustico Domitianum. Atqui hoc nemini in mentem venit unquam *omnino* Vespasianum non esse probatum Plutarcho: iam unum illud in libro *de sera numinis vindicta* Sibyllae testimonium eiusmodi aliquid nos credere vetat. Quid quod ipsa de Eponina narratio mihi quidem honorificentissimum *pro Domitiano* continere videtur testimonium, idque tam disertum quam ullum esse possit *e silentio* argumentum: atque saepe — id quod nunc quoque usu venit — illo disertius ne fingi quidem potest ullum. Notum est distichon, quo Martialis — heu quam fortiter! — in Domitiani invectus est memoriam, cui vivo canis instar fuerat adulatus:

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres!
Paene fuit tanti non habuisse deos.

Quam praeclara hic se Plutarcho offerebat facultas Domitianum detestandi! In promptu erat sic narrationem de Eponina claudere: „gravissimas dedit poenas Vespasianus, nam ultima eius progenies, cum qua tota gens eius est exstincta, Flavio nomini dedecus atque gentis humanae attulit odium." Nunc exstinctam esse gentem tribus verbis commemorat et sic clara voce proclamat ne umbram quidem suspicionis sibi obortam unquam peiorem patre et fratre fuisse Domitianum.

Sed de *praeceptis gerendae reipublicae* satis iam disputatum videtur [1]); transeamus ad librum qui, si tollimus istas *de unius in rep. dominatione etc.* ineptias, nunc quoque recte ei subiungitur. Titulus huic est

De vitando aere alieno.

„At spurius iste liber est" clamat . . . non Gréardus qui e posterioribus scriptoribus sedulo collegit locos e quibus appareret diu post Plutarchi mortem legentium manibus tritum libellum, neque Wyttenbachius, qui in annotatione ad verba *ἄθροιζε χρυσίον κτἑ.* in libro *de virtute et vitio,* quem in dubium nemo vocavit unquam, legentes ad nostrum relegat libellum, neque

1) Unum etiam ex iis locum proferre hic lubet quia ipsum nobis scriptorem tam lepide commendat: quam aliena sit a Plutarcho omnis adulatio hinc vel maxime apparet quod (799 E) aperte declarat Thebanos suos non ea futuros fuisse magnitudine animi qua Athenienses, qui Philippi ad uxorem literas, quae iis in manus venerant, neque lectas neque apertas ad eum remiserint.

Naberus, qui duobus eum emendans locis de auctore ne verbum quidem facit, omnium vero minime Lévèquius, ille, qui primus mortalium in vitam revocasse Plutarchum dici potest: diserte enim declarat inter scripta Plutarchi vix ullum hoc esse maioris momenti, quod tam vividis coloribus illius temporis depingat mores. Sed Volkmannus, vir acutissimus, doctissimus, prudentissimus nostrum libellum non paucis Plutarcho abiudicat verbis sed quatuor paginas „immanibus" eius vitiis implet. At neque „interna" neque „externa" Volkmanni argumenta ullius mihi esse videntur momenti. (*Externa* hic dico quae ad *sermonem* pertinent, *interna* quae ad *argumentum*). De his prius videamus:

„Non vitantur hiatus". Infirmum, hercule, argumentum. Nonne (*de gloria Ath.* 350 E) ludibrio Plutarchus habet Isocratem quod vocalem vocali impingere reformidet, nonne (*de vitioso pudore* 534 F) stupere videtur quod sint scriptores adeo absurdi ut semper hiatus vitent? Ergone ipsum semper et ubique eos vitasse opinemur? Quodsi interdum hiatus Plutarchus admisit, ubinam id eum fuisse verisimilius est quam in libro ad civium suorum emendandos mores scripto, quo hodiernorum hominum spectaretur salus, nulla eloquentiae artisve literariae appeteretur gloria?

„Inveniuntur vocabula nusquam alibi apud Plutarchum occurrentia" Volkmannus ait et enumerat duodecim. Sed his demenda sunt duo: ἀφανιστής ubi tantummodo *feneratoribus* locus est ergoque δανεισταῖς (828 F) est legendum et ὑπαργυρεύοντες (832 A), ubi haud dubium est quin requiratur aliud verbum quodpiam, sive ἀγρυπνοῦντες (Herw.) sive ὑπεραγρυπνοῦντες (Madv.). Restant decem haec:

828 E καβάλλῃ. Certe plebei sermonis vocabulum istud est. Sed nonne egregie decet pastorem qui sic gregem suum moneat: „fugite feneratorem primo quoque equo asinove"?

828 A ἐπιρρυπαίνοντες. Cur compositum illud simplici minus probandum?

828 E κατάργυρα. Corrupta haec vox videtur (cf. Naberus). Sed si ita scripsit Plutarchus, quid deliquit?

828 C συσπειραθέντες tamquam participii συσταλέντες synonymum. Quidni?

829 B ἐπικυΐσκεσθαι „gravidam fieri". Eodem modo legitur Her. III, 108, *unde hic locus est desumptus.*

830 B *τυφομανία* sensu metaphorico. De Stoicorum loquitur arrogantia atque de industria vocabulo utitur parum trito.

831 E *ἐπικυλίνδω* item metaphorice. Quemadmodum e versibus paulo ante citatis apparet, scriptor comparat foenus cum fluctibus fluctus urgentibus. Aptiusne vocabulum inveniri potuit?

838 A *λεκανίδας* „pelves''. Fac hic solum illud legi vocabulum, quid tum? Omniane nobis nota sunt vocabula ad Graecorum supellectilem pertinentia?

Denique *ἀμεριμνία*, quam vocem praeterea apud solum Herodianum legi aiunt. Parvi momenti res est.

At unum vocabulum a Volkmanno citatum superest quod mihi quidem luce clarius ét a Plutarcho scriptum libellum ét quo consilio sit scriptus demonstrare videtur. Unum enim hoc vocabulum totam Graeculorum vitam depingit et quibus angustiis tunc premi sint soliti quam disertissime enarrat:

„Pecunia praesens'' scriptor ait „quam tibi afferet supellex superflua, quam vendidisti, nullas tibi exhibebit molestias''

οὐδ' ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν.

Annotatque Volkmannus: „haud, ut opinor, Graeci ad mensis significandum initium vulgo tum eo vocabulo latino usi sunt''.

Haud vulgo, concedo. At in memoriam tibi, lector, revoca aliquem amicum (non enim dubito quin tuorum quoque amicorum unus et alter ea sit usus fortuna) quem aliquamdiu satis opulentum esse putaveris subitoque intellexeris maximis conflictari rei nummariae difficultatibus. Nonne meministi eum quo tempore tibi dives videbatur semper in ore habuisse arcana illa vocabula, quae in tabernis veteribus novisque sonare solent, quaeque tu neque intelligis neque intelligere cupis? Atqui tota res nummaria tunc temporis Roma proficiscebatur Romamque redibat. Mirumne ergo est per totum imperium Romanum sparsa fuisse vocabula *Latina*, quae ad *pecuniam mutuam* pertinebant et *fenus*, sed prae ceteris in ore fuisse ea miserorum, qui mensis initio appellari solebant a Romanis creditoribus eorumque emissariis?

Sed etiam ubi non, ut hic, peculiaris quadam aderat et ex ipsis rebus nata causa, illius aetatis scriptores saepe Romanis utuntur formulis vel alio modo significant Romana instituta, Romanam iurisdictionem, denique „Romanas Antiquitates'', quae nunc prae ceteris sic audiunt. Pauca quaedam e Dione Chry-

sostomo afferam, quae, ut equidem opinor, satis diserte nos admonent ne Plutarchi „Kalendis" illis nimis adstupeamus:

Totam hic citare possum orationem 73 περὶ πίστεως. De *Romano* hic cogitari *mandato*, vel inde apparet quod identidem sponte admonemur praeclari in Ciceronis pro Roscio Amerino oratione loci, ubi idem tractatur argumentum. Tum § 3 quaedam legimus *de testamento fideicommissario*, Romano, ut opinor. Denique § 9 mulieribus ait semper in negotiis publicis opus fuisse virorum auxilio διὰ τὸ τῆς γνώμης ἀσθενές. Nonne verbum de verbo expressum extulit hic Latinissimum illud *propter infirmitatem consilii?*

Sed neque apud Plutarchum desunt indicia eum, licet in sermone Latino parum profecisset, *Romanarum* tamen plenum fuisse *Antiquitatum*. Tria hic afferam, quorum, nisi me fallunt omnia, duo nunquam antea in satis clara sunt posita luce:

a In libro *de sera numinis vindicta* (560 A) statim post ludimagistri exemplum, qui uni puero plaga infligenda ceteros omnes officii sui admoneat, copiarum ducis affertur illud, qui propter totius exercitus flagitium denorum militum unum ad mortem duci iubet. *Romanorum* hic, ut opinor, illam habemus *decimationem*, quae etiam aetate imperatoria interdum adhibebatur.

b In *vita Cimonis* c. II commemoratur ingens illud periculum unde Lucullus tam fideliter extraxerit Chaeronenses omnes, a calumniatore Romano in iudicium maiestatis atque adeo perduellionis vocatos. Hic illud „qui eos in iudicium vocaverat" quo modo Graece enuntiat Plutarchus? Vix, ut opinor, credes: ὄνομα κατενεγκών! Multo disertius hoc exemplum quam illud *kalendarum*: duo enim haec vocabula vix Graecam efficiunt orationem, tam accurate hic Latinum illud *qui nomen detulit* redditur. Multo, aio, disertius sed tamen ex eodem genere. Non enim solum cum pecuniam sumunt mutuam sed etiam cum rem habent cum magistratibus iudicium exercentibus, *Romanarum Antiquitatum* Graeculis est habenda ratio. Ergo Plutarcho, cum mentionem facit Graeculorum in iudicium Romanum vocatorum, iure aptum consentaneumque videtur non ex codice aliquo legum Atticarum formulam aliquam petere sed ipsum illud terribile *nomen deferre* verbotenus Graece vertere, quemadmodum alibi crudelem illum tristemque diem, quo Romano

creditori Graeculus foenus solvere debebat, suo sibi Latino significat nomine.

c In libro *de garrulitate* (p. 509 F) lepidissimam illam habemus narrationem de homine, qui *corpora delicti* a sacrilegis in templo relicta tam argute esset interpretatus ut sentirent omnes eum ipsum esse sacrilegii conscium. Cuius rei cum prima esset oborta suspicio, et alia eum qui aderant rogabant et *τίς σε οἶδεν*; Vix intelligi duo haec vocabula possunt nisi ab eo qui Latine scit. Is enim novit unum *cognoscendi* verbum saepe idem significare atque *cognitorem esse*, quemadmodum diserte testatur Cic. Verr. L. I c. 5 ubi primum legitur: „qui cognitores homines honestos daret", tum paulo post „cum eum Syracusis amplius centum cives Romani cognoscerent". Provincialis ergo, in iudicium adductus, aut „quem cognitorem habes?" rogabatur aut „quis te cognoscit?" Atque hanc quoque formulam horrendam, Cretensium praesertim cognatis et affinibus, Plutarchus, Graece scribens, quam potuit minimum mutavit.

Neque firmiora Volkmanni „interna" sunt argumenta. Haec quoque paulo accuratius consideremus:

I Thucydides (II, 13) narrat Periclem, ut instante bello omnem civibus demeret metum, et ceteras reipublicae enumerasse opes et certiores eos fecisse Deae, in cuius tutela urbs esset, signum ornatum esse 40 talentis auri puri, quod quia inde tolli posset, *in ultima rerum desperatione* ad usum belli *posset* adhiberi, ita ut bello finito eodem redderetur pondere deae. Plutarchus in nostro libello (p. 828 B) eandem rem fere *iisdem* tradit *verbis*: *ὅ γε Περικλῆς ἐκεῖνος τὸν τῆς θεᾶς κόσμον, ἄγοντα τάλαντα τεσσαράκοντα χρυσίου ἀπέφθου, περιαίρετον ἐποίησεν, ὅπως, ἔφη, χρησάμενοι πρὸς τὸν πόλεμον αὖθις ἀποδῶμεν μὴ ἔλαττον.* Hic primum contendit Volkmannus nihil Plutarchum dicere de illius auri pondere. Ipsa viri praestantissimi haec sunt verba: „aber er sagt nichts von seinem Gewicht". Vix oculis meis credo. Tum Volkmanno gravissimum videtur quod Plutarchus nullam facit mentionem illius ultimae rerum desperationis, quam apud Thucydidem habes: „dass es" ait „ein grosser Unterschied sei, in Zeiten der Noth eine Verwendung von Tempelschmuck vorbehaltlich der Zurückerstattung und für den äussersten Nothfall anzurathen, und gleich von vornherein bei der Anfertigung des

Schmucks in frivoler Weise eine derartige Verwendung desselben in Aussicht zu stellen, und dass letzteres nur von einem seichten Schwätzer, nicht aber von dem religiös strengen Plutarch behauptet werden könnte dürfte einleuchten". Mir nicht. Primum quod ad illam Plutarchi *pietatem* pertinet: profecto non in dubium eam vocabo: Plutarcho vir magis pius vix fingi potest, sed nemo fuit unquam qui magis illo *simulacra* deorum contemneret. Praeclarum ei videtur Fabii Maximi dictum „iratos suos deos sibi habeant Tarentini", quo scribae respondit roganti: „quid diis Tarentinorum faciamus?" ad quam quaestionem Plutarchus indignationis plenus annotat: *„deos* ineptus iste homo simulacra tabulasque nominabat". Opinor si Plutarchus non Chaeroneae aediliciam habuisset urbis curam, sed Periclis tempore ipsis praefuisset Athenis, cives suos admonuisset ne tam pretiosam deae facerent imaginem sed aurum illud bene clausum utilioribus reservarent rebus. Ergo neque pietas eum iubebat mentionem illius ultimae facere rerum desperationis neque ipse iubebat contextus. An a Plutarcho eam requiramus diligentiam, quae nunc summa philologi laus videtur? Auctor est agricolis suis ut quidvis faciant, certe ut supellectilem suam vendant, potius quam pecuniam sumant mutuam. Hoc consilium egregie illustrare potest Periclis exemplo, *dummodo omittat* illam „ultimam rerum desperationem", et mentium sibi commissarum salus Plutarcho pluris est quam ... ipsa ἀκρίβεια Φιλολογική.

II „Ebensowenig" ipsius Volkmanni verba haec sunt „würde es sich Plutarch, der seinen Plato gründlich kannte und mit philologischer Sorgfalt zu lesen plegte, haben zu Schulden kommen lassen aus den ἄγριοι ἄνδρες διάπυροι ἰδεῖν παρεστῶτες der Republik X p. 615 E διαπύρους κολαστὰς καὶ δημοκοινοὺς zu machen". Hic ego respondeo primum cum aliam omnem tum philologicam diligentiam neque a Plutarcho neque ab ullo alio scriptore vel poeta antiquo observari; quid quod certa quaedam diligentia est, quam haud iniuria recentissimae aetatis morbum appellare possimus. Et quodnam est istud immane Plutarchi vitium? Plato apud inferos Aridaeum tyrannum torqueri „a saevis ardentibusque viris" fingit, Plutarchus sic concionatur: „quid Atheniensibus prodest quod Solon legem tulit ne corpora debitorum obnoxia essent creditoribus? Nunc enim omnibus

feneratoribus [1]) serviunt servitutem, atque adeo non illis ipsis — hoc facilius ferendum foret [2]) — sed superbis, barbaris, saevis servis, quemadmodum Plato ait peccatoribus additos esse lorarios ardentes carnificesque." Hic primum habemus tabulam quandam pictam quae egregie totum illud illustret tempus, doceatque non omnes aetate imperatoria sublatas esse miserias, quibus stante republica laborarent provinciales. Norunt omnes — et aliunde et e Ciceronis epistolis — diram illam *praefecturae* calamitatem: qui pecuniam Graecae crediderat civitati — nam Graecos praesertim sic vexatos opinor — a proconsule praefecturam petebat et facile impetrabat praesertim si ipsius proconsulis ea erat pecunia vel alicuius ex eius amicis vel denique senatoris alicuius Romani: obtinebat ergo ordinem militarem et milites aliquos per quos crudelissime caput fenusque exigeret, crudelissime nam hoc quoque factum est ut in curia includerentur senatores donec inedia omniumque rerum inopia ad quidvis perpetiendum se declararent paratos. Ad pugnam illam Köpenickianam edendam praesto futuros fuisse aiunt omnes milites Borussicos, apud Romanos nunquam tanta, ut opinor, fuit militum obedientia, quin, eiusmodi cum esset edenda clades, ex infima plebecula potissimum suos sibi esset electurus pugnatores dux, praesertim vero e faece urbana, ibi enim si praedandi, delendi, vexandi datur facultas, haud difficile est tartareos invenire carnifices. Quodsi consideramus quo modo hic illustrandi causa Plutarchus locum afferat Platonicum, certum ab eo antiquorum observatum usum facile intelligimus. Nam alium nunc esse metaphorarum *usum*, alium olim fuisse non ausim dicere, sed in iis adhibendis quaedam sibi saepe (ne „semper" dicam) permittunt antiqui quae nunc proscribuntur. Sic Plutarchus certa quadam licentia frequenter utitur, inter verba quae rem ipsam significant ponendi vocabula imaginem illustrantia, dum etiam imaginem illustrat ita loquendi quasi de re ipsa agatur. Sic nunc, Πλουταρχειότατα, daemones illi Platonici et creditoris

---

1) Recte M. *δανεισταῖς* pro *ἀφανισταῖς*.

2) Gr. *τί γὰρ ἦν τὸ δεινόν*; qua loquendi formula in familiari sermone delectatus esse Plutarchus videtur, cf. *de garrulitate* p. 503 E *καὶ τί τὸ δεινὸν ᾠδὴ καὶ γέλως καὶ ὄρχησις*; quemadmodum rectissime W. legit pro *καίτοι τὸ δεινότατον κτλ.*

Romani milites crudeles ita permiscentur ut fiant: *ardentes carnifices et apparitores*.

III De Cleanthe narrantur haec (830 C): „Cleanthem quondam Antigonus rogabat: molisne etiamnunc Cleanthe? Respondit ille: molo, rex, vitae prospiciens, non tamen ideo missam facio philosophiam" [1]). Hic scriptor exclamat: „quantus vir ille qui manibus etiam farina oppletis de diis luna sole sideribus scriberet! Volkmanno iudice de Cleanthe sic scribere solus ille potest: „der die wirklichen Schriften des Kleanthes nicht zu nennen wusste, eine Ungewissheit die wir Plutarch nicht zutrauen dürfen, die angewannte Figur der Aufzählung aber nimmt sich höchst frostig aus." In compendio de historia philosophorum aegre, fateor, ferremus tam inanem formulam, sed egregie suum sibi locum tenere videtur in contione ad auditores indoctos. Quid quod, etiamsi constaret Cleanthem tantummodo de arte logica et de moribus scripsisse, tamen prudenter egisse Plutarchus censendus esset, qui rem sic mutasset. Hoc enim solum spectat ut pistoris arti opponat aliquid quod *quam maxime* supra illam excellat: non dialecticis ethicisve disputationibus opus hic est sed iis quae de diis immortalibus rebusque agant caelestibus. De his vero utrum revera scripserit Cleanthes nunc quid refert? Omnino de iis scribunt philosophi, parumque, ut opinor, boni Chaeronenses curarunt quis eorum hoc argumentum aliquo libro tractarit quis nunquam data opera sit persecutus.

IV „Qui semel est in aere alieno semper in eo manet: equi frenati similis est, qui nunc huic, nunc illi paret domino" scriptor ait (830 E). Sordida haec Volkmanno videtur imago. Cur? quaeso. An quia „erinnert an die bekannte Fabel vom Pferd und Hirsch"? Quid ergo illa habet quod fastidiamus? Quid quod, si Plutarchus illam nunc ante oculos habuit, apte et eleganter ea usus esse censendus est.

V „Audite" orator ait (831 C) „vulturum duorum fabulam: vomebat alter seque viscera eiicere querebatur. Non tua haec sunt viscera, aiebat alter, sed cadaveris quod modo devoravimus. Sic debitor non suum rus suasve aedes vendit, sed creditoris cui iustum tradidit dominium." Volkmannus hanc imaginem

1) Corrupta sunt verba Graeca, sed perlucet sensus.

„unedel und frostig angewandt" dicit. Admodum spurcam eam esse plane concedo, et accedit aliquid minus etiam probandum: distorta videtur, nam cum vulture creditor non debitor erat comparandus. Sed habet aliquid quod de plebe auditorem graviter commoveat et huic rei praesertim dat operam Plutarchus: saluti amicorum prospicit, iudicium eorum literarium minus curat.

„Unde ergo vivam?" sic auditorum unus rogans fingitur (830 A B). Respondet orator: „tune hoc rogas qui manus habeas pedesque, qui homo sis ergoque te amicum praebere aliumque tibi amicum facere possis, officiis fungi, gratum testari animum? Literas doce, pueros comitare, fi ianitor ministerve [1]). Nihil horum turpius est quam semper audire solve." „Hier" Volkmannus ait „verräth sich der plumpe übertreibende Declamator". Immo vero prudens hic monitor prudenter loquitur.

VII Porro ingratissimum Volkmanno videtur quod illud modo citatum „solve" recurrit p. 831 D. Totus locus huiuscemodi est: „Calypso Ulyssem induit vestimento divino, divinis odoribus imbuto ut sui amoris haberet monumentum. Sed nave eversa cum vix superare fluctus posset aqua illud grave faciente, exuit abiecitque et zona succinctus nudo pectore

in terram semper convertens ora natabat.

Sic salvus evasit et postea denuo vestes invenit cibumque. Nonne eadem est debitorum conditio? Nonne et illi in tempestate versantur cum post aliquod tempus feneratur adest cum suo „solve":

His dictis cogit nebulas et caerula torquet;
Incidit hic Zephyrusque simul, simul Eurus et Auster.

Sic fenus supra fenus volvitur et nauta, quamvis obruatur, retinet id quo gravatur quamvis natando salvus evadere potuisset. At nunc voragine abripitur peritque cum amicis qui pro eo suam interposuerunt fidem."

Mihi in hoc loco disponendo enuntiandoque felicissimus fuisse Plutarchus videtur. Quod intervallo quatuor paginarum Teubnerianarum bis vocabulum „solve" legitur nemini molestum esse

---

1) Audacem sed lepidam hic sequor Naberi coniecturam ἐγχέων παραχέων pro πλέων παραπλέων. Quid attinet rusticos mediterraneos monere ut navem conscendant?

potest, atque adeo ne observatur quidem nisi ab eo qui materiam colligit ad aliquam rem — quaecunque illa sit — docte demonstrandam.

VIII Hoc quoque putidum dicit Volkmannus et abiecti animi signum quod publicani cum feneratoris negotio comparantur. Mihi loco notato nihil inesse videtur quod tanta sit indignatione dignum. Sic enim disputatur: „redimendi publica negotium, quamvis legitimum sit, dedecori esse putant, sed in fenore exigendo ipsi iniusti publicani sunt, atque adeo dum pecuniam dant mutuam fraudulenter agunt, nam qui minus accipit quam id pro quo se obligat circumvenitur." Claudicare comparationem non infitior, sed admonitionem continet audientibus utilissimam et hoc solum curat Plutarchus.

IX Pag. 831 F hanc habemus narrationem:

Philoxenus poeta, cum colonia in Siciliam mittebatur, agrum admodum fertilem obtinebat; sed cum videret inter colonos regnare luxum, mollitiem, verae sapientiae odium „me profecto" aiebat „bona ista non perdent, ipsa perire malo": agrum reliquit aliis et vela inde dedit". Totam narrationem incredibilem Volkmannus iudicat. Quid si de nihilo ficta est? Ideone minus est utilis? „Historicusne ille Plutarchus" Volkmannus rogat „sic infinite de colonia Siciliensi locuturus erat?" Me iudice ipsum illud *Siciliensi* omittere poterat.

Infirma sunt Volkmanni argumenta omnia. Ipse hoc sensisse videtur nam confugit ad artificium quoddam tanto viro indignum: alium scriptorem attrahit de quo fortasse nemo nunc cogitat. „Libelli *de vitando aere alieno*" ait „oratio non tam Plutarchi esse videtur quam Maximi Tyrii". Aptissimum, hercle, argumentum ad adversarium confutandum. Non enim fateri audet se in Maximo Tyrio hospitem esse, quem si unquam legit, tamen nunc eum data opera cum Plutarcho comparare non iuvat. Ergo quia tacet, victus videtur. Hoc illud est artificium quod nunc in rempublicam nostram tyrannidem quandam introduxit. At me neque nunc neque unquam terrebit. Primum qui dicit: „huius oratio me illius admonet scriptoris" mihi nihil dicere videtur. Tum ipsa nostri libelli oratio quam maxime est Plutarchea. Quae res nunc certe permagni est ponderis, siquidem hic non vitatur hiatus, in reliquis Plutarchi scriptis vitari solet.

Habemus ergo aliam vocabulorum dispositionem: quam facile inde alius sermonis nasci potuit color! Sed nihil eiusmodi hic deprehenditur. Contra insigne iam hinc attulimus exemplum flosculi quo admodum delectatur Plutarchus: res quae comparatione illustratur et comparatio ipsa inter se permiscentur confundunturque. Tum — quae res multo maioris est momenti — eodem modo finitur libellus quo ceterae Plutarchi contiones: neque subito abrumpitur neque magnifica clauditur „peroratione". Neque miratur auditor quod iam ad finem pervenerit oratio neque plaudit oratori. Eo est animo, quo maxime eum esse prudens cupit philosophus: vult secum perpendere audita et in suum convertere usum. Audite modo:

„Qui aes contrahunt alienum tributa sibi imponi patiuntur, servitutem subeunt, insomniis laborant, ut Phineus ille alatas nutriunt Harpyias qui cibum iis auferunt idque ante tempus: coëmunt enim frumentum creditores priusquam messum est, oleum venale proponunt priusquam cecidit oliva. „Tanti vinum habet" clamant „de pretio mecum pactus est tabula concepta". Interea pendet racemus messemque exspectat."

Nonne apta haec est clausula qua homo levis et prodigus egregie suae admonetur stultitiae? Quid sibi vult hic Maximus Tyrius? Cum praesertim eius saepe illa sit oratio et illa sint ornamenta disputationis ut Plutarchum tibi loquentem audire videaris. Unum afferam exemplum sed quo disertius ne cogitari quidem fingive ullum potest. In Diss. IV hunc legimus flosculum: „homo pius Dei amicus, superstitiosus Dei adulator est". Si nunquam Maximum Tyrium inspexissem, subitoque me rogaret quispiam ποῦ κεῖται τοῦτο; statim responderem: „apud Plutarchum in libro *quomodo adulator*". Annon similis hic iocus est illi quo Plutarchus alibi demonstrat superstitiosum magis esse impium quam qui omnino deos esse negat?

Vindicet, vindicet sibi suum *de vitando aere alieno libellum* Plutarchus: verus eius est dominus. Neque quidquam quo magis glorietur habet; nobis vero idem illud esse potest utilissimum. Nullus Plutarchi liber nobis tam expressam exhibet imaginem vitae quam vixit Plutarchus rerumque quibus quotidie dabat operam. Et quod multo maioris est momenti, illo perlecto intelligimus qui fieri potuerit ut nunc quoque vivant etiam li-

belli isti de garrulitate, de curiositate, de tranquillitate animi, de quibus argumentis non tamen, ut opinor, ibi nova multa nos cognituros esse exspectamus. Quid quod ... nam nunc ad rem venio prae qua quae hactenus disputavi vilia sunt: per multa saecula reges imperatores bellatores clarissimi nullis sunt magis delectati libris quam Plutarchi Vitis. Finge tibi id narrari de opere hominis a vitae usu remoti qui quotidie in sua umbra vitas Graecorum Romanorumque composuerit et identidem aliquid inde protulerit ad plausum „doctorum" quorundam excitandum. Aut non crederes, aut quoniam credendum esset, miraculi instar tibi videretur. At nunc nonne illud incredibile atque absurdum recedit: vidisti enim et penitus sensisti libros illos qui in sarcinis esse illorum sint soliti, quibus ducibus populi inter se conflixerint, scriptos esse a viro sapienti, amico hominum, amabili sed qui praecipue quid ipsa sibi flagitaret vita probe perspexisset. Pastor ille Chaeronensis, sacerdos Delphicus, magister et praeceptor puerorum ingenuorum, de sera scribebat numinis vindicta, de Iside et Osiride, de facie in orbe lunae, sed etiam de Pericle, Fabio Maximo, Alexandro Magno quoties ei curae, quas quotidie hominum vitae impendere solebat, aliquid dabant otii.

At nunc scribebat aliquid quod cum quotidianis illis laboribus quam arctissime cohaereret. Nam licet toto imperio Romano Plutarchus inclaruisset, proprii gregis numquam fuit immemor. Ita solebat contionari ut aliquem ex eius oratione fructum percipere possent omnes, tam doctissimi quam plebecula inculta. Interdum tamen prae ceteris hoc spectabat ut suos Chaeronenses periculi alicuius admoneret quod praesertim illis imminebat. Et quodnam, quamdiu stetit imperium Romanum, cogitari poterat periculum capitale magis quam illud quod provinciales sibi ipsi aere alieno contrahendo parabant? Cogitate de praefecturis illis et in memoriam vobis revocate epistolam illam Ciceronis, qua cum quodam stupore et horrore se intellexisse declarat Brutum illum Stoicum, libertatis propugnatorem, dira illa usum esse crudelitate ut suos in arcam redigeret nummos. Profecto egregie semper de Plutarcho meritus est Wyttenbachius sed nusquam melius quam cum in libello *de virtute et vitio* (101 C) quae vera vis esset huius loci:

ἄθροιζε χρυσίον, σύναγε ἀργύριον, οἰκοδόμει περιπάτους, ἔμπλησον ἀνδραπόδων τὴν οἰκίαν καὶ χρεωστῶν τὴν πόλιν.

perspiceret et doceret. Quo bene intellecto, a Plutarcho, qui tam acerbe in crudeles esset invectus creditores, nostro iure flagitaremus librum in eos scriptum quorum stultitia fit ut creditores nasci possint ... nisi adesset. At adest, isque praestantissimus, utilissimus, ipsi vitae quam maxime accommodatus ... huncine ergo propter nescioquam de hiatibus doctrinam aliasve ex eo genere observationes abiiciamus? Quae ista foret ratio?

Utilitati hominum cum omnium tum Graeculorum atque adeo Chaeronensium suorum semper et ubique prospiciebat Plutarchus et aliis agendis rebus et libris scribendis. Sed nullus eius liber magis ad ipsam aequalium pertinebat vitam quam ille ad quem iam transeo:

De malignitate Herodoti.

Atque hic quoque liber nonnumquam a viris doctis Plutarcho est abiudicatus, ut opinor, quia vera eius natura ab iis non fuerat perspecta. Quorum licet sententia utique sit reiicienda, tamen nasci eam potuisse atque ipsi quoque Volkmanno de eius auctore dubii aliquid esse obortum, non tam mirum est quam primo videtur aspectu.

Habet enim liber hic quaedam quae parum Plutarchea videantur.

Iam statim quod in initio octo maledicentiae enumerat species haud iniuria miramur. Quid quod ipsum quoque Plutarchum hic habemus confitentem se fecisse aliquid quod a sua sit alienum indole. Perfecta enim illa enumeratione sic ad alia parat transitum: „possum et alias nominare species, sed sufficiunt hae ad eius (Herodoti) consilium naturamque significanda."

Neque minus mirum nobis videtur quod hic perpetua accusatione reus agatur Herodotus reputantibus alibi Plutarchum aut honorificam facere Herodoti mentionem aut se scriptis eius delectari testari. Fit hoc in libro *non posse* (p. 1093 B) ubi cum Xenophontis Persicis Herodoti historiae Graecae iis adnumerantur libris in quibus nil insit quod legentium mentes laedat corrumpatve, quique oratione gravi venustaque scripti sint. Nam quod non ipse ibi Plutarchus loquitur sed alius, quem loquen-

tem inducit, ad rem nihil attinet. Maioris vero hoc momenti quod alio eiusdem libri loco sine ulla necessitate formula quaedam loquendi Herodotea adhibetur: κατὰ τὸν Ἡρόδοτον ἐξείργομαι γνώμην εἰπεῖν (1098 A). Theon ibi sic loquitur quem Herodoti in sacerdotio Delphico fuisse decessorem haud inanis est coniectura. Atqui nemo sic loquendi formulas mutuatur nisi ab eo cuius scripta lubenter pervolvit. Contra etiam in vita Aristidis (c. 19) sententia quaedam Herodoti impugnatur: postquam tradidit in proelio Plataeensi cecidisse 1360 Graecos eorumque 52 Athenienses, 91 Spartanos, 16 Tegeatas, haec Plutarchus addit: „non ergo intelligo qui possit dicere Herodotus has solas civitates pugnae illius fuisse participes praetereaque Graecorum neminem: et caesorum et monumentorum numerus testatur illam victoriam ab universa esse reportatam Graecia." Atque — id quod minime spernendum — ex eodem hoc est genere crimen, atque omnia illa quibus totus de malignitate Herodoti liber est repletus. Ibi enim vel maxime refutatur Herodotus quoties contendit clarae alicuius de Persis reportatae victoriae gloriam paucarum civitatem fuisse propriam.

Prorsus eandem quam totus liber noster spirat indolem locus in initio vitae Lysandri, ubi se „quorundam" dicit refutare opinionem Plutarchus: „quod Spartani" ait „promissis sunt capillis institutum est a Lysandro hoc spectante ut bellica esset civium species. Verum *non* est quod *nonnulli* contendunt promittere capillos coepisse Spartanos postquam hostes eorum Argivi suos abrasissent, cladem quam a Spartanis accepissent lugentes." Atqui contenditur id ab Herodoto (I, 82) estque ille locus unus ex iis quos maxime levitate sua Plutarcho movisse bilem admodum est credibile.

At acerbitatem quandam habet liber *de malignitate Herodoti* quae in Plutarchi libris admodum rara est. Sic p. 858 C refutatur Herodotus qui contendit nullam aliam Alcmaeonidis fuisse causam cur Pisistratum pellerent quam quod tyrannus uxore sua, ipsorum cognata, non ita uti oporteret uteretur. Admodum lepide ibi Plutarchus mulierculam istam in scenam introducit ad matrem currentem, flentem, lamentantem estque locus eiusmodi ad quem Donatus aliquis apte annotare potuisset id quod legimus ad Eun. 155: „vide μίμησιν cum odio inductam et depravatam

pronuntiatione". Atque merito ibi poenas dat Herodotus malignae illius levitatis, quam ferre non potest Plutarchus, qua abreptus historicus ille semper gravissimarum rerum futilissimas quaerit atque adeo comminiscitur causas. Lepidus locus est aio, sed acrior acerbiorque quam pro Plutarchi moribus lenibus placidisque. Conferri potest id quod p. 871 D observat ab Herodoto praesertim *barbaros* calumniantes induci, ita ut ab Aesopo corvos simiasque.

Tum c. 26 ipse Plutarchus falsum de Herodoto rumorem profert hunc: Anyto quodam suadente eum publice ab Atheniensibus magna esse donatum pecunia quod tantis illam civitatem ornasset laudibus. Et redarguit quidem hanc ipse calumniam observando Athenienses, si Herodotus suum librum priusquam in lucem ederet iis recitasset, eius narrationem de Spartanis hoc praetextu utentibus quod ante plenam lunam ad pugnam expedire sibi fas non esset ideoque nullas Marathonem mittentibus copias, reprehensuros fuisse intelligentes sic temporum perturbari rationem . . . sed tamen miramur hic ipsum calumniatoris fungi partibus. Calumniatoris enim est ea redarguere mendacia quae multo melius reticuisset.

Facetissimum est iococissimumque quod de Alcmaeonidarum proditione illa, clipeo sublato Persis signum dantium nunc esse Athenas invadendi tempus p. 862 F legimus. Ipsa affert Herodoti verba quibus veri calumniatoris indolem vafram versutamque prodi negabit nemo, specie defendentis revera accusantis: „mirabile est et incredibile Alcmaeonidas Persis dedisse signum eo consilio ut Athenae in Hippiae redigerentur potestatem", salseque addit: „in memoriam mihi haec revocant versiculum:

cancer, exspecta parumper, mittere ut te possiem.

Quid enim opus erat prehendere cancrum si missurus eum es?" Lepide hoc est dictum, sed habet quandam mordacitatem minime Plutarcheam.

Semel etiam deprehendimus scriptorem studiose accusandi *quaerentem* materiem p. 864 E, ubi Athenienses ab Herodoto accusari proditionis dicit non quam fecerint sed quam fuerint facturi. At Herodoti loco, quem scriptor affert, non ullius proditionis accusat Herodotus Athenienses, sed quid ceteri facturi fuerint Graeci et praesertim Spartani disputat si communem Graeciae

causam perfide Athenienses deseruissent. Non est, opinor, placidi nostri Chaeronensis sic data opera ipsam *detorquere* veritatem.

Hoc quoque miramur quod scriptor (855 C) inter maledicos etiam Aristophanem ponit quod Cleoni amentiam audaciamque obiiciat cum leniore vocabulo *levitatis* uti potuisset. Modo enim vidimus quam parum clementer ipse Plutarchus de Cleone iudicare sit solitus.

Magis vero miramur eum de antiquis Aegyptiis cum magno disputare contemptu. Postquam enim exposuit quomodo Herodotus totius mythologiae Graecae originem in Aegypto quaerat, haec addit: „sic ille Aegyptiorum usus *ineptiis fabellisque* Graecorum sanctissimas maximeque reverendas evertit caerimonias.'' Taliane dici potuisse ab eo qui illud *de Iside et Osiride* composuerit volumen!

Sed neque multae neque graves hae sunt discrepantiae et peculiare libri consilium propriaque indoles eas et explicat et defendit. Atque opponi possint alia multa, multoque graviora, quae quin a Plutarcho scriptus liber noster sit dubitare te vetant. Certe Volkmannum oportebat omnem de ea re dubitationem missam facere observantem quam diligenter vitentur in hoc libro hiatus. Structurae quales hae sunt *ὅσα κοινῇ μὴ καθαρᾶς μηδ' εὐμενοῦς ἐστιν ἀλλὰ κακοήθους οἷον ἴχνη καὶ γνωρίσματα διηγήσεως* (855 B) vel *οὔτ' ἀπωτάτω κατῴκουν ὡς Σπαρτιᾶται τῆς Ἑλλάδος ἐν μυχῷ* documento sunt indulgere scriptorum studio cuidam quod in deliciis habet. Atqui — quod saepius iam dixi — nullam quidem Plutarchus agnoscit hiatum vitandorum legem quam negligere nefas sit, dubium tamen non est quin ista elegantia omnino admodum Plutarcho placuerit.

Neque minus haec res Plutarcho librum nostrum vindicat, quod longior est quam pro scripto suppositicio. Etenim si Plutarchi liber hic non est, non casu aliquo genuinis eius operibus est additus, sed data opera insertus, idque a falsario impudentissimo qui ut Plutarchus esse videretur nullam fraudem, nullum mendacium reformidarit. Sic 866 B dicta quaedam memorabilia Leonidae relaturus haec praefatur: „cetera omnia a Leonida fortiter facta dictave, quae Herodotus omisit, ego ponam *in vita Leonidae*, sed pauca iam hic possum tradere. Ergo dubium non est quin scriptor personam hic assumat Chaeronensis

illius, qui nulla re magis quam Vitis inclaruit. Atqui facile fieri potest ut liber aliquis in syllogen aberret alienam, sed scriptorem qui ad librum aliquem scribendum suo sit adductus ingenio et in eo componendo non solum ardoris cuiusdam acerbitatisque sed etiam — quod maius est — eloquentiae doctrinaeque certissima dederit documenta, strenue dedisse operam ne tanti pretii opus illud ipse scripsisse videri cuiquam posset ob eamque rem impudentissimo usum esse mendacio, hoc unum spectantem ne unquam aequalium posterorumve cuiquam ulla posset nasci dubitatio quin alium ille haberet auctorem, hoc ne cogitari quidem potest. Quando enim eiusmodi aliquid factum est unquam?

Denique ipsam Plutarchi vocem audio p. 869 C. Commemorato insidioso illo crimine, quo Naxios petit Herodotus, ad Persis opem ferendam eos tribus navibus dedisse vela sed ab unius earum duce esse permotos ut se cum Graecis sociis coniungerent arguens, sic pergit: „sed quid Herodoti de Naxiis mendacia aegre feramus? Horum enim res gestae paucis innotuerunt. Sed si, ut aiunt nonnulli, antipodes habemus qui huiusce terrae contrariam incolunt partem, vel hi, ut opinor, de Themistoclis inaudiverunt consilio ad cuius servandam memoriam Persis pulsis Graeci Melitensi Dianae, sapientis consilii patronae, templum posuerunt. „*Si*, ut aiunt nonnulli, antipodes habemus." Lis haec tunc erat fueratque iam multo antea et internecivi inter philosophos odii causa, de qua, ut de multis aliis eiusdem generis, certam proferre opinionem Plutarchus, cautus ille et circumspectus Academicus, neque audet neque ausus est unquam.

Dicebam res quibus liber noster a ceteris Plutarchi scriptis discrepet nullo explicari negotio si peculiarem eius indolem consideremus et recte consideremus. Bellum hic gerit Plutarchus non cum illo ante multa saecula mortuo sepultoque historico Halicarnassensi sed cum suis aequalibus sive Athenis illi habitant sive Spartae sive in quacunque urbe Graeciae. Heu miseros illos Graeculos! lites atque discordiae in deliciis iis esse videntur, ita alia civitas aliam odit detestaturque. Sed aperte bellorum gerendorum adempta iis est facultas: sicubi nimis magnae nascuntur turbae, adest proconsul cum suis lictoribus cohortibusque, sed quominus verbis et conviciis Graeci Iudaeive pro armis uterentur nemo magistratus Romanus obstitit unquam.

„Bella gerere iam non licet, ergo de bellis antea gestis certemus" Graeculi aiunt. Et in eiusmodi certamine quodnam crimen aptius est saepiusque profertur quam ... proditionis? Petunt ergo proditionis crimina, quibus adversarios profligent neque diu iis est quaerendum. Uberrimus enim patet omnibus fons calumniarum ... *Ἡροδότου Ἁλικαρνησέος ἱστορίης ἀπόδεξις.* Ibi quavis pagina aliqua civitas Graeca aut aperte accusatur aut tecte insimulatur communem Graeciae causam prodidisse barbaris. Neque ullam opinor Graeciae regionem huic crimini obnoxiam fuisse magis quam Boeotiam. Quam ignave atque adeo turpiter se apud Herodotum usquequaque gerunt Thebani! Non solum aliis semper, et praecipue Atheniensibus, Herodoti deliciis illis, pericula adeunda relinquunt sed nunquam eos abiectissimae pudet ignaviae proditionisve nefariae. Poteratne aequo animo istas culumnias ferre Plutarchus? Immo vero tandem aliquando philosopho nostro, scriptori exercitatissimo, cuius libri tot hominum literatorum tererentur manibus, ipse Herodotus, quamvis facetis eius delectaretur narratiunculis, redarguendus erat. Simile aliquid et alio tempore egit et tunc quoque a consueto sibi recessit scribendi genere. An quisquam a Plutarcho perpetuos exspectet commentarios ad *poetam* illustrandum scriptos? Scripsit tamen illos Plutarchus iisque Hesiodi Opera et Dies ... non tam illustravit quam defendit. Primum *contra fastidia* adolescentulorum, qui tunc operam dabant literis et, ut fieri solet, priscum illum cascumque poetam adunco suspendebant naso, deinde contra ceteros omnes qui vel Hesiodum male intelligerent vel nihil ex eius posse carminibus peti contenderent quod non humi reperet et luce esset indignum poetica. Legite mihi quae ex illis commentariis servavit Proclus, statim dilectum illum tibi agnosces mentium medicum. Pro Xenophonte Platonem ponit (apud B. VII p. 72), omnem *ἀκρίβειαν* nihili faciens, prae emendatione morum; Hesiodo abiudicat versus (650—663) eo solo argumento quod nullo modo prodesse legentibus possint, aliosque (267—271 et 238 sq.) unde impietatis possit peti defensio cum criminibus in deos iniquos crudelesque. En philologum! Quam primum nactus est facultatem lepidissimae inserendae narratiunculae de beatorum insulis (e Plutarcho enim eam sumpsisse Proclum mihi eet persuasissimum et fuit Wyttenbachio) ea lubenter utitur, credo ut gregi suo vividam osten-

deret animorum immortalitatis imaginem. Nullam enim esse posse religionem illo nomine dignam eorum qui post mortem nil superesse hominibus putarent constans et perpetua fuit Plutarchi sententia. Denique considerate annotationem ad versus τὸν Φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα κτέ., quid sibi toto hoc commentario scribendo proposuerit tenebitis. Ad demonstrandum enim e vicinitate non minus saepe nasci bella quam firmas amicitias non solum e *Graeca* historia petit exempla sed etiam e *Romana*. Toto enim imperio commentarium suum legi Romano cupit, gnarus ubique terrarum vivere homines non solum quibus morum aliqua medicina opus esset sed etiam qui vetustum illum vatem, Boeotum illum ipsi dilectissimum Hesiodum, spernerent contemnerentque.

Hunc apud omnes totius orbis terrarum iudices defendit. Atque eodem consilio nunc Herodotum in idem illud vocat iudicium ut omnium Graecorum, quos calumniatus ille est, et praesertim Boetorum causam agat.

Atque librum suum dedicat Alexandro cuidam, ceteroquin ignoto, sed unam rem de eo pro certo affirmare possumus. Hoc enim fere exordio Plutarchus utitur: „multis, Alexander, imposuit limpida sua oratione sed magis indole quam maxime maligna Herodotus: haec enim summa est malignitas specie lenitatis acerbitatem suam obtegere. Et quoniam illa Herodotus vel maxime in Boeotos et Corinthios usus est, nostrum esse opinor eam refutare et proavorum nostrorum et veritatis causa: atque hoc est proprium huius libri consilium. Nam si quis omnia Herodoti mendacia vellet refellere, multis ei opus esset voluminibus."

Proprium ergo libri consilium est quid? Ut opinor Herodoti de Boeotis et Corinthiis mendacia refellere. Quid enim aliud vel cogitari potest quod recte opponatur *omnibus* Herodoti *mendaciis*, de quibus paulo post agitur? *Nos* oportet illa de duobus hisce populis refutare mendacia, *nos*, aio, Plutarchum et Alexandrum, Plutarchum quia Boeotus, Alexandrum quia Corinthius est. „Ne Archimedes quidem" Cicero ait „melius possit computare". Ergo Corinthius est Alexander et, ut opinor, homo nobilis opulentusque; lubenter ergo eum functum esse arbitror officio sibi a Plutarcho mandato Corinthios defendendi. Nam revera post Boeotios Corinthios maxime Herodotus laesit verbis suis maledicis. Annon extrema est iniquitas Corinthios dicere apud Artemisium

primos „terga vertendi cepisse consilium" (δρησμὸν βουλεύεσθαι p. 867 A)?

Est ergo accusatio quaedam Plutarchi liber hic et accusatio in causa quae cum maxime in iudicio versatur. Petuntur enim omnes aequales, qui de Boeotis mendacia circumferunt eosque lacessunt ex Herodoto protrahendis omnibus mendaciis quae ibi de illo leguntur populo. At hunc qui defendere vult populum non potest quin Herodotum accuset. An contendere potuisset Plutarchus nulla de Boeotis Herodotum sparsisse mendacia? Nihil ergo ei relinquitur quam hoc: demonstrare omnino fide indignum auctorem Herodotum esse.

Et quibus id demonstrat argumentis? Bene re considerata haud parum ea habere ponderis est concedendum. An negemus *levitatis* quodam laborare vitio Herodotum. Unquamne penitus eum sentire dicas de quam gravibus rebus agat? An non quaecunque ei datur facultas praestantissima summorum virorum consilia e turpibus repetendi causis lubentissime ea utitur? Scin cuius mihi semper in mentem veniat poetae Herodotum legenti? Eius qui iure semper habitus est ipsius levitatis exemplum... Ovidii. Nonne Ovidiano artificio Herodotus ludicram narrationem de procis in Clisthenis aula certantibus annectit ... pugnae Marathonicae ita ut nunc in scenam prodeant cum Miltiade Sardianus ille auro oppletus hystrix et nitidi illi nardoque delibuti adolescentes Sicyone elegantiae dantes documenta. Nonne dives ille Callias, quem laudet, et Aminocles, quem variis in suspicionem adducat rumoribus, „crinibus attracti" (ut nos loquimur) in „historias" iure nobis videntur atque ita ut scriptorem ab illo donis et muneribus oneratum, ab hoc aliquo modo laesum non possimus non suspicari?

Grave esse historici officium sentire non potuit Herodotus ... quia vera caret gravitate ipse. Sed tristitia quadam laborat quae verae contraria est gravitati. Inexorabile fatum, deos invidos crudelesque, homines vel lucri vel voluptatis causa recte agentes usquequaque legentibus exhibet et interserit iocos quos legentes „ridendo ponimus arma" (quemadmodum lepide aiunt Francogalli), sed loco, ubi ponantur, parum dignos eos esse haud possumus infitiari. Tres enumerat Plutarchus quos vituperet, idque optimo iure. An non scurrile est et infima plebecula dignum

responsum quod Amasis regi suo dat? Penitusne et toto, ut aiunt, pectore patriam suam amare putandus est scriptor qui a pugna Marathonia statim transire possit ad gesticulantem cruribus illum Hippoclidem? Denique narratiunculam de Rampsinito iocosissimam esse non negamus sed simul recordamur ex illa natum ludicrum illud Bavaricamque redolens cervisiam poema *de libro effosso.*

Sed maior haec Plutarchi laus quod se in redarguendis Herodoti calumniis egregium praebet historicum. Annon vera solidaque doctrina Thebanos, qui Thermopylis ceciderunt, non sponte, ut ait Herodotus, sed a Leonida coacti, Phocenses, quos idem contendit non patriae amore sed Thessalorum odio communem Graeciae defendisse causam, atque adeo Spartanos ipsos, quos idem ille insimulat domi remansuros fuisse nisi a Chileo quodam ut arma sumerent essent permoti, idque argumentis nihil aliud quam *utilitatem* rei demonstrantibus ... nonne hos omnes Plutarchus ab eiusmodi calumniis docte simul et acute defendit?

Et miramur, placidum quidem lenemque sed simul verae sapientiae gravitatisque plenum illum philosophum mentisque medicum continere iram et indignationem non potuisse et alia legentem et nota ista: *εἰ μὴ αὐταὶ ἐβούλοντο, οὐκ ἂν ἡρπάζοντο.* Audite hic Plutarchum in hanc erumpentem vocem „ineptos ergo etiam deos dicamus qui a Spartanis poenas sumserint, qui vim intulerant Leuctri filiabus, et ab Aiace a quo violata erat Cassandra" et quae sequuntur eiusdem indignationis plena ... statim tibi pro certo constabit a Plutarcho hunc de malignitate Herodoti scriptum librum. In mentem enim tibi et alii loci venient et illi quibus Coloten redarguit castigatque, scriptorem non minus levem et adversus summos viros iniquum quam fuit Herodotus. Illos dico (p. 1116 F): *Φορτικὸς οὖν ὁ Πλάτων κτέ.* et 1117 E *καὶ μὴν ὅτι Σωκράτης ... οὕτως ἐβίωσε.* Agnoscisne hic eundem illum ardorem quem totus spirat liber noster?

Herodoti malignitatem perstringendo Plutarchus ut potuit ... capessivit rempublicam. Et nemo illo potuit melius. Annon optimus ille est „politicus" qui paci inter cognatos consulit populos, lites dirimit, funestos tollit errores? Et qui imponere finem cupit aeternis illis, quibus inter se lacessunt Graeciae gentes, iurgiis, nonne egregie illud facere censendus est cum

demonstrat libros e quibus ista repeti solent non esse codicem quendam sacrum sanctumque sed leve leviusculi scriptoris opus qui, dummodo legentes delectet, neque veritatem magni faciat neque morum castitatem dignitatemque?

Iam suum sibi libro *de malignitate Herodoti* inter Plutarchi *politica* assignavimus scripta locum. Nunc e singulis singulos protrahamus locos de quibus critici generis aliquid observemus.

Maxime cum principibus 776 B Unquamne criticus exsistet qui vocabula a quibus hic libellus incipit Σωρκανὸν ἐγκολπίσασθαι emendet? Frustra hactenus fuerunt conatus tam Madvigii qui εἰς ὀρκάνην ἐγκολπίσασθαι proposuit collato loco Alciphronis, ubi verbum ἐγκολπίζεσθαι rectissime adhibetur, quam Emperii Bernardakiique qui pro Σωρκανόν alia nomina propria in textum induxerunt, nam et verbum illud et quodvis nomen proprium in accusativo hinc sunt quam alienissima. Tota sententia clare perlucet, praesertim si (id quod negare nolim) Φιλίαν γεωργεῖν recte hoc sensu dicitur: „amicitiam colere'', quemadmodum vertit interpres. Tum enim sic orditur philosophus: „amicitiam appetere, amplecti, colere, quae profutura sit multis tam privatim quam publice non Φιλοδόξων est sed Φιλοκάλων καὶ πολιτικῶν καὶ Φιλανθρώπων''. Quo exordio ne cogitari quidem potest aliud magis accommodatum libro, cuius hoc est propositum ut doceatur ideo philosophum oportere cum principibus disserere ut philosophia quam plurimis prosit. Sed quorsum ista Σωρκανὸν ἐγκολπίσασθαι καὶ praemittuntur? Si abiicis, nihil desideratur. An latet in his *vocativus* aliquis quo philosophus praepotentem aliquem alloquitur Romanum, libelli patronum futurum?

„Immo vero'' sic pergit:

Φιλόδοξός ἐστι καὶ ψοΦοδεὴς ὁ Φεύγων καὶ Φοβούμενος ἀκοῦσαι λιπαρὴς τῶν ἐν ἐξουσίᾳ καὶ θεραπευτικός.

Pro καὶ θεραπευτικός R. coniecit θεραπευτής et sic certe sustulit immanem soloecismum adiectivi λιπαρής cum genitivo. Sed λιπαρὴς ... θεραπευτής languidum ingratumque est: acre convicium requiri videtur. Ecquid κόλαξ post ἐξουσίᾳ excidit?

Sequuntur lepidissima haec:

ἐπεὶ τί Φησιν ἀνὴρ θεραπευτικὸς καὶ ΦιλοσοΦίας δεόμενος; Σίμων οὖν γένωμαι ὁ σκυτοτόμος ἢ Διονύσιος ὁ γραμματιστὴς ἐκ Περι-

κλέους ἢ Κάτωνος, ἵνα μοι προσδιαλέγηται καὶ προσκαθίζῃ ὡς Σωκράτης ἐκείνοις;

lepidissima, sed vitiis lepor tantum non absconditur, sic in lucem protrahendus: pro *θεραπευτικός* cum Reiskio legamus *πολιτικός* nam dubium non est quin loquens inducatur vir primas in republica agens partes, et quo modo vera lectio sit expulsa e textu tuis vides oculis. Tum pro *Φησιν* aut *Φῇ* aut *Φήσει* legamus, hiatum non metuentes (in contextu simillimo 777 B *τί οὖν ἔδει λέγειν*). Denique pro *ὡς Σωκράτης ἐκείνοις* lege *ὁ Σωκράτης ἐκεῖνος* ipsum virum potentem audies stomachantem cum videat se propter potentiam suam a philosopho inepto vitari: „ergone de plebe vir fiam ut iuxta considat mecumque disserat Socrates iste?"

776 D Prudens philosophus philosophiae operam dat quae effectu non careat, ideoque potentium animis *ἐντίθησι . . . Φρόνημα καὶ μέγεθος μετὰ πρᾳότητος καὶ ἀσΦαλείας, δι' ὧν τοῖς ὑπερέχουσι καὶ δυνατοῖς ὁμιλοῦσιν οἱ πολιτικοὶ προθυμότερον.*

Pro *ἀσΦαλείας* W. *ἀΦελείας* reposuit, optime, nam requiruntur virtutes quibus *Φρόνημα καὶ μέγεθος* *temperentur*. Tum vero quid efficitur (*δι' ὧν*)? Ut cum summis viris amplissimisque libentius versentur . . . qui? Non, ut opinor, pars quaedam civium, quae certae operam dedit disciplinae, sed omnes cives. Lege ergo *πολῖται* pro *πολιτικοί*.

776 E *ἠξίουν* qui? Homerusne eiusque interpres Plato? An inepte hic vitatur hiatus, non a philosopho ipso sed a librario, et *ἠξίου* est reponendum? (*ἠξίου* Homerus).

777 A *ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ὑΦορώμενον.*

Hunc hexametrum probare videtur B., nam tantummodo *ἐΦ.* pro *ὑΦ.* reponi vult. Nos Wyttenbachium sequamur corrigentem *ἐΦορῶντα*.

777 B Fingitur Panaetius a Scipione arcessitus inepte respondere: lubenter te in meam reciperem disciplinam, si esses aliquis in angulo vivens ibique *καθ' ἡσυχίαν ἀναλύων συλλογισμοὺς καὶ περιέλκων ΦιλοσόΦων.*

Nihili est „συλλογισμοὺς φιλοσόφων", sed quod B. proponit καὶ φιλοσοφῶν inepte verbosum reddit nostrum. Primum pro absurdo περιέλκων cum M. scribe περιπλέκων („solvens nectensque", hoc requiritur), sponte emendatio perficitur eiecto φιλοσόφων, ex annotione marginali φιλοσοφῶν nato.

„Sed quoniam" sic inepte pergere idem ille fingitur „Scipio es οὐκ ἂν σοι διαλέξομαι".

Sic, si fides editori, Duebnerus, ille Cobeti amicus, scripsit pro διαλέξωμαι. Corrigendum est aut διαλεξαίμην, aut, quod verisimilius, οὐκέτι pro οὐκ ἄν.

ib. pro ὑποπιπτέτω Cobetus ὑποπίπτει reponens e farragine verborum disputationem apte procedentem effecit.

777 C τὸ τραχὺ καὶ ταραχῶδες καὶ τὸ ἡδόμενον.

Manum scriptoris R. restituit supplendo καὶ τὸ (λυπούμενον καὶ τὸ) ἡδόμενον.

777 D De Propoeti filiabus hic citatur versus:

πρῶται μίσεα μηχανήσαντο καταχέειν νεανίσκων.

Convenit in istas μύσεα pro μίσεα nam „primae corpora vulgasse feruntur" et sic taetro libidinis morbo infecisse iuvenes.

777 E Plerique κατ' εὔνοιαν τὴν δόξαν τίθενται νομίζοντες ἡμᾶς μὴ μόνον ἐπαινεῖν οὓς φιλοῦμεν.

Recte B. ante οὓς inseruit ἀλλὰ καὶ θαυμάζειν. Sed nonne praecedere κατὰ τὴν δόξαν τὴν εὔνοιαν τίθενται debet? Sic recte addetur: ut Ixion pro Iunone nubem ita illi ἀντὶ τῆς φιλίας εἴδωλον ἀπατηλὸν . . . περιλαμβάνουσιν. Ultimum vocabulum Corai debemus, nam ὑπολαμβάνουσιν traditum est. At nunc displicet: εἴδωλον . . . περιφερόμενον περιλαμβάνουσιν. Prius περί dele ut φερόμενον sit: fluxum vagumque.

777 F ὥσπερ γὰρ τὸ φῶς μᾶλλόν ἐστιν ἀγαθὸν τοῖς βλέπουσιν ἢ τοῖς μὴ [βλεπομένοις], οὕτως ἡ δόξα τοῖς αἰσθανομένοις ἢ τοῖς μὴ [παρορωμένοις].

Perite B. inclusa delet.

778 B ἐπισταθμεύων interpres vertit „interpellans", et haec requiritur sententia, sed aliud huius usus exemplum nunquam vidi.

778 E τοὺς Καλλίου — κόλακας λέγουσιν (homines).
Pro λέγουσιν B. ψέγουσιν coniicit, sed multo melius W. γελῶσιν, nam mox opponitur: (tyrannorum adulatores) ἀπετυμπάνιζον, ἐστρέβλουν καὶ ἐνεπίμπρασαν.

778 F Civitates venerantur sacerdotes non quod deos reddant beneficos sed quia eos qui iam sunt benefici invocant: at philosophi reges faciunt meliores ὥστε καὶ χαίρειν εἰκός ἐστι μᾶλλον.
Graeca sic vertit interpres; „ut par sit eos in maiore etiam honore haberi". Et certe requiritur hic sensus, sed quo modo inde eruatur?

779 A ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καὶ λυροποιὸς ἂν ἥδιον λύραν ἐργάσασθαι ... μαθὼν ὡς ὁ ταύτην κτησόμενος [τὴν λύραν] μέλλει τὸ Θηβαίων ἄστυ τειχίζειν.
Abeat in malam rem insulsum interpretamentum!

Ad principem ineruditum 779 F Theopompus, qui regiam potestatem primus cum Ephoris communicavit, dicitur τὸ τῆς ἀρχῆς ὥσπερ ῥεύματος παροχετεύσασθαι
Nonne post ἀρχῆς excidit περιττόν aliudve vocabulum in eandem sententiam?

ib. Imperiti statuarii putant μεγάλους καὶ ἁδροὺς φαίνεσθαι τοὺς κολοσσούς, ἂν ... κεχηνότας πλάσωσι.
Recte Madvigius φανεῖσθαι,

780 B ὁ κανὼν αὐτός, ἀστραβὴς γενόμενος καὶ ἀδιάστροφος, οὕτως ἀπευθύνει τὰ λοιπά.
Etiam in Didotiana prior virgula ineptissimo loco posita est: ponenda erat inter κανών et αὐτός.

780 F οἷον δ' ἥλιον ἐν οὐρανῷ περικαλλὲς εἴδωλον ἑαυτοῦ καὶ σελήνην ὁ θεὸς ἐνίδρυσε, τοιοῦτον ἐν πόλεσι μίμημα καὶ φέγγος iustus piusque magistratus.
Post πόλεσι excidit θεοῦ.

ib. Adiectivum *θεουδής* sic explicatur: *θεοῦ λόγον ἔχων διάνοιαν.* Ante ultimum vocabulum *καί* inseruit R. „sed recte se habet vulgata" clamat editor. Mihi flagitare Reiskii medicinam videtur.

781 B Anaxarchus Alexandrum occiso Clito lamentantem consolatus est dicens ideo Iovi (deorum regi) Iustitiam Theminque adsidere ut quidquid rex faciat iustum piumque videatur, *οὐκ ὀρθῶς τὴν ... μετάνοιαν αὐτοῦ τῷ πρὸς τὰ ὅμοια θαρρύνειν ἰώμενος.*

De verbis notatis dubito. Interpres „ad alia audendum simile exhortando", neque eleganter neque recte. Scripsisse Pl. videtur *πρὸς ἀνόμοια θαρρύνειν*, animum regis sustentabat (*ἐθάρρυνε*) philosophus alienum exemplum afferens (*πρὸς ἀνόμοια*).

ib. Notetur praeclara sententia unde Plutarchi, fere dixerim, monotheismus eluceat:

Iupiter *οὐκ ἔχει τὴν Δίκην πάρεδρον ἀλλ' αὐτὸς Δίκη καὶ Θέμις ἐστί.*

781 C Iustitia est *αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης καὶ ὠφελείας σύνοικος.* Egregie Naberus *ἀφελείας* v. 776 D cum nostra annotatione.

781 E Aristodemus Argivus *εἰς ὑπερῷον οἴκημα θύραν ἔχον ἐπιρράκτην, ἧς ἐπάνω τιθεὶς τὸ κλινίδιον ἐκάθευδε μετὰ τῆς γυναικός.* Haeret structura sententiae. Atque huic quidem incommodo B. medetur *ἧς* delendo. Sed vel sic ipsa haeret sententia: satis securum reddunt tyrannum scalae a matre remotae, non opus est lectulum ianuae imponere. Ergo et *ἐπάνω* dele et praeterea *οἴκημα,* quae vox addita simul documento est quid sibi sciolus hic permiserit.

781 F Deus dicitur *ἄνω που περὶ τὴν ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ οὕτω φύσιν ἔχουσαν ἱδρυμένος ἐν βάθροις ἁγίοις.*

Recte R. *ὡσαύτως* pro *οὕτω.* Sequentia *οἷον δ' ἥλιος κτἑ.* bene B. emendat.

782 A Dicuntur veri philosophi *πρὸς τὸ κάλλιστον τῶν πραγμάτων πλάττοντες ἑαυτούς.*

Lege *παραδειγμάτων* cum M.

ib. Conspecto Diogene Alexander exclamavit notum illud, *ὀλίγου δέων εἰπεῖν τὴν περὶ αὐτὸν εὐτυχίαν καὶ λαμπρότητα καὶ δύναμιν ὡς κώλυσιν ἀρετῆς καὶ ἀσχολίαν βαρυνόμενος καὶ ζηλοτυπῶν τὸν τρίβωνα καὶ τὴν πήραν.*

Pro *δέων* Madvigius *δέω*. Aliquanto melius Coraes *δεῖν* quem et *εἰπεῖν* delevisse suspicor. Nam sic demum bene decurret sententia.

Utut est: in verbis citatis inest reprehensio Alexandri. Ergo in sequentibus: *ἐξῆν οὖν φιλοσοφοῦντα καὶ τῇ διαθέσει γίγνεσθαι Διογένην καὶ τῇ τύχῃ μένειν Ἀλέξανδρον* pro *οὖν* est legendum *γάρ*. Et praeterea exime *φιλοσοφοῦντα*. Mene primum importunum istud interpretamentum deprehendisse!

Additur etiam: *καὶ διὰ τοῦτο γενέσθαι Διογένην μᾶλλον ὅτι ἦν Ἀλέξανδρος, ὡς πρὸς τύχην μεγάλην ... ἕρματος πολλοῦ καὶ κυβερνήτου μεγάλου δεόμενον.*

Sensu cassa haec sed lenissima emendatione praeclara restituetur sententia. Legendum enim *ὁ ... δεόμενος* pro *ὡς δεόμενον.*

782 B *ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἀσθενέσι καὶ ταπεινοῖς καὶ ἰδιώταις τῷ ἀδυνάτῳ μιγνύμενον τὸ ἀνόητον εἰς τὸ ἀναμάρτητον τελευτᾷ.*

Fortasse a Stobaeo sumendum *δεδεμένον* pro *μιγνύμενον*, sed quod B. dat *εἴργει τὸ ἀναμάρτητον* prae tradito *εἰς τ. ἀ. τ.* spernendum videtur.

Additur haec comparatio:

*ὥσπερ ἐν ὀνείρασι φαύλοις τις ἀνι** τὴν ψυχὴν διαταράττει συνεξαναστῆναι ταῖς ἐπιθυμίαις μὴ δυναμένην.*

Correctio incerta, sed quod B. coniicit *τοῖς ἀνιάτοις πάθεσι* perversissimum videtur. Contrarium requiritur nam somnia dicenda sunt, quamvis perturbent animum, tamen *nil insanabile* parere.

782 C Quo quis est potentior eo maius afferunt periculum libidines, nam tum:

ὀξὺν ἡ κακία διὰ τῆς ἐξουσίας δρόμον ἔχουσα πᾶν πάθος ἐξωθεῖ.

Pro ultimo vocabulo B. dat *ἐξανθεῖ*, quae imago ab hoc loco alienissima. Aut servetur lectio tradita aut *προωθεῖ* legatur.

782 E *τοὺς μὲν ἐπιληπτικούς, ἂν ἐν ὕψει τινὶ γένωνται καὶ περιενεχθῶσιν, ἴλιγγος ἴσχει καὶ σάλος.*

Sufficit alterutra causa, non opus est simul ambabus. Lege ergo *ἢ περιενεχθῶσιν. τοὺς δ' ἀπαιδεύτους ... ἡ τύχη μικρὸν ἐκκουφίσασα ... εὐθὺς ἐπιδείκνυσι πίπτοντας.*

Immo *ἀποδείκνυσι.*

ib. *τῶν κενῶν ἀγγείων οὐκ ἂν διαγνοίης τὸ ἀκέραιον καὶ πεπονηκός, ἀλλ' ὅταν ἐγχέῃς φαίνεται τὸ ῥέον.*

Et de ultimo vocabulo dubito et post *ὅταν* videtur inserendum *ὕδωρ*, sed certo scio ante *πεπονηκός* inserendum esse *τό*. Recte interpres: „sicut inter vacua vasa non facile discernere possis *quod* eorum integrum, *quod* sit vitiosum."

An seni 783 C. „Opera nobis danda est" sic senem amicum Euphanem senex admonet Plutarchus:

ὅπως μηδέτερος ἀπολείψει τὴν μακρὰν συνοδίαν μέχρι δεῦρο κοινῇ προερχομένην.

Mire dictum hoc.

784 B Moralia Plutarchi legens non potes non mirari quam pertinaciter pravae distinctiones retineantur ab editoribus, velut hic et in Didotiana et in recentissima post *ἔτη* semicolon pro virgula ponitur cum maximo sententiae detrimento.

ib. Quo iure qui noctu comissatum venit *ἀτεχνότερος* dici possit non video. Annotat editor: „*ἀτεχνότερος* sanum est ut vid. cf. Plato de Leg. 679 a: *ἀτεχνότεροι μὲν καὶ ἀμαθέστεροὶ*" in quo loco nihil est praesidii: bene Graece aliquem *ἄτεχνον* dici nemo negavit unquam.

784 C Totum istud *ταῦτα δόξει τις μὴ κακῶς λέγεσθαι πρὸς τὸν ἀρχόμενον ἐν γήρᾳ πολιτείας* scioli est annotatio.

784 D *οὐ γὰρ τοσοῦτον κτέ.* Locus misere lacunosus laceratusque quem ne Reiskio quidem contigisse videtur ut probabiliter sanaret.

ib. *Καίσαρος ... οὔτι μικρῷ βασιλικώτερα ... γενέσθαι τὰ πολιτεύματα πρὸς τῇ τελευτῇ πάντες ὁμολογοῦσιν.*

Articulum *τά* ego inserui.

785 A *τὴν ἐν Οἰδίποδι τῷ ἐπὶ Κολωνῷ πάροδον, ἥ ἐστιν ἀρχή* (sequuntur versus notissimi).

Nemo sic loquitur; lege *ἧς* pro *ἥ*.

785 B *τουτὶ δ' ὁμολογουμένως Σοφοκλέους ἐστὶ τοὐπιγραμμάτιον.*
ᾠδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα.

Quid haec sibi hic volunt? An Plutarcho vir quinquaginta quinque annos natus senex videbatur? Non opinor, sed totum locum sciolus addidit ut demonstraret se quoque de Sophoclis aetate aliquid legisse.

ib. Polum viri docti narrant *ὀκτὼ τραγῳδίας ἐν τέτταρσιν ἡμέραις διαγωνίσασθαι.*

Non typothetae error hic, nam et in Didotiana sic legitur. Legendum *τραγῳδίαις.*

785 E Cur qui *παίζοντες* Herculem pingunt *ἐν Ὀμφάλης κροκωτοφόρον ἐνδιδόντα* (nonne simplex *διδόντα* praestet?) *Λυδαῖς θεραπαινίσι ῥιπίζειν . . . ἑαυτόν* dicuntur *οὐκ εὖ* pingere? Invito scriptore duo ista vocabula addita videntur. Post *ῥιπίζειν* legitur etiam *καὶ παραπλέκειν* quae verba non intelligo. Interpres „comendum'' praebet.

786 B Senes *τὰς περὶ πόσιν καὶ βρῶσιν ἐπιθυμίας ἀπημβλυμμένας τὰ πολλὰ καὶ νωδὰς κατέχοντες μόλις οἷον ἐπιθήγουσι καὶ χαράττουσιν.*

Hic quoquo simplex *ἔχοντες* requiro.

786 C *αἱ εἰς σάρκα λεῖαι καὶ προσηνεῖς γινόμεναι κινήσεις.*

Quorsum tradita servatur lectio, vera *κνήσεις* iam a Reiskio inventa?

786 D *αἱ δ' ἐπὶ τοῖς καλοῖς ἔργοις . . . τοῖς Πλατωνικοῖς ἐκείνοις καὶ οὐρανίοις πτεροῖς ὅμοια τὴν ψυχὴν . . . ἀναφέρουσιν.*

Immo *ὅμοιαι.*

786 F *ἔπαινος εὐνοίας δικαίας ἡγεμών.*

Parum aptum ultimum vocabulum; acute Hauptius *γέμων*. Sed nonne semper *in malam partem* ea vox accipitur?

Sequentia bene sic B. et Naberus refingunt:

ὥσπερ γάρ οἱ τεχνῖται ... οὕτως ἐστι καὶ δόξης ὡς καὶ φλογὸς οὐ χαλεπὴ σωτηρία.

787 B *φίλος ... τὸ ἐνδελεχὲς ἀεὶ διαφυλάττει τὴν εὔνοιαν.* Immo *τῆς εὐνοίας.*

787 C Cum cane qui ignotos adlatrat comparatur *ὁ φθόνος* quoniam *πρὸς τὸ ἀρχόμενον ὥσπερ ἐν θύραις τοῦ βήματος μάχεται.* Immo *τῷ βήματι* nam haec est imago: incipit aliquis rempublicam capessere ergo ad rostra accedit, at ibi eum, tanquam in foribus canis, exspectat invidia.

ib. Fumus *πολὺς ἐν τοῖς ἀρχομένοις διὰ τὸ φλέγεσθαι προεκπίπτων* evanescit postquam flamma erupit.

Madvigius *ἐν τοῖς ἀρχομένοις διαφλέγεσθαι*, sed sic pro *προεκπίπτων* requireretur *συνεκπίπτων*. Praestat totum istud *διὰ τό* delere.

788 C Senum *πολιτεῖαι ἔχουσιν ἀγαθὸν τὴν εὐλάβειαν καὶ τὴν φρόνησιν, καὶ τὸ μὴ φαινόμενον ἀλλὰ τὰ μὲν ἐσφαλμένα τὰ δ' ὑπὸ δόξης κενῆς προσπίπτειν πρὸς τὰ κοινά.*

Arena sine calce. B. sic *ἅτε μὴ φαινομένων ἄλλοτε μὲν ἐσφαλμένως ὅτε δὲ ὑπὸ δόξης κενῆς πρ. πρ. τ. κ.* Ad sensum recte, ad enuntiationem paulo languidius.

788 D *παρωσάμεναί τε στρατηγούς.* B. *γε*, et bene ita decurrit sententia, lubenter tamen quavis hic caream particula.

788 E Notum Timothei responsum in integrum restituit B. *εἰκός* inserendo.

ib. *πολλοὺς καὶ μανικωτέρους τούτου.* Recte Duebnerus *καί* inseruit.

788 F Senectus alia vitia exstinguit alia imminuit *ὥστε νή-*

Φοντα καὶ καθεστηκότα τὸν λογισμὸν ἐπάγειν (subiectum est *τὸν γέροντα*) *ταῖς Φροντίσι.*

Non minus sunt absurda haec quam rustici Aristophanici istud:

ἡ Φροντὶς ἕλκει τὴν ἰκμάδ' εἰς τὰ κάρδαμα.

Lege *τοῖς πράγμασι,* nam si *Φροντίσι* hic esset *curis de republica,* nimis obscure noster locutus esset.

789 C Praeclaram Madvigii emendationem B. perfecit *ἀζαλέῳ γήρᾳ κρᾶτ' ἀνθίζων ἤδη* legendo.

789 D Senes describuntur tamquam homines *οἷς ἡ γελωμένη πολιὰ καὶ ῥυτὶς ἐμπειρίας μάρτυς ἐπιΦαίνεται, καὶ πειθοῦς συνεργὸν αὐτῷ καὶ δόξαν ἤθους προστίθησι.*

Secundum *καί* delet M., pro *αὐτῷ* B. coniicit *αὐτοῖς,* quod structuram bene Atticam efficit sed, si bene memini, apud Plutarchum rarissimam. Restat ut aliquis nobis *δόξαν ἤθους* explicet. Interpres: existimationem *usus et morum*", quod sensu cassum est. Ecquid *χρηστοῦ* post *ἤθους* excidit? Nihil enim magis adiuvat eum qui vult persuadere quam bona fama, et bonis esse moribus aliquem ut credamus cani eius capilli et rugae efficiunt. De cincinnato et imberbi adolescentulo minus sumus securi.

790 C Notetur *γυναῖκα* pro „mulierculam" positum.

790 D Verba vulpis in nota Aesopi fabula haec referuntur: *ἂν γὰρ τούτους μεστοὺς ἀπαλλάξῃς, ἕτεροι προσίασι πεινῶντες.*

Aut post *μεστούς* inserendum *ὄντας,* aut, quod magis placet, *τούς* legendum pro *τούτους.*

790 E Nemo fit reipublicae gerendae peritus *σχολὴν περὶ πολιτείας ἐν Λυκείῳ γραψάμενος.*

En Graece (*σχολὴν γράΦεσθαι*) quod nunc studiosi nostri „dictata tenere" dicunt hoc sensu: „fideliter chartae mandare quaecunque ex ore magistri excidunt."

790 F *ὁ πολιτικὸς . . . πράττων τὰ κοινὰ καὶ διοικῶν* *ἐ π ε υ θ ύ ν ε ι* *τὸν νέον, ἔργοις ἅμα καὶ λόγοις πλαττόμενον* *ἐ μ ψ ύ χ ω ς.*

Edendum fuerat cum R. *ἀπευθύνει* et *ἐμψύχοις* cum M.

791 C ἔστιν ἡ πολιτεία ... βίος ἡμέρου καὶ πολιτικοῦ καὶ κοινωνικοῦ ζῴου καὶ πεφυκότος ὅσον χρὴ χρόνον πολιτικῶς καὶ φιλοκάλως καὶ φιλανθρώπως ζῆν.

Quam languidum, atque adeo ridiculum istud χρή esset acute perspexit R. et aptissime reposuit ζῇ.

791 F Notum Phocionis dictum sic refertur: οὐδὲν δεινόν· ἐγὼ γὰρ ἔσομαι μεθ' ὑμῶν ὁ στρατηγὸς ὑπὲρ ὀγδοήκοντα ἔτη γεγονώς.

Nonne ὁ eximendum? Ferendus articulus 819 A, ubi eadem narratiuncula redit sed vocabulorum ordine mutato.

792 D Quid sit inter musici studia τὸ κατακούειν ἡρμοσμένου me latet.

ib. Artifices qui (propter senectutem: facile hoc e contextu supplemus) exercitationes relinquunt ἀμαυροῦσι ταῖς ἡλικίαις τὰς ἕξεις.

Recte R. συναμαυροῦσι coniecisse videtur; editoris μαλακίαις non intelligo.

793 A ἐκεῖνο σκοπῶμεν ὅπως μηδὲν ἀπρεπὲς μηδὲ βαρὺ τῷ γήρᾳ π ρ ο σ ά ξ ο μ ε ν ἀγώνισμα.

Placet Naberi emendatio προστάξομεν.

793 E Senes omnibus se immiscentes negotiis μισοῦνται ... ὑπὸ τῶν νέων οὐ προϊέμενοι πράξεων αὐτοῖς ἀφορμὰς ο ὐ δ' ε ἰ ς μέσον ἐῶντες προελθεῖν.

Sic recte B. coniecit pro μηδ' εἰς.

794 A ὁ πρεσβύτης δ' ἀνὴρ ... ὑπομένων ... ἐμοὶ μὲν οἰκτρὸν ... φαίνεται, ἑτέροις δ' ἴσως καὶ ἐπαχθὲς φαίνεται καί φορτικόν.

Vel aures admonent secundum φαίνεται una litura esse delendum cum M.; abiiciendum et ὁ cum B.

ib. οὐδὲ γὰρ ἐν ἀρχαῖς τὸν τηλικοῦτον ὥρα φ α ί ν ε σ θ α ι.

Sic apte B. pro φέρεσθαι.

794 B *δεῖ δὲ ταύτας μὴ διώκειν τὰς τιμὰς ἀλλὰ Φεύγοντας ἄρχειν, μηδ' αἰτουμένους ἀλλὰ παραιτουμένους.*

Frequentissimum in Plutarchi textu vitium sustulit R. *αἰτοῦντας* legendo.

795 A Semper adolescentibus aderit in contionibus senex *τὸν ἁμαρτάνοντα παραμυθούμενος ἄνευ ψόγου καὶ διδάσκων, ἐπαινῶν δ' ἀΦόβως τὸν κατορθοῦντα.*

Quorsum absurda ista in textu retinentur? Corrige *ἐπανορθούμενος* cum W. et *ἀΦθόνως* cum R.

795 B *τούτου δὲ πολιτικώτερον, μὴ μόνον ἐμΦανῶς μηδὲ δημοσίᾳ ὀνειδίζων.*

Unice verum videtur *πολιτικώτερος ὁ* quod W. proposuit.

795 D *Τιμόθεον Εὐριπίδης συριττόμενον ... θαρρεῖν ἐκέλευσεν ὡς ὀλίγου χρόνου τῶν θεάτρων ὑπ' αὐτῷ γενησομένων.*

Nonne *ἐπ' αὐτῷ* requiritur?

ib. Ephesiae Dianae sacerdotem *Μελλιέρην τὸ πρῶτον, εἶθ' Ἱέρην τὸ δὲ τρίτον Παριέρην καλοῦσι.*

Pro ultimo nomine B. *Πανιέρην* coniicit, sed cogitandum hic de verbo *παρακμάζειν* videtur.

795 F Cur Spartae senes fortunatissimos dixit Lysander? *ἆρ' ὅτι γεωργεῖν ἔξεστι μάλιστα τοῖς πρεσβυτέροις ἐκεῖ καὶ δανείζειν κτέ.*

Cur pro *γεωργεῖν* Faehsius reposuerit *γε ἀργεῖν* me fugit. Aptissima mihi videtur ea vox, aliquem enim Laertem sibi ante oculos ponit Plutarchus, et istud *γε* moleste abundat.

796 A Immo vero *τῶν νέων ἕκαστ' ἀεὶ περί τε τὰ γυμνάσια* observant et peccantem reprehendunt.

Pro *ἕκαστα* requiritur *ἕκαστον.*

796 B Oportet senem *μὴ καθάπερ τὰ βάσκανα γεράνδρυα τῶν παραβλαστανόντων ... σαΦῶς ἀΦαιρεῖσθαι καὶ κολούειν τὴν βλάστην.*

Quid sibi istud *σαΦῶς* velit non video. Interpres Didotianus omittit.

796 C Plerique putant esse πολιτεύεσθαι μόνον τὸ ἄρχειν καὶ πρεσβεύειν aliaque ex hoc genere ὥσπερ ἀμέλει καὶ φιλοσοφεῖν τοὺς ἀπὸ τοῦ δίφρου διαλεγομένους κτέ.

Nonne et hic (post φιλοσοφεῖν) μόνον vel μόνους est inserendum?

796 E Verus „politicus" semper πολιτεύεται ... τῷ παρορμᾶν τοὺς (πράττειν) δυναμένους.

Sic recte R. supplet.

796 F Sed simulati politici est ut ipse clarescat ire εἰς τὸ θέατρον καὶ τὸ βουλευτήριον.

Omnino hinc θέατρον est alienum, sed maxime id apparet ex iis quae *opponuntur*: ἄλλως δὲ διαγωγῆς χάριν ὡς ἐ π ὶ θ έ α ν ἢ ἀκρόασιν.

797 C Quae ista ratio est in textu retinere βουλόμενον quo tota sententia pessumdatur, cum apud Thucydidem, *cuius verba hic citantur*, legatur βουλομένην quod solum huc quadrat? Haud minus absurdum mihi videtur de Menecrate, quem identidem ephori consulebant, haec Plutarchum scribentem facere: ἐδόκει γὰρ ἔμφρων ἀνὴρ εἶναι καὶ συνετὸς ἱστορεῖσθαι· διὸ καὶ παντάπασιν (iam fractus annis tamen eodem ire conatus est quo ad eum venire solebant ephori), et tantummodo (quasi incertam!) in calce commemorare palmarem Madvigii emendationem ἐδόκει γὰρ ἔμφρων ἀνὴρ εἶναι καὶ συνετός· ἱστορεῖται δὲ καὶ ὅτι παντάπασιν κτέ. An ulla spes est exoriturum qui e verbis συνετὸς ἱστορεῖσθαι sanum eruat sensum?

Praecepta ger. reip. 798 E ὑπ' οὐδενὸς ἐκπλήττεται τούτων οὐδ' ἀ ν α σ τ ρ έ φ ε τ α ι τὴν γνώμην.

Dubitaturne etiam quin cum Iunio ἀνατρέπεται sit legendum?

ib. Scurrae quidam dicuntur τὸ βῆμα appellasse τὸ χρυσοῦν θέρος. Quoniam additur illos nomine aliquo usos esse μετὰ παιδιᾶς et in θέρος ioci nihil est, quantocius cum Salmasio legendum δέρος, ne depravatae lectionis vita denuo in aliquot prorogetur saecula.

798 F C. Gracchus se in rempublicam iniecit, sed otii cupidus οὐχ εὗρε καταθέσθαι τὴν δύναμιν αὐτοῦ διὰ μέγεθος.
In tota hac sententia haereo sed praesertim in adverbio loci αὐτοῦ.

799 B οἶνος ἐν ἀρχῇ μὲν ὑπὸ τῶν ἠθῶν κρατεῖται τοῦ πίνοντος.
Immo τοῦ ἤθους cum R.

799 C Cum eodem legendum: populus Atheniensis ὥσπερ τῶν ἀνδρῶν τοῖς ἀδόξοις καὶ ταπεινοῖς βοηθεῖν προθυμότατος ita et τῶν λόγων τοὺς παιγνιώδεις ... προτιμᾷ pro προθυμότερος.

799 F Commemorato facto quodam Atheniensium quod Thebani non imitaturi fuissent sic pergit: „πολλοῦ δ' ἂν ἔτι καὶ Σπαρτιάτας δεῆσαι τὴν Στρατοκλέους ὕβριν ὑπομεῖναι opinor".
Ex ἔτι apparet πλείονος esse legendum.

800 A Adulatores se in regum insinuant amicitiam, ut aucupes μιμούμενοι τῇ φωνῇ.
Immo τὴν φωνήν.

800 B Longior sententia evadet elegantissima si post τρόπον virgulam pro semicolo posueris et post εἰ deleveris δέ.

800 C Περικλῆς ἐξήλλαξεν αὐτὸν ἠρέμα βαδίζειν.
Post αὐτόν inserendum videtur ὥστε.

ib. θηρίον ὕποπτον καὶ ποικίλον.
In ultimo vocabulo haereo. Sequentia tum demum bene procedent, si cum Corae ὅπου legeris pro ᾧ.

800 D Alcibiades luxuria et prodigalitate sua τῶν ἄλλων ἀγαθῶν αὐτοῦ τὴν πόλιν ἀνόνητον ἐποίησε.
Sic cum B. legendum pro αὐτοῦ.

800 F Redemptor in aedibus Livii Drusif fenestras aliquot se transpositurum promisit ἀπὸ πέντε μόνων ταλάντων.
Tanta pecunia ne totas quidem aedes constitisse opinor. Gratia magna Nabero qui viderit ἀπὸ πέντε μνῶν esse legendum.

801 A *αἱ κιττῶσαι λίθους καὶ οἱ ναυτιῶντες ἁλμυρίδας καὶ τὰ τοιαῦτα βρώματα διώκουσι πολλάκις.*
Incredibile istud, sed quid sit reponendum nescio.

801 B Cum Carbo daret iusiurandum, populus *ἀντώμοσεν ὁμοῦ μὴ πιστεύειν.*
Uno ore interpres; magnopere dubito.

801 C *Δημοσθένους ἀνδρὸς ἀκολάστου.*
Madvigius audiendus *Τιμοσθένους* legens.

ib. *ἐπανορθωτέον τὸ τοῦ Μενάνδρου*
τρόπος ἔσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος οὐ λόγος.
καὶ γὰρ ὁ τρόπος καὶ ὁ λόγος.
Totus contextus nihil hic mutandum clamat, idemque sentiunt qui paulo sunt in Plutarcho versatiores. Innumeris enim locis (velut 815 C, 818 B) versu aliquo citato quid poetae fuerit dicendum docet. Sic hic: „neque soli mores oratoris neque sola oratio sed iuncta ambo audientibus persuadent" [1]).

801 E *πραΰνουσα πειθοῖ καὶ καταδοῦσα.*
Recte in Didotiana legitur: *κατᾴδουσα.*

802 A *ταῦτα ... δοτέον ἀποδιδράσκειν.*
Interpres: „haec concedantur effugia". Nonne *εἰς ταῦτα* legendum?

802 B *οἱ „παρ' ἄκμονι τυπάδι βαρείᾳ" καὶ πληγαῖς ὑπακούουσαν ὕλην ἄψυχον δημιουργοῦντες.*
Dele *καί.*

802 C Adversarius Periclis rogatus *πότερον αὐτὸς ἢ Περικλῆς παλαίει βέλτιον „οὐκ ἂν εἰδείη τις" εἶπεν· „ὅταν γὰρ ἐγὼ καταβάλω παλαίων, ἐκεῖνος λέγων μὴ πεπτωκέναι [νικᾷ καὶ] πείθει τοὺς θεωμένους.*
Dele importunum emblema.

1) Optime rem perspexit doctissimus acutissimusque iuvenis *Mittelhaus.*

802 D *τὸν μὲν οὖν λύκον οὔ φασι τῶν ὤτων κρατεῖν.*

Nonne *εἶναι* addendum?

802 F Ne sit *ὁ λόγος τοῦ πολιτικοῦ ... ἐλλυχνίων ὄζων καὶ σοφιστικῆς περιεργίας ἐνθυμήμασι πικροῖς καὶ περιόδοις πρὸς κανόνα καὶ διαβήτην ἀπηκριβωμέναις.*

Immo *ἀπηκριβωμένης* ne nullum sit sententiae vinculum.

803 A Habeat ea oratio *τὸ κεχαρισμένον καὶ ἀγωγὸν ἔκ τε σεμνῶν ὀνομάτων καὶ νοημάτων ἰδίων καὶ πιθανῶν.*

L. *ἡδέων* cum R.

Sequitur: *δέχεται δ' ὁ πολιτικὸς λόγος δικανικοῦ μᾶλλον καὶ γνωμολογίας καὶ ἱστορίας καὶ μύθους.*

Quid nunc *ὁ. π. λ. δέχεσθαι* dicitur? Scies si primum *καί* deleveris.

803 C Etiam iocus ibi suum sibi locum habet *εἰ μὴ πρὸς ὕβριν ἢ βωμολοχίαν ἀλλὰ χρησίμως ἐπιπλήττοντος ἢ διασύροντος λέγοιτο. μάλιστα δ' εὐδοκιμεῖ τὰ τοιαῦτα περὶ τὰς ἀμείψεις καὶ τὰς ἀπαντήσεις· τὸ γὰρ ἐκ παρασκευῆς καὶ κατάρχοντα γελωτοποιοῦντός ἐστι καὶ δόξα κακοηθείας πρόσεστι.*

Primum hic ante *χρησίμως* inserendum *ὑπό* cum Reiskio. Deinde ne nunc quidem video quomodo haec intelligamus nisi post *κατάρχοντα* inseratur *σκώπτειν.*

803 D *καὶ πρὸς Δημάδην βοῶντα Δημοσθένης* (sequitur Demadis convicium et Demosthenis responsum).

Inutiliter e praecedentibus repetitum et perverso loco positum nomen *Δημοσθένης*. Paulo post ante eiusdem Demosthenis dictum inseratur *εἶπεν* cum B.

804 E Versum

ὁ ψόφος ἦν ὕσπληγος ἐν οὖχσι κἀστεφανοῦτο

egregie explevit Coraes ultimo vocabulo e sequentibus huc retracto.

804 F *καὶ Σκιπίωνα δὲ Κορνήλιον κτέ.* E longa sententia nullum sanum extundes sensum nisi *ἀλλά* (ante *θαυμάσας*) deleveris et in fine (post versum *οἶος πέπνυται*) *interrogationis* posueris signum.

805 B *τῶν ἐξ ἔθους Φαύλου παραδυομένων.*
Immo *παρεισδυομένων.*
His et aliis rebus licet *πρὸς αὑτὸν (τὸν δῆμον) ἐπιστρέφειν.*
Recte sic B. supplet.

805 C *ὅταν γὰρ ἐξαμαρτόντες οἱ πολλοὶ πρὸς ἄνδρα χρηστόν, εἶθ', ὃ γίγνεται ταχέως ἐπ' ὀργῇ, μετανοήσωσι.*
Sic interpungendum ut in parenthesi hoc habeamus: „quod in ira celeriter fit'', nam *ἐπ' ὀργῇ μετανοεῖν* nihil est.
Quid tum fit?
πρὸς τοῦτο [τὴν] ῥᾴστην ἀπολογίαν (καὶ) δικαιοτάτην νομίζουσι (τὸ) ἐπιτρῖψαι τὸν ἀναπείσαντα καὶ κατάρξάμενον.
Sic supplendo delendoque Plutarchi manum restituimus.

805 D *τὸ μέντοι Φαῦλον ἄνθρωπον . . . καθελεῖν καὶ ταπεινῶσαι λαμπρὰν ποιεῖται τὴν πάροδον ὥσπερ δράματος τῆς πολιτείας.*
Semper audivi *ὁδὸν ποιεῖσθαι* esse i. q. *ἰέναι*, sed *ὁδὸν ποιεῖν* esse „viam munire'' et nunc quoque ita se rem habere credo. Ergo hic *ποιεῖ* legendum est.
„At qui *sic* rempublicam capessere incipit magnum adit periculum''. Hoc dicit Pl. *ἀλλὰ μέγας ἀρχομένῳ* Πολιτείας *οὕτως ὁ κίνδυνός ἐστι* non *οὗτος.*

ib. Ut bene decurrant quae deinde de Solone dicuntur, primum solitum in editionibus vitium est tollendum et post *Παραλίων* virgula pro semicolo ponenda, deinde ex *οὐδενὶ γὰρ ἐμμίξας ἑαυτόν* tollendum *γάρ*, denique Solon dicendus est (*καταστῆσαι*) *τὴν πόλιν*, non *τὴν ἀρχήν*. Interpres vertit „rempublicam constituit'', paene recte. Accuratius foret: „reipublicae otium et quietem reddidit''.

805 F Bene historiae consuluit Kaltwasserus *Πομπήϊον* legendo pro *Λεύκυλλον* nam non Lucullum sed Pompeium Sulla *ηὔξησε* et *Ἐπαμεινώνδαν Παμμένης (ηὔξησε)* pro *Ἐπαμεινώνδας Παμμένη.* Atque recte Emperius *πράξεων* reposuit pro *πρακτέων* in iis quae de Agesilao dicuntur: „suae gloriae consulens *τὸν καθηγεμόνα τῶν πράξεων* (Lysandrum) deiecit.''

806 A Parum accuratus Plutarchus ipse fuisse videtur dicens *τὰ πρὸς τὸν ἥλιον ὑφιστάμενα σώματα* fulgorem, quem a sole acceperunt, auctum repercutere. Non enim omnia corpora id faciunt, sed tantummodo splendentia.

806 D Marius multis rebus per Sullam peractis eo uti desiit *ἀχθεσθεὶς μὲν αὐτοῦ τῇ αὐξήσει, πρόφασιν δὲ τὴν σφραγῖδα ποιησάμενος ἀπέρριψεν.*

Ultimum vocabulum rectissime *ἀπέρριψεν* Herwerdenus.

807 B „Nolim in solio sedere" Themistocles ait *ἐν ᾧ πλέον οὐχ ἕξουσιν οἱ φίλοι παρ' ἐμοῦ τῶν μὴ φίλων.*

Restituendum est quod est traditum: *παρ' ἐμοί.*

808 A *δεῖ γὰρ οὐκ ἄχρι τοῦ βωμοῦ φίλον εἶναι [τῷ μὴ συνεπιορκεῖν] ὥς ποτε Περικλῆς εἶπεν.*

Inclusa delenda esse iam videram ante Naberi annotationes editas. Manifestius emblema non facile reperies.

809 D *ἐκείνοις ... ἑκάστοτε* recte Naberus pro *ἐκείνοις ... ἑκάστῳ.*

ib. Rectissime fecerunt *οἱ μηδ' ὅλως ἔχθραν τινὰ πρὸς πολιτικὰς τιθέμενοι διαφοράς.*

Pro *τινα* Reiskius *τινι*, malim *τινος.*

810 A *ἐγὼ δὲ [καὶ] μαρτυρεῖν ἀξιῶ τὰ δίκαια καὶ τοῖς διαφόροις τὸν πολιτικὸν ἄνδρα.*

Prius *καί* deleatur.

ib. *Νέρων τὸν Θρασέαν μάλιστα μισῶν καὶ φοβούμενος ὅμως ἐγκαλοῦντός τινος ὡς κακῶς κεκριμένου καὶ ἀδίκως*

R. *κεκρικότος.* „Nihil opus" clamat B. Quid ergo sibi vult Neronis responsum *ἐβουλόμην ἂν Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστής ἄριστός ἐστιν* quod statim additur?

Bene idem correxit *ἑτέρων φύσει πονηρᾷ μᾶλλον ἁμαρτανόντων* pro *πονηρῶν.*

811 E Qui in republica omnibus negotiis ipsi funguntur μεμπτούς τε ταχὺ ποιοῦσιν ἑαυτοὺς τοῖς πολλοῖς, ἐπαχθεῖς τε γίγνονται καὶ κατορθοῦντες ἐπίφθονοι, κἂν σφαλῶσιν ἐπίχαρτοι.

Aut ἐπίφθονοι est delendum aut sic transponendum: κατορθοῦντες καὶ ἐπίφθονοι.

811 F δεῖ δέ, ὥς φασιν, ἐρῶντι τῷ δήμῳ τὸν πολιτικὸν προσφέρεσθαι.

Sensu cassa haec, sensum indidit Madvigius lenissima transpositione φασιν, ὡς ἐρῶντι

812 C Gubernatores alia ipsi suis faciunt manibus, τὰ δὲ ὀργάνοις ἑτέροις δι' ἑτέρων.

Haec male sic interpres vertit: „alia instrumentis ac manibus aliorum". Statim enim sequens ἄπωθεν καθήμενοι docet hanc esse sententiam: alia instrumentis, quae tamen non ipsi regunt sed alia aliis dant regenda.

813 A In republica homines multa bona consilia ἂν μὴ στάσιν ἔχῃ μηδ' ἀντιλογίαν tamen in suspicionem coniurationis vocant.

Vocabula Graeca vix intelligo. Interpres: „quae citra dissidium aut altercationem aguntur."

813 E Praeclaram Kaltwasseri transpositionem ἀπὸ τοῦ βήματος πρὸς τὸ στρατήγιον iam laudavi.

Cur, ubi tales emendationes praesto sunt, tamen confusa retinentur?

813 F Nusquam invenies melius exemplum unde discas qui sit metaphorarum apud antiquos usus (de qua re saepius iam dixi) quam hic, ubi liberrime permiscentur vocabula ad rempublicam pertinentia et vocabula sumpta a re scenica, quae illustrandi causa affertur.

814 C Docta sane annotatione Mittelhausius ex αὐτόν τε καί eximendam particulam τε docet.

814 E Lepide notos versus e Phoenissis Euripideis sic convertit Pl. ad reipublicae magistratus:
εἴπερ ἀγρυπνεῖν χρὴ καὶ φοιτᾶν ἐπ' αὔλιον ἑτέρου καὶ ὑποβάλλειν ἑαυτὸν ἡγεμονικῇ συνηθείᾳ, patriae causa *κάλλιστόν ἐστι* talia facere.

Immo *ἐπ' αὔλειον (θύραν)*. Ceterum agnoscisne hic scriptorem semper mente animoque Romae viventem? Vocabula *ἀγρυπνεῖν κτέ.* in mentem nobis vocant molestam illam salutationem matutinam.

815 C Bonus magistratus operam dabit ut sua respublica quam minimum *τῶν ἐκτὸς ἰατρῶν καὶ φαρμάκων* egeat.

Immo *ἰατρειῶν* cum Schaefero.

815 D Reipublicae laboranti auxilio venire oportet magistratum *ὥσπερ ἄγκυραν ἱερὰν ἀράμενον ἐξ αὐτοῦ τὴν παρρησίαν ἐπὶ τοῖς μεγίστοις.*

Sic recte B. pro *αὐτοῦ*.

815 F Postquam narravit quo modo Sthenno a Pompeio Mamertinis impetraverit veniam, ad aliam narrationem sic transit:
ὁ δὲ Σύλλα ξένος ὁμοίᾳ μὲν ἀρετῇ πρὸς οὐχ ὅμοιον δὲ χρησάμενος εὐγενῶς ἐτελεύτησε.

Sic recte in Didotiana: similis erat deprecatoris virtus sed alter iudex (Pompeius) clemens erat aequusque, alter (Sulla) iniquus et crudelis. Post *χρησάμενος* nescio an exciderit *δικαστήν* aliudve vocabulum in eandem sententiam.

816 A *ἱερὸν δὲ χρῆμα καὶ μέγα πᾶσαν ἀρχὴν οὖσαν καὶ ἄρχοντα δεῖ μάλιστα τιμᾶν.*

Secundum *καί* eximatur.

816 D *ἀναστὰς ὁ πατήρ* recte B. *παραστάς*. Non enim ea res peracta est in aliqua contione sed in colloquio, eoque lepidissimo, patris filiique.

816 E Suae gloriae partem dare alii non solum *ἐπιεικὲς καὶ*

φιλάνθρωπόν ἐστιν ἀλλὰ καὶ τὸ λυποῦν [τὸν φθόνον] ἀφαιρεῖ τῆς δόξης.

Quis admonitus non sentit inclusa esse delenda?

816 F χρόνον ἕκαστος ἄρχει βραχύν, ἄρχεται δὲ τὸν ἅπαντα χρόνον ἐν δημοκρατίᾳ πολιτευόμενος.

Pro altero χρόνον recte Barberinus βίον.

817 A Primum post σκῆπτρον virgula pro semicolo ponatur, nam sic decurrit sententia: cum in ficta fabula primarum actor, nobilissimus saepe artifex, se submittit tertiarum actori, si sceptrum ille gerit, absurdum foret in vera vita civem nobilem ὀλιγωρεῖν καὶ καταφρονεῖν ἄρχοντος ἰδίωτου καὶ πένητος, ἐνυβρίζοντα καὶ **συγκαθαιροῦντα** τῷ περὶ αὐτὸν ἀξιώματι τὸ τῆς πόλεως, ἀλλὰ μὴ μᾶλλον αὔξοντα καὶ προστιθέντα τὴν ἀπ' αὐτοῦ δόξαν καὶ δύναμιν τῇ ἀρχῇ.

Sic recte R. pro καθαιροῦντα. Et probanda Bernardakii coniectura ἀφ' αὑτοῦ pro ἀπ' αὐτοῦ. Quod vero idem περὶ αὑτόν coniecit, multo praestat Reiskii coniectura quam modo laudabam: civis nobilis magistratum contemnens simul et illius et reipublicae dignitatem detrahit. Quod autem ne sic quidem bene decurrit sententia Plutarchi culpa est.

817 C Ira in magistratum differenda est εἰς τὸν (οἰκεῖον) χρόνον quemadmodum recte supplet R. Et huius praecepti haec ratio redditur: ..... κερδανοῦμεν ἐν τῷ περιμένειν τὸ παύσασθαι τῆς ὀργῆς. Deleatur ἐν, nam sententia haec est: exspectando ira liberabimur ipsi, quod haud spernendum est lucrum.

817 D Bonis magistratibus opem ferre oportet et aliis rebus et διδόντα χρῆσθαι τοῖς βεβουλευμένοις (i. e. iis dantem exsequenda quae ipse inveneris consilia recta) καὶ τὸ κοινὸν εὐδοκιμεῖν **ὠφελοῦντας.**

Hoc requiri, non ὠφελοῦντα primus mortalium perspexit Mittelhausius: civis prudens faciet ut magistratus bene de republica merendo laudentur ab omnibus.

818 A Iasonis Thessali hoc fertur dictum: in parvis rebus

iniuria opus est ut iustus esse possis in magnis: *τοῦτον μὲν οὖν ἄν τις εὐθὺς [καὶ] καταμάθοι τὸν λόγον ὥς ἐστι δυναστευτικός.*

Facessat hinc molestum istud *καί.*

Tum in parenthesi erat ponendus locus *ὁ γὰρ αὖ ... ἀλκῇ,* nam post illam *ἐνδιδόντα καὶ συμπαίζοντα* coniungitur cum praecedenti *προίεσθαι χαριζόμενον.*

819 A *διακοπτέον ... δίκας ἀπρεπεῖς ἀξιοῦντα συμπαρεῖναι καὶ συναποδημεῖν.*

Pro *δίκας* R. *ἀποδημίας.* Equidem excidisse quaedam suspicor. Fortasse sic supplere sententiam sufficit: *καὶ ἀποδημίας συναποδημεῖν.*

819 C Semper eos adsume adiutores qui callent ea quae ipse ignoras: *οὕτω γὰρ ἂν ἦν ὁ Γηρυόνης ζηλωτὸς ἔχων σκέλη πολλὰ καὶ χεῖρας καὶ ὀφθαλμούς, εἰ πάντα μιᾷ ψυχῇ διῴκει.*

Ergone Geryones plures habebat mentes? Ubi hoc traditum est? Sed insere *μή* ante *πάντα,* egregiam hanc habebis sententiam: „quid proderant Geryoni multi illi pedes, crura, oculi, unam mentem habenti"?

819 D Geryoni nunc sic *opponuntur* „politici": *τοῖς δὲ πολιτικοῖς ἔξεστι* mentis bona *εἰς μίαν χρείαν συντιθέντας εὐδοκιμεῖν μᾶλλον ἀπ' ἄλλου περὶ τὴν αὐτὴν πρᾶξιν.*

Recte in Didotiana istud *ἀπ'* deest, nam requiritur id ipsum quod dat interpres: „maiore quam unus aliquis cum gloria rem gerere."

820 A *οὕτω παραμυθώμεθα τὴν φιλοτιμίαν, λέγοντες ἐν ἑαυτοῖς ἔχειν χρυσὸν ἀδιάφθορον καὶ ἀκήρατον καὶ ἄχραντον ὑπὸ φθόνου καὶ μώμου τιμήν, ἅμα λογισμῷ καὶ περιθεωρήσει τῶν πεπραγμένων ἡμῖν καὶ πεπολιτευμένων αὐξανόμενον.*

Quia alienum hinc esset *ἅμα,* olim proposui *τίμημα* pro *τιμήν, ἅμα.* Absurdene? Non video. Nihil tam aptum videtur quam „censum (et divitias) usque rerum a nobis gestarum memoria crescentes." Mittelhausius, alia lectione commendata, haec addit: „*nisi forte* mavis cum Hartmano pro *τιμήν, ἅμα* legere *τίμημα.*" Deridetne me et ludribio habet doctissimus iuvenis?

Deest quidem illud in talibus solitum exclamationis signum, metuo tamen omnia a severo illo censore.

820 B Spernantur statuae aliaque ex eo genere: *ἐπαινεῖται γὰρ οὐχ ᾧ γέγονεν ἀλλ' ὑφ' οὗ γέγονεν, [ὡς ὁ σαλπιγκτὴς καὶ ὁ δορυφόρος].*

Iure inclusa delet Madvigius.

καὶ γὰρ φθόνον ἔχει τὰ τοιαῦτα καὶ νομίζουσιν οἱ πολλοὶ τοῖς μὴ λαβοῦσιν αὐτοὶ χάριν ὀφείλειν τοὺς δὲ λαβόντας αὐτοῖς καὶ βαρεῖς εἶναι, οἷον ἐπὶ μισθῷ τὰς χρείας ἀπαιτοῦντας.

Mdvg. *ἐπὶ ταῖς χρείαις μισθὸν ἀπαιτοῦντας*, fortasse recte; sed quod idem ante *βαρεῖς* inseruit *οὐ* corrupisse locum videtur: qui statuas non acceperunt iis gratiam debent cives, qui vero acceperunt ii *etiam* molesti sunt civibus.

820 D *ὥσπερ οὐκ ἀργυρίτην οὐδὲ δωρίτην ἀγῶνα πολιτείας ἀγωνιζομένοις.*

Repone elegantem structuram *τὴν πολιτείαν* legendo.

ib. *τοῖς δὲ τοὺς Μάγους ἀνελοῦσιν ἑπτὰ Πέρσαις ἔδωκαν αὐτοῖς καὶ τοῖς ἀπ' αὐτῶν γενομένοις εἰς τοὔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς τὴν τιάραν φέρειν.*

Sic in Didotiana et Wyttenbachiana legitur, recte ut opinor. Quid sibi B. velit pro *τῆς κεφαλῆς* legens *τὰ σκέλη συνάπτοντας τῇ κεφαλῇ* non assequor.

821 D *τὰς μὲν γὰρ Διονυσίου παῖδας καὶ τὴν γυναῖκα καταπορνεύσαντες ...*

Sic Coraes traditum *τούς* correxit.

822 D Paupertatem fateri oportet pauperes ne magnas facientes impensas risum moveant: *οὐ γὰρ λανθάνουσιν ἐξαργυροῦντες ἢ φίλοις ἐνοχλοῦντες ἢ θωπεύοντες δανειστάς.*

Sic olim conieci pro absurdo *ἐξασθενοῦντες*, neque nunc me coniecturae paenitet: ineptis enim illis pauperibus aut suppliciter feneratores sunt adeundi, aut molestias exhibere amicis debent pecuniam mutuam petendo, aut denique vendere supellectilem coguntur.

822 F δεῖ ... μήτ' εἰς πεδία καταβαίνειν πεζὸν ἱππεῦσι μαχούμενον μήτ' ἐπὶ στάδια καὶ θυμέλας καὶ τραπέζας πένητα πλουσίοις ὑπὲρ δόξης καὶ δυναστείας διαγωνιζόμενον· ἀλλ' ἀπ' ἀρετῆς καὶ Φρονήματος ἀεὶ μετὰ λόγου πειρωμένοις ἄγειν τὴν πόλιν.

Acute Madv. ἀλλ' ἀπ' ἀρετῆς καὶ Φρονήματος ἀμεταβόλου πειθοῦς ἡνίοις ἀ. τ. π. Bernardakii lectionem, in qua participium πειρωμένοις servatur, probare neutiquam possum. Et videndum an non sit legendum διαγωνιούμενον. Quis hic τραπέζαις locus sit non video.

823 A Vir bonus et sapiens neque aliis modis civibus est molestus neque est τοῖς εἰς τρυΦὴν καὶ πολυτέλειαν ἐπιΦθόνοις παράσημος.

Et antea proposui ἐπίΦθονος παρασήμοις et nunc propono: non movet invidiam opulentiae insignibus et ornamentis.

823 E Homines pecuniosi impensas faciunt in republica, periti fortesque καὶ ἄρχουσι καὶ πολιτεύονται καὶ στρατηγοῦσι.

Recte primum καί delet R.

ib. Non oportet ἐκπεπλῆχθαι τὴν ἐκ θεάτρων καὶ ὀπτανείων καὶ πολυανδρίων προσισταμένην τοῖς ὄχλοις δόξαν.

Recte haec tueri videtur B. Wyttenbachium sollicitantem fugit vis verbi προσίστασθαι de re adhibiti quae taedium et satietatem parit.

824 B Neque oportet in motu aliquo civili otiosum desidere ἐν ἑτέροις ἐπιτερπόμενον ἀγνωμονοῦσιν.

Melius ἐν absit.

824 C καὶ τοῦτο κτἑ. Bene hunc locum sanasse videntur Madvigius πέρας legendo pro ὥσπερ et B. ὄντων inserendo post ἀγαθῶν.

ib. εὐΦορίαν δὲ γῆς ἄΦθονον, εὐμενῆ τε κρᾶσιν ὡρῶν καὶ τίκτειν γυναῖκας „ἐοικότα τέκνα γονεῦσι” καὶ σωτηρίαν τοῖς γεννώμενοις εὐχόμενος ὅ γε σώΦρων αἰτήσεται παρὰ θεῶν τοῖς ἑαυτοῦ πολίταις.

Deleatur istud εὐχόμενος.

824 D λείπεται δ' ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἔργων, ὃ κτέ.
Immo ἔργον cum Corae.

824 E Praesentem Graeciae impotentiam fatetur scriptor rogando: ποία (sc. superest) δύναμις ἣν μικρὸν ἀνθυπάτου διάταγμα οὐ διέλυσεν ἢ μετέστησεν ἐς ἄλλον;
Recte οὐ inserit W.

825 D Parum abfuit quin Sardes Pardalae et Tyrrheni perderet inimicitia ἐξ αἰτιῶν μικρῶν καὶ ἰδίων εἰς ἀπόστασιν καὶ πόλεμον ἐμβαλοῦσα.
Probabiliter R. στάσιν. An horum alteruter a Romano imperio desciscere atque adeo bellum indicere Romanis volebat? Haud crediderim.

De vitando aere alieno 827 F Luxus et luxuria aeris alieni causae sunt: τοῖς γὰρ ἀπόροις οὐ δανείζουσιν, ἀλλ' ὁ βουλόμενος εὐπορίαν τιν' ἑαυτῷ κτᾶσθαι καὶ μάρτυρα δίδωσι καὶ βεβαιωτήν, ἀξιῶν ὅτι ἔχει πιστεύεσθαι, δέον ἔχοντα μὴ δανείζεσθαι.
Sic lepidam sententiam restituit Madvigius, optime nisi quod malim ante μάρτυρα deleri καί.

828 B οὐκοῦν καὶ ἡμεῖς ὥσπερ ἐν πολιορκίᾳ ταῖς χρείαις μὴ παραδεχώμεθα φρουρὰν δανειστοῦ πολεμίου μηδ' ὁρᾶν τὰ αὑτῶν ἐπὶ δουλείᾳ διδόμενα.
Annotat B.: „ὁρᾶν sanum est, pendet a παραδεχώμεθα". Quid ergo posthac iam corruptum videbitur? Optime Mez. περιορῶμεν. Madvigii coniectura δεδεμένα pro διδόμενα fortasse opus non est.

828 C τὰς μηχανὰς [καὶ τὰ ὄργανα]!

828 D τὸ δὲ τῆς εὐτελείας καὶ ἄσυλον καὶ ἄβατον πανταχοῦ τοῖς σώφροσιν ἀναπέπταται.
Deleatur prius καί.

828 F Pro ἀφανισταῖς legatur quod flagitat contextus δανεισταῖς.

829 C *καὶ τὸ τελωνεῖν ὄνειδος ἡγοῦνται τοῦ νόμου διδόντος· αὐτοὶ γὰρ παρανόμως δανείζουσιν.*

Pro *γάρ* legendum esse cum M. *δέ* res ipsa clamat.

829 D Creditores debitorum *οὔτε τραπέζας παρατίθενται οὔτ' ἐσθῆτας (Φοροῦσιν) ἐκείνων.*

Recte sic supplet R.

829 E Potestne *διαβέβηκε τὸ ἀργύριον* significare: „pecunia crevit" ut vult interpres? Dubito.

830 B Potest Chaeronensium quivis victum quaerere et aliis rebus et *πλέων παραπλέων.*

Lepide Naberus *ἐγχέων παραχέων.* Certe absurdum est hominibus mediterraneis consilium *navigandi* dare.

830 C *τί οὖν γε σεαυτοῦ κατέγνωκας;*

Pro importuno *γε* recte R. *λέγε* reposuit.

830 D Cleanthis responsum bene restituisse B. videtur.

830 E *χορηγοῦντες ἐκλελυμένως.*

Recte W. *χ. ἐκκεχυμένως.*

831 E Cum naufrago comparatur debitor: *συγκλυζόμενος ἀντέχεται τῶν βαρυνόντων, ἀπονήξασθαι καὶ Φυγεῖν μὴ δυνάμενος.*

Immo *δυνάμενος* sine negatione: „si ista quibus gravatur mittere vellet, poterat salvus esse."

ἀλλ' ὠθεῖται κατὰ βυθοῦ μετὰ τῶν ἐγγυησαμένων Φίλων ἀΦανιζόμενος.

Immo *ἐγγυησάντων*: „una cum amicis qui suam pro eo obligaverunt fidem" ut dat interpres.

832 A *πρόσγραΦον ἔδωκε.*

R. *χειρόγραΦον,* quod contextus flagitat.

De Herodoti malignitate 854 F Initium libri lacunosum, minus tamen quam editori videtur, certe post secundum vocabulum

quid desit non video. Et sat bene decurrunt omnia, dummodo pro *κατ' αὐτὸ τοῦτο τῆς γραφῆς τὸ μέρος* legamus *καὶ αὐτὸ τοῦτο τῆς γραφῆς τὸ τέλος*. Hoc est huiusce libri propositum. Quid? Defendere Thebanos, Corinthios, alios ab Herodoti calumniis.

855 A Deleatur *ἐν* ut *λόγῳ* sit ablativus instrumenti: *λόγῳ τὸ ἦθος ἀποκρύπτειν.*

ib. Philippi dictum ad Graecos ab ipso deficientes ad Flamininum transeuntes parum intelligo: *ὅτι λειότερον μὲν μακρότερον δὲ κλοιὸν μεταλαμβάνουσιν.* Ergone ab omni parte melior eorum erit conditio?

855 B Qui semper durioribus utitur vocabulis cum adsint leviora *οὐκ εὐμενής ἐστιν, ἀλλ' οἷον ἀπολαύων τῷ σαφῶς διηγεῖσθαι τοῦ πράγματος.*

Arena sine calce. Haud male W. *σαφῶς τῷ διηγεῖσθαι τοῦ π.* transponit: eiusmodi scriptorem delectari re quam narrat apparet ex ipsa narratione. Tum pergendum est: *εἴ τῳ* (non *ὅτῳ*) cum R. ut bene decurrat sententia.

855 C *Ὑπερβόλου τε τοῦ δημαγωγοῦ θιγὼν ἑνὶ ῥήματι καὶ μοχθηρὸν ἄνθρωπον προσειπὼν ἀφῆκε.*

Melius absit *καί* et post *θιγών* ponatur virgula.

855 D *ἔτι δὲ πρὸς τοὺς ἐπαίνους.*

Pendebunt haec in caelo vacuo nisi cum R. addiderimus *εἰσι χρήσιμοι* vel eiusmodi aliquid.

856 A Volebat Pericles *μηδένος ὑφεῖσθαι Λακεδαιμονίων.*

Immo *Λακεδαιμονίοις* cum Madvigio.

856 B *Δέχεται δὲ καὶ παρὰ τὸν τρόπον τοῦ ἔργου διήγησις ἱστορικὴ κακοήθειαν*, si quod fortiter factum est lucri causa factum dicetur.

Legatur *ἐργασαμένου* pro *ἔργου.*

856 C Qui oblique calumniantur *ἀρνούμενοι κακοήθειαν ἀνελευθερίαν [τῇ κακοηθείᾳ] προσοφλισκάνουσι.*

Lepide dictum erit, si delebuntur inclusa.

856 D Si maledicus multis laudibus paululum admiscet reprehensionis, *τὸ κακόηθες εἰς πίστιν ὧν ψέγει προαποτίθεται τὸν ἔπαινον.*

Abreschius *προυποτίθεται*, sed melius Naberus *προσπαρατίθεται.* Etenim *τὸ κακόηθες* est subiectum diciturque laudem sibi *assumere sociam.*

856 F Deleatur *τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον*, importunum interpretamentum praecedentis *τὸ κάλλιστον ἔργον καὶ μέγιστον τῆς Ἑλλάδος*, loco alieno (post *ἀβελτερίᾳ*) positum et praeclaram periodum pessumdans.

857 B Novam Herodoti calumniam sit profert scriptor: *ὁ δὲ συγγραφεὺς ἐπιμένων . . . φησί.*

Participium sic vertit interpres: „ut sui similis maneat", haud inepte. Nescio tamen an *ἐπιμετρῶν* sit legendum: cumulum addens.

857 C *Φησι . . . τίνας δ' οὐ βούλεσθαι αὐτὸς ὀνομάζειν, ἀλλ' εὐστόμως ἐᾶν κεῖσθαι περὶ τῶν θείων.*

Sic supplendum censeo. Sequentia optime B. sanavit.

858 B Cum Pittaco Mytilenaei ingens donum dare volebant, *ἀκοντίσας τὸ δόρυ τοῦτο μόνον τὸ χωρίον ᾔτησεν ὅσον ἐπέσχεν ἡ αἰχμή.*

Recte sic Naberus pro *ἠξίωσεν.* Praeterea cum R. *τοσοῦτο μόνον χωρίον* legendum.

858 B pro *ἄνδρας γενομένους* solitam formulam *ἄνδρας ἀγαθοὺς γεν.* iure Herwerdenus restituit.

858 D *καὶ παιδαγωγεῖσθαι καὶ νουθετεῖσθαι.*

Bene intellexit non esse huius loci tantam emphasin B., priusque *καί* delet. Frequentissimum est istud in Plutarchi textu vitium.

858 E *ἀδελφὸν γὰρ αὐτῷ Πανταλέοντα περὶ τῆς βασιλείας [αὐτῷ] διαφέρεσθαι.*

Quis admonitus inclusum vocabulum molestissime abundare non videt?

Haud minore iure R. in sequentibus [*τῶν ἑταίρων καὶ φίλων*] *τοῦ Πανταλέοντος ἕνα τῶν γνωρίμων* inclusa delet.

858 F Deiocen H. dicit tyrannidis amore ductum *ἐπιθέσθαι προσποιήματι δικαιοσύνης.*

Optime Abreschius: *ἐπ. προσποίημά τι δικ.*: personam sibi eam imposuisse.

859 A „Mytilenaei supplicem prodiderunt" narrat H. „*ἐπὶ μισθῷ ὅσῳ δή, οὐ γὰρ ἔχω γε εἰπεῖν ἀτρεκέως*" · (*εὖ τὸ μὴ διαβεβαιοῦσθαι πόσος ἦν ὁ μισθός, τηλικοῦτο δ' Ἑλληνίδι πόλει προσβαλεῖν ὄνειδος, ὡς δὴ σαφῶς εἰδότα*).

Egregie Naberus lenissima mutatione (*φεῦ* pro *εὖ*) et mentem Plutarchi restituit et mancam sententiam supplevit.

859 B *Χάρων ὁ Λαμψακηνὸς ἀνὴρ* (*Ἡροδότου*) *πρεσβύτερος.*

Rectissime sic supplet R.

859 C *πόλιν ἐν τοῖς τότε χρόνοις* (*οὐδεμίαν*) *οὔτε φιλότιμον οὕτως οὔτε μισοτύραννον ἴσμεν ὡς τὴν Λακεδαιμονίων γενομένην.*

Sic cum B. supplendum.

859 F *παῖδας τριακοσίους τῶν πρώτων.*

Recte *ἀνδρῶν* addit B.

860 E *τοὺς δὲ Γεφυραίους οὐκ ἀπ' Εὐβοίας* [*οὐδ'*] *Ἐρετριεῖς ... ἀλλὰ Φοίνικας εἶναί φησιν.*

Moleste vox inclusa abundat.

860 F *κάλλιστον ἔργον οἷός τ' ἐστιν ἀφανίζειν καὶ καταισχύνειν.*

Melius, ut opinor, *οἷός ἐστιν.*

In sequentibus summo iure *τοὺς τυράννους* delet Cobetus, inutile additamentum idque alieno loco positum.

861 A Περιάνδρου σχετλιώτερον οὐδὲν οὐδ' ὠμότερον ἔργον ἱστορεῖται τῆς ἐκπομπῆς τῶν τριακοσίων ἐκείνων.

Legendum pro ἐκπομπῆς, voce languidissima, ἐκτομῆς suspicor, nam quantum in Periandro erat miseri illi pueri castrati sunt, et, Herodoto auctore, succensebat Samiis διακωλύσασι παθεῖν ταῦτα. Quae verba sic demum recte ponuntur: nam revera ἐκπεπεμμένοι εἰσιν pueri, et παθεῖν ταῦτα ad solum τὸ ἐκτμηθῆναι recte refertur.

861 B ἤδη γὰρ ἐπύθοντο τὰ περὶ τὴν Ἰωνίαν συγκεχυμένα.

Sic optime locum lacerum sanavit Cobetus.

861 D Ad Eretrienses contra Herodoti calumniam defendendos affertur locus Charonis Lampsaceni .... in quo nihil de Eretriensibus legitur!

862 A καὶ ταῦτα τὰ τῆς Ἑλλάδος ἐπαγγελλόμενος γράφειν (immo γράψειν), ἐσπουδακὼς δὲ περὶ τὰς Ἀθήνας διαφερόντως, οὐδὲ τὴν πρὸς Ἄγρας πομπὴν ἱστόρηκας, ἣν πέμπουσιν ἔτι νῦν τῇ Ἑκάτῃ χαριστήρια τῆς νίκης ἑορτάζοντες.

Nihil hic deesse videtur; de Graecis in universum se scripturum H. promisit et Atheniensium rebus investigandis praecipue dedit operam. Utrum Ἑκάτῃ sit legendum an ἕκτῃ cum Valckenario videant me doctiores.

862 E „ἀνεδείχθη μὲν γὰρ ἀσπὶς καὶ τοῦτο οὐκ ἔστιν ἄλλως εἰπεῖν" φησιν (ὡς) αὐτὸς ἰδών.

Sic supplendum.

863 A διαβολάς, ἃς πάλιν ἀναιρεῖς, ἀπιστῶν δὲ σαυτῷ δηλονότι.

Pro δέ R. γε, ego delere malim.

863 B οὐκ ἂν .... ἕως.

Hanc structuram non ferens R. εἰ μή legit pro ἕως. Haud opus videtur.

ib. Recipiendum Reiskii supplementum ἀξιώσαντας (δὲ κατὰ τὸ ἥμισυ ἡγεῖσθαι) ὡς ἂν μή κτέ.

863 C *ὑπειπὼν ... καὶ ἀναδυόμενος.*
Egregie R. *ὑπείκων.*

863 F Si Argivi Persas invocarunt, quidni palam ab eorum partibus steterunt, cum venissent, et aut Laconicam vastarunt aut *Θυρέας ἥπτοντο πάλιν ἢ τρόπον ἄλλον ἀντελαμβάνοντο καὶ παρηνώχλουν Λακεδαιμονίοις;*
Confusa haec; perturbavit locum duplex lectio, sic restituendum: *Θυρέας* *ἥπτοντο* *ἀντελαμβάνοντο πάλιν ἢ τρόπον ἄλλον παρηνώχλουν Λακεδαιμονίοις;*

865 A *τὸ δὲ μέγιστον καὶ κάλλιστον (Θηβαίων) ἔργον ἀνελεῖν μὴ δυνηθεὶς κτέ.*
Prorsus necessarium hoc Reiskii supplementum.

865 B *Λεωνίδην καὶ τοὺς μετὰ τούτου.*
Melius Herwerdenus: *τοὺς μετ' αὐτοῦ.*

ib. Neque quid neque quo modo mentiretur curavit H., *οὐδ' ὅπως αὐτὸς ἑαυτῷ τἀναντία λέγων παρ' ὀλίγους ἀνθρώπους οὐ φανεῖται συνειδώς.*
Audaci sed necessaria coniectura R. et Amyotus pro *ἀνθρώπους* reposuerunt *στίχους*. Sequitur enim *προειπὼν ... πάλιν μετ' ὀλίγον λέγει*. Persanatus locus erit, si *συνειδώς* erit abiectum.

865 E *μοῦνον Σπαρτιητέων.*
Ex ipso Herodoto restituendum *μούνων.*

866 B Nobile illud Leonidae responsum *πολλοὺς μὲν (οὖν) τεθνηξομένους* (sic enim cum Cobeto legendum) relaturus haec praefatur: *ἀγῶνα μὲν γὰρ ἐπιτάφιον αὐτῷ ἠγωνίσαντο πρὸ τῆς ἐξόδου καὶ τοῦτον ἐθεῶντο πατέρες αὐτῶν καὶ μητέρες.*
Haec Didotianae lectio, B. pro *αὐτῷ* dat *αὐτῶν*, tamquam si satis esset hiatus tollere de sententia securum. Nam cur, obsecro, meliorem quam *αὐτῷ* sensum *αὐτῶν* praebet? Exime totum vocabulum iam antequam opus esset a librario positum, id quod sescenties in Plutarchi textu usu venit.

866 D *οἱ Θηβαῖοι παρὰ γνώμην ἠναγκάζοντο [μαστιγούμενοι] μάχεσθαι.*

Insulsum interpretamentum proscripsit Cobetus.

Hic Plutarchus exclamat: *καὶ τίς ἂν ὠμότερος τούτου γένοιτο συκοφάντης, ὃς μαχέσασθαι* (sic enim pro *μάχεσθαι* legendum) *μὲν ὑπ' ἀνάγκης φησὶ τοὺς ἀπελθεῖν καὶ φυγεῖν* (sic pro *φεύγειν* lege) *δυναμένους, μηδίσαι δ' ἑκόντας.*

Hactenus perspicua omnia, sed adduntur haec *οἷς οὐδεὶς παρῆν βοηθῶν* unde aptum sensum non extundo. Interpres „quibus nullus aderat auxiliarius", quod in Graecis verbis non inest neque, si inesset, huc quadraret.

867 A Refutare aliud Herodoti mendacium sic incipere debet: *ἀλλ' οὔτε Λεοντιάδης ἐν Θερμοπύλαις ἦν στρατηγός.* Primum vocabulum R. addidit.

ib. Si verum esset quod H. narrat Regis iussu signa esse inusta Leonidae et Leontiadae, gloriati illis signis essent Thebani *ὡς Ξέρξου δικαιώσαντος ἐχθίστοις χρήσασθαι Λεωνίδῃ καὶ Λεοντιάδῃ,* quemadmodum recte R. legit pro *δικάσαντος.*

867 E Denuo Herodotus vocabulo *δρασμός* utitur: *οὕτω πικρῶς τῷ ῥήματι προσπέφυκε.*

Pro absurdo adverbio aptissimum *γλίσχρως* W. reposuit.

867 F *εἶτα πιστεύειν ἄξιον τούτῳ γράφοντι περὶ ἀνδρὸς ἢ πόλεως μιᾶς, ὃς ἐνὶ ῥήματι τὸ νίκημα τῆς Ἑλλάδος ἀφαιρεῖται;*

Post *Ἑλλάδος* inserendum *ὅλης* videtur.

868 A Herodotum Plutarchus dicit *Θούριον μὲν ὑπὸ τῶν ἄλλων νομιζόμενον αὐτὸν δὲ Ἁλικαρνασέων περιεχόμενον.*

Graecum non videtur *νομιζόμενον,* pro quo recte *ὀνομαζόμενον* reposuit Cobetus.

868 C Acerbe Herodotus sic depingitur: *αἰτίας ἐκάθητο φαύλας καὶ ὑπονοίας ἐπὶ τοῦ γραφείου συντιθείς.*

Ultima egregie sic sanavit Herwerdenus: *ὑπονοίας ἀπίστους τῷ γρ. σ.*

ib. Condemnat Phocenses non propter ea quae fecerunt H. sed quae fecissent nisi Thessali a Persarum stetissent partibus et sic vult *κρίνεσθαι τὴν διάνοιαν αὐτῶν ὥσπερ χώρας ἀντειλημμένης ὑφ' ἑτέρων τῆς προδοσίας ἀπελειφθέντας.*

Recte W. *κατειλημμένης* cui emendationi iam viam muniverat interpres vertendo: „a loco iam ab aliis *occupato*". Haeremus etiam in ultimo vocabulo, quod „exclusis" vertit interpres. Sed opus est genitivo iungendo cum *αὐτῶν*. Propono *ἀποκλεισθέντων* ut haec sit sententia: „tamquam si Phocenses proditione arcerentur ut loco ab aliis iam occupato,"

868 D *εἰ τοίνυν Θεσσαλούς τις ἐπιχειρεῖ τοῦ μηδισμοῦ παραιτεῖσθαι, λέγων ὡς οὐ ταῦτ' ἐβούλοντο, τῇ δὲ πρὸς Φωκέας διαφορᾷ τοῖς Ἕλλησι προστιθεμένους ὁρῶντες αὐτοὶ παρὰ γνώμην ἐμήδισαν κτέ.*

Primum pro *ἐπιχειρεῖ* syntaxis *ἐπεχείρησε* flagitat, tum ante *αὐτοί* excidisse *αὐτούς* videtur.

869 A *ἑαυτὸν ὁ Ἡρόδοτος ἐξελέγχει ταῦτα πλαττόμενον.*

Quorsum istud medium?

869 C Praeclare R. Simonidis epigramma in Democriti honorem factum emendavit ita ut ultimi fierent versus:

πέντε δὲ νῆας ἕλεν δηίων, ἕκτην δ' ἀπὸ χειρῶν
ῥύσατο βαρβαρικῶν Δωρίδ' ἁλισκομένην.

Quid attinet in textu retinere *ὑπὸ χειρῶν ... βαρβαρικῶν*, tamquam si ullus ex iis extundi sensus possit?

869 C *ἀντίποδες ... τῆς γῆς τὰ κάτω περιοικοῦντες.*

Lege *οἰκοῦντες* cum Herwerdeno.

ib. *οἶμαι μηδ' ἐκείνους* (sc. antipodes) *ἀνηκοόυς εἶναι Θεμιστοκλέους καὶ τοῦ Θεμιστοκλέους βουλεύματος, ὁ βουλεύσας [τῇ Ἑλλάδι ναυμαχῆσαι πρὸ τῆς Σαλαμῖνος] ἱδρύσατο ναὸν Ἀριστοβούλης Ἀρτέμιδος.*

Unquamne importunius vidisti interpretamentum et quod magis tam sermone quam loco argueretur? Et tamen hoc per tot saecula in tot perstitit editionibus!

869 F *Θεμιστοκλέα μὲν οὔτε φησὶ φρονῆσαι τὸ συμφέρον ἀλλὰ παριδεῖν.*

Hic legendum *οὐδέ* pro *οὔτε* videtur: „ne intellexit quidem nedum usus eo sit''.

870 A *ἀλλ' ὃ μὲν ἔψευσται, λόγος ἡμῖν* (i. e. mihi tibique, Alexander) *οὐδείς· ἃ δὲ τ(ῶν Κορινθίων καὶ τῶν Θηβαίων κατε)ψεῦσται μόνον ἐξετάζομεν.*

Sic optime Cobetus supplevit. Sed aliquo modo praecedentibus *κατὰ τῶν ἄλλων* est addendum.

870 B *διαδὺς ἀτρέμα.*

En iterum istud adverbium inepte positum! Valckenarius *ἠρέμα.* An *ἀτρέμα* alio adhibet sensu Pl. quam ceteri omnes? Vix credo.

870 C *τί γὰρ ἔδει τίθεσθαι μηχανῆς τραγικῆς;*

Acute apteque B: *τί γ. ἔ. θειόθεν μ. τ.;*

870 D *Θουκυδίδης γοῦν ἀντιλέγοντα ποιῶν τῷ Κορινθίῳ τὸν Ἀθηναῖον ἐν Λακεδαίμονι καὶ πολλὰ περὶ τῶν Μηδικῶν λαμπρυνόμενον ἔργων [καὶ] περὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίας οὐδέμιαν αἰτίαν προδοσίας ἢ λιποταξίας ἐπενήνοχε Κορινθίοις.*

En hoc est apte „argumento e silentio'' uti! Sed pro incluso *καί* virgulam pone.

870 E Epigramma Corinthiorum qui Salamine occiderunt sic incipit:

ὦ ξεῖν', εὔυδρόν ποτ' ἐναίομεν ἄστυ Κορίνθου
νῦν δ' ἅμ' Αἴαντος νᾶσος ἔχει Σαλαμίς.

Istud *ἅμ' Αἴαντος* Bergkii esse annotat editor. Rectius ergo Didotiana *ἄμμ' Αἴαντος.*

870 F *ᾧ πλεῖστα λοιδορούμενος Ἡρόδοτος διατελεῖ καὶ λέγων·* (citantur verba quibus Adimantus perstringitur).

Recte pro *λέγων* R. *λέγει.*

871 B *παυσαμένην τἀνδρός* vix Graecum videtur. Recipiendum ergo Wyttenbacchii supplementum *ἐρῶσαν.*

871 C. Oportebat potius epigramma illud sequi ἢ τὴν Ἀμεινοκλέους ἐμβαλεῖν (τῇ ἱστορίᾳ) παιδοφονίαν.
Recte sic supplet B.

872 C Ut bene cohaereant omnia inter οὐδένα et συνεφάψασθαι cum W. inserendum est γάρ.

872 F αἴσχιον, ὡς οἶμαι, τῆς προδοσίας τῶν γενῶν κατηγόρηκεν. Praemittendum cum R. ὄνειδος et pro absurdo γενῶν cum B. legendum πόλεων.

873 A (Athenienses) οὔτε Κορινθίους ἤλεγξαν, οὓς πρότερον νικῶντες φεύγειν ἀπὸ Σαλαμῖνος.
Pro οὓς πρότερον νικῶντες apte Turnebum restituisse αὐτοὺς πρότερον εἰπόντες apparet ex 870 C.

873 B τοὺς δ' Ἕλληνας ἀποδειλιάσαντας κτέ.
Non de omnibus Graecis hic agitur sed de Aeginetis Corinthiisque. Lege ergo Ἑλλήνων.

873 C τὴν δόξαν αὐτῶν καθιερουμένην ὁρῶντες.
Perfecto opus est; lege ergo cum Emp. καθιερωμένην.

873 E ἐκ μὲν Ἀρτεμισίου τοὺς Ἕλληνας ἀποδρᾶναί φησιν· ἐν δὲ Θερμοπύλαις, τοῦ στρατηγοῦ καὶ βασιλέως προκινδυνεύοντος, οἰκουρεῖν.
Ante οἰκουρεῖν inserendum est τοὺς Λακεδαιμονίους et tollenda virgula post Θερμοπύλαις. Videndum quoque annon ante τοὺς Ἕλληνας inserendum sit πάντας.

873 F Parum proficimus Turnebi emendatione quamvis recta συνθεμένους pro συνθεμένων, nam restat absurda oppositio τοὺς Ἕλληνας . . . τοὺς ἄλλους.

874 A τί οὖν περίεστιν ἔνδοξον ἢ μέγα τοῖς Ἕλλησιν ἀπ' ἐκείνων τῶν ἀγώνων, εἰ Λακεδαιμόνιοι μὲν ἄοπλοις ἐμάχοντο, τοὺς δ' ἄλλους ἡ μάχη παρόντας ἔλαθε, κενὰ δὲ πολυάνδρια τιμώμενα τοῖς ἑκάστου, ψευδῶν δὲ γραμμάτων μεστοὶ τρίποδες ἑστᾶσι;

De sola Plataica pugna sermo est. Lege ergo cum R. ἀπ' ἐκείνου τοῦ ἀγῶνος. Et cum Emperiu τιμῶμεν ἔτους ἑκάστου. Nam absurdum istud τιμώμενα τοῖς ἑκάστου ad quam servemus usum?

874 B Haec datur laus Herodoto quod χάρις ἔπεστι καὶ δεινότης καὶ ὥρα τοῖς διηγήμασι.

Multo aptius Ruhnkenii λειότης.

De libris scripta politica interrumpentibus vix quidquam annotavi quod in medium proferre operae pretium videatur.

X oratorum vitae ab Arnoldo Schaefero abiudicatae Plutarcho sunt. Cui viro docto obloqui nolim; multa enim in iis leguntur quae et ipse Plutarcho prorsus indigna esse sentiam. An Plutarchum censeamus non solum (p. 833 E F) integrum de Antiphonte condemnato rettulisse decretum populi sed etiam in fine totius libri longam adiecisse psephismatum seriem? Eundemne qui (*quom. quis suos in virt. sent. prof.* p. 82 C D) lepidum Diogenis iocum de *adolescentulo* qui, ne in caupona conspiceretur, se in cellam vinariam abdiderit, nomine adolescentuli non addito rettulit, credamus hic Demosthenem nominasse (847 F) scilicet ut celeberrimo oratori levitatis inureret notam? Nonne sensisse Plutarchum putemus quam ineptum nobis et ridiculum exhiberet Isocratem qui (837 E) in ipso articulo mortis hos Euripidis declamaverit versus:

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
Πέλοψ ὁ Ταντάλειος εἰς Πῖσαν μολὼν
Σιδώνιόν ποτ' ἄστυ Κάδμος ἐκλιπὼν

in quibus nullus inest sensus, nedum sensus huic rei aptus?

Sunt praeterea quaedam hic ita relata ut lectore opus sit non acuto solum sed et benevolentissimo qui prave dicta ipse corrigat, omissa suppleat. Velut illud est quod p. 848 C de Demosthene narratur: ἱστοροῦσι δ' ὡς οὐδὲ λύχνον ἔσβεσεν quorum verborum hanc esse sententiam: „Demosthenes semper in cubiculo ardentem habebat lucernam, ut studere posset si non posset capere somnum" tantum non invito scriptore con-

iicimus; sequuntur enim haec: ἄχρι πεντήκοντα ἐτῶν ἐγένετο, διακριβῶν τοὺς λόγους. Non, ut opinor, sic Plutarchus narrare solebat.

Neque desunt vocabula a Plutarchi usu recedentia. E magno numero citabo duo: p. 832 E Alcibiadem, ait, Critiam, Lysiam, Archinum εὕροι τις ἂν ἐπιβεβληκότας Ἀντιφῶντι, πρεσβύτῃ ἤδη ὄντι, ubi ἐπιβάλλειν fere significat „magistro uti" cf. 846 F: Ἀρχίου ... ὃς παρέβαλεν Ἀναξιμένει τῷ ῥήτορι.

Minime tamen totus spernendus liber est, utpote qui multa contineat lectu iucundissima, utilissima cognitu. Ita, ut e magna copia unum proferam exemplum, id quod (839 E) de Lysia Isaeoque dicitur: εἰ μή τις ἔμπειρος πάνυ τοῦ χαρακτῆρος τῶν ἀνδρῶν εἴη, οὐκ ἂν διαγνοίη πολλοὺς τῶν λόγων ῥᾳδίως ὁποτέρου τῶν ῥητόρων εἰσίν, minime inepti sunt de arte oratoria iudicis. Ceteris vero vitis longe longeque praestat Aeschinis illa, quam optimi scriptoris esse si quis dicat, via excedere modum videatur.

Denique non desunt loci diserte docentes qui factum sit ut Plutarcho potissimum totus adscriberetur liber. Legimus p. 842 E: ἔστιν αὐτῶν (Lycurgi eiusque posterorum) τὰ μνήματα ἀντικρὺ τῆς Παιωνίας Ἀθηνᾶς ἐν τῷ Μελανθίου τοῦ φιλοσόφου κήπῳ τράπεζαι πεποιημέναι, αὐτοῦ τε τοῦ Λυκούργου καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐπιγεγραμμέναι καὶ εἰς ἡμᾶς ἔτι σωζόμεναι. Atque talia frequenter recurrunt et novimus quantopere et alibi et in Vitis praesertim Plutarchus delectatus sit recordatione eorum quae suis oculis Athenis sit contemplatus. Quodsi in talem indolem ulla cadit iactatio, accurate se illius urbis omnes habere cognitos locos, plateas, vias lubenter gloriatur.

P. 842 C haec narrantur: „Xenocrati philosopho strenue fortiterqne Lycurgus opem tulit; quare cum vulgo laudaretur μεθ' ἡμέρας τινας συντυχὼν ὁ Ξενοκράτης τοῖς παισὶ τοῦ Λυκούργου," ἔφη „ταχέως γε τῷ πατρὶ ὑμῶν ἀπέδωκα, ὦ παῖδες, τὴν χάριν· ἐπαινεῖται γὰρ ὑπὸ πολλῶν ἐπὶ τῷ βοηθῆσαί μοι". En narrationem prorsus philosopho Chaeronensi dignam utpote quae doceat virtutem sua laude contentam nullam extrinsecus quaerere mercedem.

Nullam ob causam Demosthenes magis laudatur quam quod cum Olympiae sophista quidam Philippum Alexandrumque laudasset, Thebanos vero Olynthiosque calumniatus esset παραναστὰς

ἀρχαίων ποιητῶν μαρτυρίας προηνέγκατο περὶ τῶν Θηβαίοις καὶ Ὀλυνθίοις καλῶς πραχθέντων. Nonne eius haec scriptoris videri possint qui *de malignitate Herodoti* librum scripserit?

Sed quamvis spurius sit liber — spurium enim esse non possum non concedere Schaefero — satis multorum est tritus manibus atque ... scioli expertus manum. Duo dabo documenta certissima atque ei qui veterum scriptis emendandis dat operam utilissima:

833 A „Condemnatus est Antiphon *μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν τετρακοσίων*, at alii, in iisque Theopompus, eum a trigintaviris occisum aiunt." Addit scriptor: *ἀλλ' οὗτός γ' ἂν εἴη ἕτερος, Λυσιδωνίδου πατρός, οὗ καὶ Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ ὡς πονηροῦ μνημονεύει.* Acute sane docteque, quibus adiici etiam haec: *πῶς γὰρ ἂν ὁ προτεθνεὼς καὶ ἀναιρεθεὶς ἐπὶ τῶν τετρακοσίων πάλιν ἐπὶ τῶν τριάκοντα εἴη;* quis ferat? Usque ad Herwerdenum tamen omnes viri docti aequo tulisse animo videntur.

Luculentius etiam hoc quod in vicinia (833 D) legitur:

ἔγραψε δὲ (Antiphon) *καὶ κατὰ Ἱπποκράτους τοῦ στρατηγοῦ λόγον.*

Sic nunc recte editur. In codicibus est: *τοῦ ἰατροῦ στρατηγοῦ.* Quid acciderit vides.

Praeterea critici generis quae sunt paucissima annotabo:

841 D Stadium Panathenaicum auxit Lycurgus *Δεινίου τινός, ὃς ἐκέκτητο τοῦτο τὸ χωρίον, ἀνέντος τῇ πόλει, προείπαντος αὐτῷ χαρίσασθαι Λυκούργου.*

Sic B. edidit (*προείπαντος* cum Emperio). Quanto rectius Didotiana: *προσειπόντος αὐτὸ χαρίσασθαι Λυκούργῳ.* Quae tamen interpres non intellexit, vertit enim sic: „Dinia quodam, qui locum illum sibi comparaverat, Lycurgo concedente potestatem ex ipsius bonis civitatem demerendi." Vera sententia est: „Dinias illum locum cessit reipublicae, addito se id Lycurgi causa facere."

845 D Lectis orationibus Philippicis ipse Philippus exclamavit: *καὶ αὐτὸς ἂν ἀκούων λέγοντος Δημοσθένους ἐχειροτόνησα [τὸν ἄνδρα πρὸς] τὸν κατ' ἐμοῦ πόλεμον.*

Deleantur inclusa. Hoc enim dixisse Philippus fingitur: „si Demosthenem audissem, ipse bellum mihi esse indicendum suffragio meo declarassem."

847 F Demosthenem Diogenes irridens dicebat *ἐν μὲν τοῖς λόγοις Σκύθην εἶναι, ἐν δὲ ταῖς μάχαις ἀστικόν.*

Recte, u. o., pro ultimo vocabulo *ἀττικόν* coniecit B. Sed nunc *τοῖς λόγοις* et *ταῖς μάχαις* locum inter se mutent. Alludit enim cynicus ad id quod et 845 F narratur *περὶ τοῦ Δημοσθένους ἐν Χαιρωνείᾳ λιποταξίου*, et ad Scythas transfert quod de Parthis est pervulgatnm.

Aristophanis et Menandri comparatio non est quod titulus ait *epitome*: sunt pauci quidam loci e Plutarchi libro excerpti, quemadmodum iam statim in initio apparet, ubi *προκρίνει, Φησί* legimus, sicut et postea haud semel Plutarchi nomen est supplendum, et alibi et capitis III initio: *ὅτι τῶν διδασκόντων οἱ μὲν πρὸς τὸν ὄχλον καὶ τὸν δῆμον γράφουσιν, οἱ δὲ τοῖς ὀλίγοις*, ubi *ὅτι* dependet ab omissis vocabulis *Φησὶν ὁ Πλούταρχος*. Ergo cum ea sit huiusce libelli conditio, ne coniicere quidem possumus qualis ab ipso Plutarcho sit profectus: hic illic hiatus nunc deprehendimus, in ipso Plutarchi libro vitati fuisse videntur. Quod autem Leeuwenius (Mnem. 1909 p. 122 sq.) observavit in 12 nostri libri versibus (apud B. vol. V, 204, 12—23) duodecim latere senarios, quin senarii a Leeuwenio propositi puri sint, tersi, venusti quis dubitet? Sed totam rem veram esse nondum pro certo mihi constat. Primum, quod a me dici vix opus est, quidquid pedestri sermone ita est scriptum ut paulo maior fiat antithetorum et enumerationum numerus sponte senariis fit simillimum. Tum Leeuwenio non solum transponenda fuerunt vocabula sed et vs. 4 vocem *ναυτιώδης*, vocem, ut opinor, minime *παρέλκουσαν*, omittit et vs. 5 addit *τὸ σοβαρόν* ita ut bis ét *ὄγκον* ét *σοβαρόν* legatur. Denique neque in sententia neque in verbis quidquam est quod poeticum colorem ardoremque habeat. Quod quo melius appareat, placidae nostri excerpti orationi Aristophanis Byzantini oppono exclamationem:

ὦ Μένανδρε καὶ βίε,
πότερος ἄρ' ὑμῶν πότερον ἀπεμιμήσατο;

Hic vix oculis tuis credis legens Nauckio, summo critico, *forte natos* hos senarios visos esse. Quis enim, obsecro, pedestri sermone scribens unquam *vitam* est *allocutus*? Et, id quo tota res tamquam geometrica ratione conficitur, quis unquam *ἀπεμιμήσατο*

pro ἐμιμήσατο scripsit nisi metro coactus? Sed fac plane verum esse quod Leeuwenius statuit, num Plutarchus id fecisse censendus est quod postea in Phaedro fecit insulsus iste Romulus, ut versus ita corrumperet ut iam non essent versus? Immo poetam antiquiorem verbotenus citavit, praemissis his fere vocabulis: „ut N. N. ait". Quodsi cui parum verisimile videtur *tam longum* locum a Plutarcho citari (et concedo id eum facere non solere: plerumque paucos tantum versus affert), quid obstat quominus credamus in ipso opere Plutarcheo eum in tres vel quatuor divisum partes fuisse propositum, ita ut singulis partibus verba praemitterentur qualia sunt: καὶ πάλιν ὁ αὐτός? Et ita ipsius Leeuwenii verba: „apparet Plutarchum in Aristophanis arte contemtim describenda usum esse carmine aliquo iambico, quod ipso esset antiquius" accipienda videntur.

Sed quocunque modo Plutarchi liber libellusve a grammatico, qui de eo refert, sit immutatus, ipsum argumentum est plane Plutarcheum. Atque ita Ieuckensius quoque iudicat, e cuius nobili libro de Plutarcho et Arte rhetorica haec cito verba (leguntur p. 66): „wir dürfen die *comparatio Aristophanis et Menandri* inhaltlich durchaus als Plutarchisch in Anspruch nehmen."

Non amat Aristophanem Plutarchus: ut enim est vir placidus vereque laetus, omnem odit acerbitatem, lasciviam vero detestatur. Scurrilia — et scurriles nominum verborumque lusus haud paucos apud Aristophanem inveniri quis neget? — fastidit contemnitque, itemque obscena, quae tamen non *indignationem* eius movent: nusquam enim ἀρεταλόγον se praebet Plutarchus. Denique optime Aristophanem suum cognitum habet Plutarchus, saepe aptissime eum citat plauditque versibus quibus Cleon exagitatur: hic enim et illi est monstrum immane horrendumque et fuit toti antiquitati, sed non est philologus Plutarchus neque doctus de historia literarum scriptor: ea tantummodo conquirit, amat, amplexatur quae mores hominum aliquo modo possint emendare. Atque eiusmodi locorum uberrimus ei fons Menander visus est. Neque Plutarcho soli sed omnibus eius aequalibus. Qui enim factum arbitremur ut tandem aliquando tantum non omnium sententiarum moralium auctor sit habitus? Plutarchi vero aetate in omnium, etiam gravissimorum, virorum manibus Menander

esse solebat, qui et lubentissime eius *spectabant* fabulas quoties in scena agebantur, id quod tunc frequentissime fiebat in omnibus Graece loquentium sedibus. Legite mihi locum, ubi Menandrum Plutarchus laudat tamquam *αὐτάρκη* i. e. tamquam omnibus locis temporibusque aptum (apud B. p. 206 v. 6—24), et clara eum voce recitate, statim e quo genere librorum hic sit intelligetis: est *ἐπίδειξις* quam et alibi et Romae habuit Plutarchus ad suam doctrinam eloquentiamque venditandam: auditores intelligere cupit cum quam exercitato venustoquo sibi res sit oratore et quid ille de literarum studio censeat et de puerorum institutione literaria, denique hac oratione habenda iuvenis etiamnunc philosophus noster se ingenuorum puerorum parentibus commendare studet. Et conferte praeclari illius fragmenti *de amore* (apud B. VII. 130 sqq.) ipsum exordium: eiusdem utrumque librum esse philosophi persuasissimum vobis erit. Quo magis est dolendum quod etiamnunc nobis ad Plautum Terentiumque potissimum est confugiendum si Plutarchi de Menandro sententiam perpendere et examinare cupimus. Quamquam ex illis quoque apparet subactissimum philosophi Chaeronensis etiam de rebus literariis fuisse iudicium.

Quae ad singulos excerptorum locos annotare velim haec fere sunt:

853 B *τὸ φορτικὸν ... καὶ θυμελικὸν καὶ βάναυσον ὥς ἐστιν Ἀριστοφάνει, Μενάνδρῳ δ' οὐδαμῶς.*

Pro *ὥς ἐστιν* B. *πρόσεστιν* coniicit; malim *ἀεὶ πρόσεστιν.*

ib. Aristophanis artificiis *ὁ μὲν ἀπαίδευτος ἁ λ ί σ κ ε τ α ι, ὁ δὲ πεπαιδευμένος δ υ σ χ ε ρ α ν ε ῖ.*

Immo *δυσχεραίνει.*

853 D *καὶ τοσαύτας διαφορὰς ἔχουσα καὶ ἀνομοιότητας ἡ λέξις* (Aristophanis) *οὐδὲ τὸ πρέπον ἑ κ ά σ τ ῃ καὶ οἰκεῖον ἀποδίδωσιν.*

Nonne *ἑκάστῳ* legendum est?

ib. *ἡ δὲ Μενάνδρου φράσις οὕτω συνέξεσται καὶ συμπέπνευκε κεκραμένη πρὸς ἑαυτὴν κτέ.*

Vitio in Plutarchi textu frequentissimo sequens vocabulum praecedenti alieni aliquid addidit. Lege *οὕτως ἔξεσται,* nam

συγξεῖν nihil est. Et eo ipso quod singulae partes accurate sunt dolatae accidit ut firmiter cohaereant.

853 E Receptam oportuit praeclaram Emperii emendationem: καθάπερ αὐλοῦ πάντρητον ἀνασπάσας ταχὺ πάλιν καὶ πιθανῶς ἐπέλαβε pro ἐπέβαλε.

854 A Alii populo scribunt, alii cultioribus: τὸ δὲ ἐν ἀμφοῖν ἁρμόττον pauci invenerunt.

Pro absurdo ἐν ἀμφοῖν recte συναμφοῖν Reiskius reposuit.

854 C Quoniam nusquam toto libello de actoribus, sed semper de poetis agitur, in capitis 4 initio cum Hauptio ποιητάς pro ὑποκριτάς est legendum.

ib. Menandri comoediae ἀφθόνων ἁλῶν καὶ ἱερῶν μετέχουσι.

Donec constiterit qui sales *sacri sanctive* sint, cum Emperio ἱλαρῶν pro ἱερῶν erit legendum.

ib. Additur: ὥσπερ ἐξ ἐκείνης γεγονότων τῆς θαλάττης ἐξ ὧν Ἀφροδίτη γέγονεν.

Immo ἧς cum Hauptio.

ib. Sed acerbi sunt sales Aristophanis, καὶ οὐκ οἶδ' ἐν οἷς ἐστιν ἡ θρυλουμένη δεξιότης ὑπ' αὐτοῦ.

Praepositionem ὑπό cum W. dele. Non enim opus in Aristophanis versibus eam inveniri virtutem quam ipse laudat in aliis.

Placita philosophorum excerpta esse ex epitomis Arei Didymi, totam philosophiam inde a Thalete complexis, communis nunc est virorum doctorum opinio, nixa praesertim comparatione locorum in Stobaei eclogis et apud pseudo-Galenum, qui mirum in modum cum his placitis consentiunt. Quae ego Plutarcho vindicare neque possum neque volo. Non possum ideo quia haud dubie liber hic originem suam scriptori debet, qui utrum Stoicus an Epicureus esse malit ipse neque scire neque curare videtur: p. 881 Epicureis rationibus usus omnino deos esse negat, at p. 903 Stoicam disputationem refert ut illius sectae ζηλωτής

(v. praesertim A πᾶν τὸ κινούμενον σῶμά ἐστιν). Aliena autem ab indole Plutarchi est eiusmodi περὶ τῶν μεγίστων ἀδιαφορία et quia *tam pauca* insunt quae me Plutarchi admoneant. Nam insunt quaedam, velut illud (876E) πάλιν δ' ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς, quae est transeundi formula, haud rara in genuinis Plutarchi scriptis, tum quod (p. 901 A) citatur versus:

μέν', ὦ ταλαίπωρ', ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις

quo nullum Plutarchus magis in deliciis habuisse videtur. Sed quamvis minime spernenda haec sint, pauciora tamen videntur quam quae hanc quaestionem dirimant. Et nolo ... quia tanti mihi non videtur. „Epitomen" Dielsius exclamat, eo vocabulo nostra placita significans „epitomen vero, si quis *quocunque modo* ad Plutarchum voluerit referre, summo iure *delirus* videbitur". Apud Horatium coniuncta habemus vocabula *delirus* et *amens*. Ergone furiosus insanusque videbitur quicunque de istiusmodi quisquiliis a Dielsio discrepet? Ego mihi fingere possum virum eruditissimum acutissimumque qui neque Arei Didymi neque ipsius Dielsii nomen unquam inaudiverit. Quorsum ergo eiusmodi imprecationes diraeque? Prosuntne arti nostrae? Immo vero totam eam in hominum contemptum odiumque adducere videntur. Nam tota quaestio nullius est pretii. Fac enim *aliquo modo* epitomen nostram ad Plutarchum esse referendam, fac Plutarchum excerpendi Arei Didymi fecisse initium, denique finge illud excerptum Plutarcheum a subtili aliquo lectore ex hac farragine erutum, quid habebimus? Collectionem, ut opinor, placitorum philosophicorum, quam *suum in usum* Plutarchus fecerit. Atqui eiusmodi collectiones multas fecisse Plutarchum, etiamsi non diserte declaret ipse (et declarat cum multis aliis locis tum *de vitioso pudore* c. 10, *de Garrulitate* c. 17), tamen tota eius vita, quam ex optimis eius libris cognitam habemus, persuasissimum nobis habere iuberet. *Praeceptorem* vero Plutarchum scholarum suarum causa multa excerpsisse et sic temere in chartam coniecisse nonne res ipsa clamat? Minime ergo ineptus Eusebius — et est eius vel propter aetatem magna auctoritas — qui tamquam genuinum Plutarchi opus haec *placita* citet: quodammodo enim simul spuria et genuina sunt: excerpta collegisse Plutarchum constat, qualia ea fuerint quid curamus? Non enim, ut opinor, ex instrumentis cognoscitur artifex. Dum-

modo ne ad hanc quaestionem dirimendam hiatuum argumento utatur aliquis. Ipse Plutarchus nullos homines deridet magis quam qui *semper et ubique* hiatus vitent, atque adeo tam ineptos homines vixisse unquam vix credere potest; ipsumne ergo istius subtilitatis tenacem fuisse opinemur cum pugillares suos omni annotationum impleret genere?

Aetia vero *Physica* cur Plutarcho abiudicemus nullam causam video. Haud pauca in eo libro admodum lepida leguntur quaeque Plutarcho cordi fuisse minime mirum sit, velut totum caput 26 (qui fiat ut animalia aegra suas ipsa inveniant medicinas) et illud capite 29 dictum: *ἔοικε τῷ σπανίῳ τὸ θαυμάσιον ἡ Φύσις νέμουσα πῶς γίγνεται ζητεῖν τὸ μὴ πολλάκις γιγνόμενον,* quod tam lepide illustratur epistola Plinii libri octavi vicesima. Observa praeterea p. 918 D *περὶ τῶν κιττωσῶν γυναικῶν* (nam *κιττῶσι* legendum est cum Lennepio pro *κύωσι*) idem legi quod *praec. ger. reip.* p. 801 A, et plane Plutarcheum esse quod p. 919 D auctore Mnesitheo medico tradatur eum qui pneumonia laboret sanabilem esse si in initio morbi caepe, insanabilem si ficus appetat. Sed neque hic est liber a Plutarcho perfectus limatusque ergo hunc quoque transeo [1]). Priusquam vero totam *de placitis* quaestionem mittam, Volkmanno qui eam tam subtiliter tractavit, opem ferre lubet. Is enim Pseudo-Galeni *περὶ Φιλοσόφου ἱστορίας* opus tractans in uno titulo *περὶ τῶν Φιλοσόφων κατὰ τὴν διαδοχὴν λελοιπότων* haeret. Haud mirum profecto; misere enim corruptus ille est, sed in promptu est emendatio. Legendum enim est *περὶ τῶν Φιλοσόφων τῶν διαδοχὴν λελοιπότων,* i. e. „de philosophis qui successores reliquerunt" sive „de philosophis qui sectas (scholas) condiderunt".

1) Unum tamen eius locum emendare libet. Legitur p. 915 C in capite de polypode colorem mutante admodum absurde: *τοῦτο δὴ καὶ τοὺς πανουργίᾳ καὶ δεινότητι ὑπερφέροντας ἔχειν τὸ ἐπιτήδευμα λέγουσιν, ὡς* (*ὥστε?*) *ὑπὲρ τοῦ λαθεῖν καὶ διαφυγεῖν τοὺς πλησίον ἑαυτοὺς ἀεὶ ἀπεικάζειν πολύποδι.* Ultimo vocabulo abiecto lege *τοῖς πλησίον* pro *τοὺς πλησίον.*

DE FACIE IN ORBE LUNAE.

Vix quidquam toto libro praestantissimo, quo Plutarchi vitam scripta philosophiam enarrat Volkmannus, iis praestat paginis (vol. II, 75 sqq.) quibus huiusce *de facie in orbe lunae* libri exponit (ut doctis utar verbis) *eschatologiam* et *daemonologiam.* Quae doctrinae quoniam praecipuum libri Plutarchei efficiunt argumentum, hic ad Volkmannum relego eos quorum in manus meae venturae sunt disputationes. Pauca tamen ipse addere volo.

Primum de scena fabulae. Lamprias Plutarchi frater, a Sulla Carthaginiensi (et, ut opinor, cive Romano) invitatus refert disputationem paulo ante a se iisque qui nunc adsunt (Sulla illo excepto) auditam ex ore philosophi, quo magistro utuntur omnes (Plutarchum eum esse suspicor, atque adeo certo scio; p. 929 F *ἡμῶν τὸν ἑταῖρον* eum Sulla appellat). Adsunt autem nunc praeter Sullam Lampriamque: Apollonides, Pharnaces Stoicus, Aristoteles, Theo (quem Plutarchi in sacerdotio Delphico decessorem fuisse haud sine causa coniicio), denique Λεύκιος i. e. Lucius Mestri Flori filius (v. Qu. C. p. 702 F). Neque refertur tantum disputatio sed et facultatem praebet audientibus atque ipsi qui eam refert novas instituendi disputationes de rebus prioris disputationis argumento plus minusve cognatis, sensimque res eo deducitur ut Sulla suum proferat mythum de mortuorum sede atque sorte, ad quem in libri initio alludens a Lampria petivit ut illam prius (atque adeo, ut dixi, paulo ante) habitam disputationem referret.

Iam vides fere eandem esse libri nostri atque illius c. t. *non posse* oeconomiam, nisi quod illic ipse adest magister qui *adversus Coloten* disputavit, at nunc abest prius habitae disputationis auctor.

Sed nescio an maioris momenti communia quaedam habeat cum libri *de defectu oraculorum* oeconomia. Utrobique enim referendi primas partes agit Lamprias [1]), quem hic ipsius Plutarchi sustinere personam statim suspicamur. Tum, atque hoc

---

1) Ne dubites, vel unum hunc locum aspice (940 F): *ἔτι δ' ἐμοῦ λέγοντος, ὁ Σύλλας ὑπολαβὼν „ἐπίσχες" εἶπεν „ὦ Λαμπρία."*

gravius, in utroque libro ita illud Platonis in Timaeo 53 B ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν ἅπαν ὅταν ἀπῇ τινος θεός commemoratur, ut appareat hic divino ore locutum Platonem videri Plutarcho (*de def. or.* 430 D, nostri libri p. 926 F)[1]), et cui non videatur? Gravissimum vero hoc quod et hic et illic summae sapientiae auctor est vir ὃς μάλα πολλὰ πλάγθη atque etiam in ultimam Brittanniam fecit iter.

Sunt autem doctae satisque intricatae disputationes tam quae refertur quam quae nunc instituitur nova. Identidem tamen — et hoc alterum illud est quod egregio illi Volkmanni loco, unde sum exorsus, addendum videtur — ille mentium medicus prodit Plutarchus ipsius *vitae* prospiciens felicitati. Locos praecipuos ubi illud fit hic adferam:

926 A (sequor autem hic Wyttenbachii lectionem supplementumque): quod terra immobilis est, luna vero movetur, fit ἑτέρᾳ τινι ψυχικῇ μᾶλλον ἢ φυσικῇ καὶ τοπικῇ διαφορᾷ, h. e. „mens (divina) regit omnia".

927 A B „Si in rerum natura omnia eum tenent locum quem tenere necessitas cogit, quid Iovi, summo artifici agendum restat?" Lepidissime hac interrogatione Stoici perstringuntur: dicuntur enim ipsam tollere *providentiam*, quam semper habent in ore: sed eorum providentia est crudelis et inexorabilis, est fatum durum et immutabile; Plutarchi vero providentia non minus amoris quam sapientiae plena est.

927 C „Quid mirum hic ignem esse illic sidera, hic sedem habere terram illic lunam, licet ea quoque sit terrena, cogente vinculo quod physico sit fortius, *rationis*." Non inanima materiae vis omnia regit sed mens et ratio, quae divina quidem est sed simul eiusmodi ut mens humana eam tamquam mentem rationemque colere possit et venerari.

928 B „Non *levitate* sua oculus in eam est compulsus corporis partem ubi nunc est, neque *gravitate* sua cor decidit in pectus, sed quia melius erat utrumque sic esse collocatum". Haec est vera providentia, quae semper et ubique hominum prospicit commodis. Quantum ea praestat Stoicorum immutabili illi necessitati!

---

1) Ad hunc locum B. annotat: „locum non inveni".

928 C Hic ipsa Plutarchi sunt afferenda verba: ἐν παντὶ δὲ κρατεῖ τὸ βέλτιον τοῦ κατηναγκασμένου. Sententia haec est: sunt quidem leges naturae, sed sapiens amorisque plenus Deus, qui eas dedit, maior et potentior iis est.

929 D „Non sunt suspensa singula secundum pondus suum, ἀλλ' ἑτέρῳ λόγῳ κεκόσμηται". Haud dubie ἑτέρῳ λόγῳ sic est vertendum: „alia quadam re, ratione (divina)". Non materia et pondus efficiunt naturam rerum; ea quoque subiecta sunt Potentiae quae cum sit immensa tamen simul eiusmodi est ut mens humana se ei cognatam esse sentire possit.

Ad librum *de defectu oraculorum* redeo. Num dubitari potest quin Cleombrotus ille Spartanus, cui philosophia τέλος ἔχει τὴν θεολογίαν (p. 410 B), illa sententia id pronuntiet quod *ipsi Plutarcho* penitus sit persuasum? An et ea quae modo e libro *de facie in o. l.* citabamus non esse Plutarchi dicamus quia ibi Lamprias loquatur? Uterque, ut opinor, eam defendit sapientiam quae ipsi Plutarcho unice vera videtur, quaeque tota paucis illis verbis φιλοσοφίας τέλος θεολογία continetur. Plutarchus quidquid cogitat, quaerit, deliberat, *mentem* quaerit quae naturam historiamque regit, mentem sapientem atque ita rebus humanis consulentem ut ad eam, tamquam ad hominem, oculos possit attollere homo, ut eam amare possit venerarique atque optima quaeque ab ea sperare. Sentit enim Plutarchus non esse vitalem vitam quae eiusmodo adversus Summam Potentiam careat affectibus. Est ergo illud φιλοσοφίας τέλος θεολογία quodammodo *mentium medici* dogma, semper de hominum quibuscum vivit salute et felicitate solliciti. Talem autem nusquam magis perspicue se praestat Plutarchus quam locis quos modo e docta illa et intricata attuli *de facie in o. l.* disputatione. Dubium non est quin saepe Plutarchus in suis aegris curandis sit expertus actum esse de homine eiusque felicitate et animi tranquillitate si semper defixus haereat in contemplatione „causarum effectuumque". Nam si bene ea vocabula, quae nunc sunt in tanto honore, consideramus, concedendum est ea tantum non sensu cassa esse; nescit homo et nesciendum est ei quae sit cuiusque rei causa. Quodsi scire posse sibi illud videtur, tota eius vita perpetua fit aerumna angorque: semper enim metuit ne morbus aliudve malum e re quam suscepturus est nascatur.

Neque quidquam eum ex hoc extrahere periculo potest nisi *Fides* illa cuius se semper et ubique tam strenuum praebet defensorem Plutarchus, quamque non minus diserte in docta hac diatribe commendat quam in libris quos indoctorum causa scripsit. Nam quaecunque hic a doctis astronomis philosophisque demonstrantur ea omnia eo tendunt ut legentibus illud omnium paradoxorum pulcherimum inculcetur: „credere nolite, mortales, ideo corpora deorsum cadere quia terra ea attrahat: quidquid fit ideo fit quia vult Deus optimus maximus".

Neque absurdum mihi videtur coniicere similem esse causam ob quam et in nostro libro et alibi tam acriter pertinaciterque reiiciat doctrinam *περὶ τῶν ἀντιπόδων*. Quaecunque enim ex eo sunt genere prudenti cautoque mentium medico perturbare homines et anxios reddere posse videntur. Sed hoc in transitu: nunc ad singulos libri transeo locos.

920 B *τούτοις . . . ἐκείνους*. Significantur, quemadmodum elucet e praecedentibus, *δόξαι*, ergo cum W. *ταύταις . . . ἐκείνας* est legendnm.

920 C *οὐ συνορῶν . . . ἔπειτα λόγον (οὐκ) ἀποδιδούς*.
Totus contextus clamat recte Emperium illud *οὐκ* addidisse.

920 D Quis ille est *'Αγησιάναξ* poeta, qui et hic et paulo post commemoratur? Ecquid *'Ερμησιάναξ* legendum?

920 E *καὶ πιέζεται καὶ πιέζει πάλιν ὑπ' αὐτῶν ἀποκοπτόμενα*.
Sic recte supplere et emendare B. videtur.

921 B Versiculorum citatorum primum vocabulum esse debet non *ἤ* sed *ἦ* quod reposuit Emperius.

ib. *ἀλλὰ πῆ τὸν ἔλεγχον ποοσῆγε;*
Lege cum Turn.: *ἀλλὰ σὺ τ. ἔ. πρόσαγε*. Statim enim Lamprias facit quod eum iussit Apollonides ut illam Clearchi *refutet* sententiam.

921 C *τῆς οἰκουμένης εὖρος ἴσης καὶ μῆκος . . .*
Immo *ἴσον ἐχούσης* cum B.

ib. *ἐνδέχεται πᾶσιν ὡσαύτως ἀπὸ τῆς σελήνης ὄψιν ἀνακλωμένην ἐπιθιγγάνειν τῆς θαλάσσης.*

Si pro *ἐπιθιγγάνειν* legeris *ἐπιτυγχάνειν* vel *ἐντυγχάνειν*, omnia bene decurrent, neque ulla erit lacuna.

921 D *οὐκέτι σὸν οὐδ' Ἱππάρχου* (sc. *ἔργον ἐπισκοπεῖν*).

Iste Hipparchus quis est, et quid sibi hic vult? Legendum esse *οὐδὲ Κλεάρχου* e praecedentibus apparet. Quae continuo sequuntur *καίτοι γε Φίλε πριαμ* ingeniose W. correxit.

ib. *περὶ τῆς ὄψεως, αὐτὴν ὁμοπαθῆ κρᾶσιν ἴσχειν εἰκός ἐστι μᾶλλον ἢ κτέ.*

Recte *ἣν* pro *αὐτήν* legit W.

921 E *εἰ δὲ προσδεῖταί τις ἡμᾶς* ....

Insana haec optime curavit Emp. *αἰτίας* pro *ἡμᾶς* legendo.

Cetera nunc omitto quae iam sunt ab aliis aut suppleta aut emendata. Tam enim corruptus lacunosusque hic ad nos pervenit liber ut ipsa Plutarchi verba praestare iam non possimus. *Sensum* locorum lacerorum a Wyttenbachiis, Emperiis, Reiskiis bene esse perspectum cur ad singulos locos annotem? Sed haec mea addere lubet:

922 F *τὸ περίακτον ἐκ τῆς Ἀκαδημείας.*

Vocem *περίακτον* tangere non ausim; videtur ea significari instrumentum scenicum quo spectantium oculi decipiuntur.

924 F *σαφῶς οἴεται* recte habet. Est enim: „palam se putare profitetur”. Sic nihil deest.

925 D *αὕτη δ' ἐστὶ τισσάρων μυριάδων καὶ κατὰ τοὺς μέσως ἀναμετροῦντας.*

Facessat hinc istud *καί*, quod omnia perturbat.

926 C Lepida simulque omnium lenissima emendatione sanare mihi posse videor vocabula a quibus c. 12 incipit. Stoici contendunt lunam terrenam esse non posse quia locum teneat

editum ibique moveatur. Hos nunc Lamprias et aliis refutat et hisce:

οὐ μὴν ἀλλὰ θέντες, εἰ βούλει, παρὰ Φύσιν ἐν οὐρανῷ τοῖς γεώδεσι τὰς κινήσεις ὑπάρχειν, non ita demonstramus lunam non esse terram. At *τίθεσθαι* istud Stoicus non *βούλεται*, ita enim se rem habere pertinaciter negat. Sed transpone virgulam ita ut non post *βούλει*, sed post *Φύσιν* legatur, aptissima haec habemus: „sumentes in coelo terrena moveri, atque id, si ita vis, contra naturam rerum sumentes, tamen e. q. s."

926 CD Mens corporea non est: *διὰ τοῦτ' οὖν σώματι ψυχὴν μὴ λέγωμεν εἶναι μηδὲ νοῦ χρῆμα θεῖον ὑπὸ βρίθους ἢ πάχους, οὐρανόν τε πάντα καὶ γῆν καὶ θάλασσαν ἐν ταὐτῷ περιπολοῦντα καὶ διιπτάμενον, εἰς σάρκας ἥκειν καὶ νεῦρα καὶ μυελοὺς καὶ παθέων μυρίων μεστὰς ὑγρότητας.*

Primum eximatur virgula quae apud B. (non in Didotiana) ante *οὐρανόν* legitur, tum tota sententia fiat interrogativa: sic enim ratiocinatur Lamprias: „vos, Stoici, negatis lunam terram esse quia locum teneat editum; eodem iure contendere possumus in corpore mentem esse non posse quia mens non sit corporea". Denique pro *περιπολοῦντα* legatur *περιπολοῦν* nam *νοῦ χρῆμα θεῖον περιπολεῖ καὶ διίπταται* terram, coelum, mare. Verbis *ὑπὸ βρίθους ἢ πάχους* quid faciam dubito; interpres Didotianus haec dat: „*liberam a* gravitate et crassitie", quae certe in verbis Graecis non insunt. Ecquid *τάχους* pro *πάχους* legendum, ut dubitet philosophus noster quo vocabulo mentis *vim* significet?

930 C Duplicis speculi angulum facientis utraque superficies binas reddit imagines, quam rem sic explicat Plato *ὅτι, τοῦ κατόπτρου ἔνθεν καὶ ἔνθεν ὕψος λαβόντος, ὑπαλλάττουσιν αἱ ὄψεις τὴν ἀνάκλασιν ἀπὸ τῶν ἑτέρων ἐπὶ θάτερα μεταπίπτουσαν.*

Quid sibi *altitudo* ista velit nemo videt neque quo modo speculum eam *ἔνθεν καὶ ἔνθεν* possit *λαβεῖν.* Omnia plana fient si *ὄψιν* pro *ὕψος* legerimus, nam *imaginem* revera *ab utraque parte* eiusmodi *accipit* speculum.

940 A *πρὸς σὲ τρέψομαι μᾶλλον, ὦ Φίλε Θέων· λέγεις γὰρ ὑμῖν ἐξηγούμενος κτέ.*

Mirum sic apud B. legi, sed mirum magis idem esse in Didotiana, cum tamen interpres haec det: „tu enim *nobis* exponens e. q. s." Manifestum est ἡμῖν requiri.

943 B Separat Persephone mentem ab anima ideoque μονογενὴς dicta est: *μόνον γὰρ γίγνεται τὸ βέλτιστον τἀνθρώπου διακρινόμενον ὑπ' αὐτῆς.*

Num dubium est quin istud ὑπ' sit inserendum? Habet et Didotiana.

DE PRIMO FRIGIDO.

De huiusce libri argumento et indole satis accurate iam disputavimus p. 253. Nunc unum etiam addo:

Dixeris Scepticum atque adeo omnis philosophiae contemptorem se Plutarchum praestare et *Q. Plat.* 1000 C, ubi de sectarum multitudine sic *iocatur*: *ὧν ἂν ἄριστα πράττῃ Φιλοσοφία, μίαν ἔχει κατορθοῦσαν, οἰομένας δὲ τὰς ἄλλας ἁπάσας καὶ μαχομένας πρὸς τὴν ἀλήθειαν* quae e Luciani sumpta Hermotimo videntur. At hic, quo melius Socratem Platonemque defendat, ne contra suam quidem opinionem loqui Plutarchus veretur.

Ad singulos locos haec annoto:

946 A Sententia „frigus est caloris defectus" hoc mali habet quod tollit *πολλὰς τῶν ἐμφανῶν δυνάμεων, ὡς οὐ ποιότητας οὐδ' ἕξεις ἕξεων δὲ καὶ ποιοτήτων στερήσεις.*

Adde *οὔσας.*

947 A *ὡς δ' αὔτως καὶ τυφλῶν καὶ γυμνῶν καὶ ἀόπλων οὐκ αἴσθησις ἐστιν.*

Pro absurdis istis *γυμνῶν καὶ ἀόπλων* Naberus acute *ἐνεῶν καὶ ἀώτων*, neque dubium est quin eiusmodi aliquid requiratur.

947 D Frigus non est *Φθορά τις τοῦ θερμοῦ καὶ ἀναίρεσις ἀλλὰ Φθαρτικὴ Φύσις καὶ δύναμις.*

Absurde hic inter se *opponuntur* quae prorsus eadem sunt. Apte Madvigius: *ἀλλ' ὑπαρκτικὴ Φύσις* i. e. fere: „res quae suam sibi naturam substantiamque habet".

947 F Quod contrahitur condensaturque Anaximenes frigidum esse dicit, τὸ δ' ἀραιὸν καὶ τὸ χαλαρόν, οὕτω πως ὀνομάσας [καὶ] τῷ ῥήματι θερμόν.

Vox inclusa deleatur; ὀνομάσας τῷ ῥήματι significat ipsum Anaximenem eo vocabulo usum. In praecedentibus Pl. liberius eius sententiam refert.

948 C πυρετοῦ μὲν ἔντασις . . .

Quod statim additur ἢ παρέμπτωσις documento est recte Emperium ἔνστασις pro ἔντασις reposuisse.

949 E Scire pervelim quis ille *Caesar* sit qui hoc ipso tempore (νῦν) in Danubio hibernavit. Magni enim momenti est scire quando hunc librum scripserit Plutarchus.

ib. ὁπότε τὰ ζέοντα τῶν ὑδάτων ἀναρύτοντες calidam aquam cum aere miscent.

Recte cohaerebunt omnia, si οἱ δέ cum W. legemus pro ὁπότε.

950 C βελόνας δὲ καὶ πόρπας σιδηρᾶς καὶ τὰ λεπτὰ τῶν ἔργων οὐχ ὕδατι βάπτουσιν ἀλλ' ἐλαίῳ.

Rem acu tetigit et id ipsum reposuit quod reponendum esse quivis statim sentit W. ἐργαλείων legendo pro ἔργων.

950 F καὶ τοῦτο δὴ τὸ πρόχειρον ἅπασι, „πῦρ ὕδατι μιγνύναι" [τὸ παροιμιαζόμενον ἐν τοῖς ἀδυνάτοις] μαρτυρεῖν ἔοικεν ὅτι κτέ.

Dele insulsum balbumque scioli additamentum.

951 A Ignis aqua exstinguitur non aëre ὃ ς τ ο ὐ ν α ν τ ί ο ν ὑπολαμβάνει τὴν οὐσίαν αὐτοῦ.

Sic recte B. traditum τίον ὡς correxit.

ib. εἰ γὰρ αἰτία εἰς ὃ μεταβάλλει τὸ φθειρόμενον ἐναντίον ἐστί κτέ.

Haec sic correxisse Herwerdenum ait editor: εἰ γὰρ ἀεὶ τοῦτ' εἰς ὃ μεταβάλλει τὸ φθειρόμενον ἐναντίον ἐστί. Credere non possum: sensu enim cassa ista sunt. Requiritur aliquid in hanc sententiam: „quod mutat et quod mutatur contraria sunt inter se".

951 C τὸ σ υ ν θ λ ι β ό μ ε ν ο ν ὑγρὸν ἀπ' αὐτῶν (sc. τῶν χιόνων).
Recte W. συλλειβόμενον.

951 E τῷ μίαν οὐσίαν ψυχρότητος καὶ ὑγρότητος εἶναι.
Tota demonstratio Wyttenbachii flagitat supplementum ὡς ξηρότητος καὶ θερμότητος.

953 C Pisces gelu concreti franguntur δίκην ὑελῶν ἢ κεραμεῶν σωμάτων.
Num opus cum Nabero ἐκπωμάτων pro σωμάτων legere?

954 A οἱ δὲ χαλκεῖς τῷ πυρουμένῳ καὶ ἀνατηκομένῳ σιδήρῳ μάρμαρον καὶ λατύπην π ε ρ ι π ά σ σ ο υ σ ι.
Sic recte B. pro παραπάσσουσι.

954 B διώκουσα προσφόρους καταφυγάς.
In isto adiectivo argumenti nihil est, sed est in προσγείους quod proposuit Patzigius.

954 D οὐ τμητικὸν οὐδὲ κινητικὸν οὐδὲ λ ε ῖ π ο ν.
Immo λεπτόν cum Turnebo.

954 E ἀὴρ ... φλόγας ἀναδίδωσι καὶ ῥ ε ῖ.
Lege ζεῖ cum Emperio.

954 F ἀλεαινομένην [οὖσαν].
Soloecismum sustulit W. οὖσαν delendo.

955 C ταῦτα (quae nunc dixi de terra frigoris causa et origine) τοῖς εἰρημένοις ὑ φ' ἑ τ έ ρ ω ν παράβαλλε.
Immo ὑφ' ἑκατέρων, nam ultima haec, de terra, sententia opponitur:
1° sententiae Stoicorum: „aër est primum frigidum”.
2° „ Stratonis Empedoclisque: „aqua est primum frigidum”.
De uno etiam loco ut dicam aliquid restat: est locus simul lepidissimus utilissimusque et vereor ut vulgo recte capiatur:

certe interpres Didotianus mihi metum illum non demit. Legimus ergo p. 946 C:

οἱ δὲ Στωικοὶ καὶ τὸ πνεῦμα λέγουσιν ἐν τοῖς σώμασι τῶν βρεφῶν τῇ περιψύξει στομοῦσθαι καὶ μεταβάλλον ἐκ φύσεως γίγνεσθαι ψυχήν.

Tota Stoicorum doctrina paucis illis verbis inest, certe egregie iis illustratur. Secundum Stoicos res inanimas nil nisi ἕξιν (quod vocabulum haud male Belgice vertas „hebbelijkheid" hoc sensu: vim habendi aliquid) accepisse, plantarum esse φύσιν, animalium (infantiumque) ψυχήν, denique hominum νοῦν, res satis nota est (v. Pearson Fragments of Zeno 43). Sed praeterea Stoici omnium philosophorum vel maxime sunt, ut nunc loquimur, „positivistae": spernunt fastidiuntque quidquid non est stabile firmumque et, paene dixerim, quidquid non potest tangi tenerique manibus, neque ulli unquam fuerunt philosophi quibus magis esset persuasum non θέσει sed φύσει sua sibi nomina res habere, in quovis nomine ipsam rei inesse naturam docent clamantque. Atqui „animalia" aiunt „infantesque modo nati nil nisi φύσιν habent et φύσις est id quod φύ . . ζει hoc est quod spirat (Belg. „iets dat φυ doet"); ea autem φύ-σις in infantibus frigore duratur acuiturque ferri instar atque sic fit ψυ-χή. (cf. *De comm. not.* 1077 A ubi Pl. ridet τὴν φύσιν ἐμφύσησιν οὖσαν et 1084 D. *De Stoic. rep.* 1053 A).

AQUA AN IGNIS UTILIOR.

Neque hanc quaestionem ad exitum perducit sed relinquit suspensam Plutarchus, atque hoc illud est cur hic libellus statim post illum *de primo frigido* sit positus, minime inepte, est enim eiusdem naturae. Fragmentum autem tantummodo superest, atque adeo — si libere licet quid sentiam declarare — nunquam maior hic fuisse videtur libellus (an liber?), sed sic post mortem Plutarchi in eius esse inventus scriniis. Ut nos legentes sic scribens Plutarchus satietate et fastidio est affectus, ita ut imperfectum relinqueret opus neque unquam eo rediret.

Critici generis nihil annoto. Neque enim novi quidquam mihi

in mentem venit, et eiusmodi sunt variae a viris doctis propositae lectiones ut facillima sit legentibus optio. Velut statim in initio ad verba

(sunt qui dicant ignem esse omnium rerum originem) καὶ οἷον σπέρμα τοῦτ' ἐξ ἑαυτοῦ τε πάντα ποιεῖν καὶ εἰς ἑαυτὸ ἐκλαμβάνειν

B. annotat: „ὑπολαμβάνειν R., non opus".

Quis non sentit hic doctum editorem, ut olim Wyttenbachium, nimio obloquendi Reiskio abreptum studio?

DE SOLLERTIA ANIMALIUM.

Dulcissimus hic suavissimusque liber, quo insigne dat specimen Plutarchus quantus sit scribendi artifex: non imitatur tantummodo Platonis dialogos sed et aemulatur atque adeo superare studet. Non enim uno est contentus dialogo sed duos nobis praebet qui tamen sub finem in unam competunt demonstrationem. Sed eiusmodi aliquid et in aliis haud paucis libris Plutarchus fecit, nullum autem scripsit qui et dispositione et elocutione huic tam similis esset quam Amatorius. Habentque duo hi libri et aliud quid inter se commune quod hactenus iacuisse neglectum satis mirari non possum, tam disertum est tantique pretii. In utroque enim libro loquens inducitur Autobulus quidam. Atque illum, quem in Amatorio habemus, Plutarchi esse filium demonstravi p. 455 sqq. Quodsi tunc erravi, id quod credere nullo modo possum, tamen fuisse Plutarcho filium, cui Autobulo nomen esset, pro certo constat (v. Q. Conv. L. IV Probl. 3 in ipso initio), Aristobulus vero qui in nostro libro primas partes agit quis est? Audiamus ipsum (964 D): (est et alia quaedam disputandi via) ἥν, Πλάτωνος ὑφηγουμένου, δείκνυσιν οὑμὸς υἱός, ὦ Σώκλαρε, σὸς δ' ἑταῖρος, τοῖς μὴ φιλομαχεῖν ἕπεσθαι δὲ καὶ μανθάνειν βουλομένοις. Quis, obsecro, ille est qui, *Platone duce*, novam quandam disputandi monstravit viam, qua non litigiosi ambulent homines sed ii qui se doceri cupiant? Quis praeter *ipsum Plutarchum* ita hic potuit et aliis omnibus monstrari et

Soclaro, quem Plutarchi fuisse amicum aequalemque haud semel testatur ipse? Vide Wytt. Anim. vol. VI, 1 p. 171

Lamprias
|
Autobulus
|
Lamprias, Plutarchus, Timo
|
Autobulus.

Nonne disertum hoc stemma, an ulli est obnoxium dubitationi?

Plenus rerum est liber noster, plenus artis varietatisque. Neque tamen mere sophisticum est opus quod delectet tantummodo legentem. Cum philosopho nobis res est qui et alia multa utilissima doceat et eos refutet adversarios, quos omnium minime ferre possit: Stoicos. Illorum antitheton λογικόν . . . ἄλογον ita affertur ut minime placuisse Plutarcho statim appareat. Et qui placere ei potuit rigidum istud atque adeo crudele dogma: „τὰ ἄλογα prorsus omni carent mente, ergo nulla inter ea hominesque intercedit ratio, neque quidquam obstat quominus homo animalibus ut lubet utatur"? Dira ista hodiernorum virorum doctorum et nefanda argumenta quibus demonstrare conantur doctrinae causa saevissimis afficere crucitatibus animalia licere abominatus esset Plutarchus . . . quid autem „esset"? Diserte declarat quae sua sit de eiusmodi rebus sententia: condemnat illos quoque qui formicarum dissecant nidos ut eorum cognoscant structuram (968 A). Et quorsum illa Stoicorum de animalibus sententia ducat lepide sic describit (961 E F) „nunc quidem animalia aiunt non meminisse, laetari, irasci sed quasi-meminisse et sim. At ne sensus quidem ullius sunt pretii ei qui prudenter iis uti nescit, ergo quasi-videre, gaudere, dolere atque adeo quasi-vivere iis animalia sunt dicenda."

Iidem (961 C) ἀποκναίειν legentes dicuntur i. e. fastidio taedioque afficere definitionibus suis, in eosdemque dirigitur mordax illud dictum: „ridiculum est Platonem Socratemque in eodem dicere pravitatis statu versari in quo vilissimum quodque versatur mancipium."

Chrysippus cum nominatur ludribrio habetur; delectatus ille fuisse videtur pinnotherae exemplo; bestiolam ergo istam noster (980 A) ait „plurimum Chrysippi atramenti absumsisse."

Neque minus turpiter se dat Cleanthes: aperte enim sibi obloquitur idque narrationum quae unquam sunt fictae excogitataeque absurdissima insulsissimaque: qui enim ratione carere animalia dixisset ultro tamquam oculatus testis se vidisse refert formicas ab alia formicorum gente civis cuiusdam sui corpus verme redemisse (967 E). Sunt omnino quaecunque venatores piscatores alii, quibus multus est animalium usus, de amicis illis suis narrare solent incredibilia et absurda, sed quod hic Stoicus ille nobis venditat revera insanum insulsumque est. Sic et in Luciani Philopseude quis ineptissima maximeque puerilia profert miracula? Philosophus Stoicus. Ergo et ex hoc Plutarchi libro res quaedam efficitur, quae ad totam illius temporis vitam melius cognoscendam permagni est momenti. Non odit philosophiam Stoicam Plutarchus, multa enim eaque gravissima cum Academica habet communia, sed Stoicos philosophos ferre non potest. Et cur non possit in promptu sst coniectura: quo quaeque est disciplina severior graviorque eo magis iure nostro eos qui profitentur illam aversamur si sua ipsi praecepta negligunt atque eo modo vivunt quo non vivendum esse clamare solent. Documento ergo hic Plutarchi liber est quae et alii et Lucianus turpia pudendaque de Stoicis tradant ex ipsa vita sumpta esse.

Sed de ratione quae inter Plutarchum et Stoicos intercedit alio, eoque, ut opinor, aptiore loco accuratius disputabimus. Nostrum vero librum, quamvis *πρὸς ἐπίδειξιν* et ingenii ostentandi causa scriptus videatur, tamen totum et conceptum et compositum esse ad Stoicos redarguendos luce clarius ex ultimis eius apparet verbis. Alterum enim quod nobis hic praebetur colloquium est de questione utrum terrestria an aquatilia animalia sagaciora sint; de qua postquam in utramque est partem disputatum, Soclaro dirimendae litis datur arbitrium. At ille: „iamdudum inter nos (me ceterosque auditores et iudices) constituimus id quod apud Sophoclem legitur" ait:

saepe ex oppositis apta res componitur

„si enim quae ab utraque parte dicta sunt coniunxeritis, unitis viribus splendidam reportabitis victoriam de illis philosophis qui ratione et mente animalia privarunt."

Nam cordi haec quaestio Plutarcho est, quia et ipse prudenter quidem sed toto pectore animalia amat neque ferre potest dura

et inhumana de iis Stoicorum iudicia, quorum quanta omnino sit inhumanitas ex illo de *ratione carentibus* animalibus dogmate vel maxime apparet.

Et, una illa Stoici narratione excepta, quam lepidae sunt suavesque ceterae omnes; statim sentis cum alias tum illam, quam Phaedimus refert, ipsi Plurarcho vehementer placuisse de Coerano Pario, qui cum in foro piscatorio delphinis attulisset salutem libertatemque, postea nave qua vehebatur fracta a delphino salvus in litus est vectus, atque, cum diem obiisset supremum, delphinis funus prosequentibus elatus.

De Sanctorum lenissimo illo mitissimoque tradi illud putes, et sunt quaecunque hic pro animalibus dicuntur disputanturque in eandem sententiam.

Sed nihil legentium animis commovendis aptius quam illud Dionis Borysthenitae dictum quod Plutarchi pater ita refert ut quin et ipsi et filio vehementer fuerit probatum dubitare possit nemo. De philosopho illo circumforaneo pauca in medium proferre haud abs re videtur.

Vulgo notus ille est versu Horatiano

ille Bioneis sermonibus et sale nigro

e quo hoc luce clarius apparet . . . sermonum illorum ne unum quidem verbum ab Horatio lectum esse unquam. Nam sat multa ex iis supersunt, sed sunt omnia quam lenissima placedissimaque. Qui ergo Horatio in mentem venit cum „sale nigro" eos comparare? Opinor quia ei innotuerat quomodo philosophus ipse Antigonum regem de suo genere edocuisset:

„pater meus" (sic eum narrantem facit Diogenes Laërtius IV, 7, 46) „libertinus erat et salsamentarius; cubito emungere solebat; pro vultu cicatricum habebat imaginem, duri servitii documentum; mater meretrix qualem tali viro nupsisse est consentaneum";

hoc, aio, innotuerat Horatio, sicut innotuerat omnibus, in quibus aliquid erat literarum, indoctis semidoctisque, a quibus de *ipsius Horatii* patre salsamentario qui et ipse cubito emungeret sparsum rumorem, quem servavit Suetonius, minime est mirandum. Neque hoc mirum Horatium illa sola cognita narratione in eum incidisse errorem ut hominem acerbissimum fellisque plenum fuisse Borysthenitam nostrum putaret. Nam *verba,* qui-

bus hic utitur, parum sunt urbana parumque pudica, sed id ipsum quod dicit rem bene considerantibus acerbitatis nihil habuisse videri debet. Quid enim? Ipse Diogenes Laertius addit ideo tali oratione Bionem ad regem usum esse quia cognovisset operam dare aulicos ut a regis ipsum convictu removerent docentes quam obscuro loco natus esset. Horum ergo columnias praevenire volebat rogatusque a rege *τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν κτέ.* respondit id quod modo e Diogene citavimus. Num hoc est „sale nigro'' uti? Immo suspicor propter unum illud responsum statim eum a rege inter intimos receptum amicos. Tum ne hoc quidem *mordacis* cynici videtur quod orationi limandae tam strenue dedit operam eamque tam lepide venusteque variavit ut Eratosthenes hoc de eo ferret iudicium: „primus Bio philosophiam florida induit veste'' [1]).

Magnum vero illud fragmentum quod nobis servavit Stobaeus (apud Mein. vol. I, 213) nihil habet quod non ab ipso potuerit scribi Plutarcho, tam sunt lenia omnia et plena mansuetudinis. Quid quod et hoc cum Chaeronensi commune habet Borysthenita quod nihili facit *ἀκρίβειαν* doctam, quotiescunque ea in re de qua agitur opus non est. Sic *Socratem* facit epoto poculo ultimas in terram iacientem guttas his verbis usum: „pulchro *Alcibiadi*''. „Theramenesne et Critias an Socrates et Alcibiades quid hic refert?'' philosophus ille rogat, de sola aegrorum suorum sollicitus salute, et „nihil'' respondisset Plutarchus si hunc locum legisset. Nam egregie probatus ille Plutarcho fuit, praesertim propter clementiam misericordiamque erga animalia. Hanc eius virtutem paucis illustrare lubet.

Anno 1907 kal. Dec. in diarïo c. t. Revue des deux Mondes pulcherrima legebatur Welchingeri disputatio de Iuliano Klatzkone, cuius poetae hic affertur locus de crudeliter illa oppressa Polonia, quem, item ut Welschinger, Gallice hic ponam:

„mon pays ressemble à ce pauvre oiseau dont parle un de nos poètes. Tour à tour relâché, puis ressaisi et cruellement torturé, il jette aux enfans, qui 's amusent de ses souffrances ce cri plaintif: enfants, vous jouez, et moi il 's agit de ma vie.''

---

1) *ἀνθινὰ ἐνέδυσε* in quibus verbis quae sit reprehensio contumeliaque nemo ignorat qui unquam Cnbeto est usus magistro; v. et O. Hense Teles p. LXX.

Nonne lepidissima haec sunt et eiusmodi ut ipsa lenitate et misericordia lacrimas eliciant legenti? Atqui idem illud in nostro legimus *de sollertia animalium* libro, sumptumque est a ...... Dione Borysthenita (965 A):

„animalium in arena spectaculis delectari crudele est, nam profecto non delectantur illa; atqui si quis ludere vult et animalibus delectari, ita ludat ut et illa capiant aliquid voluptatis, aut dignus est reprehensione qua quondam pueros castigavit Bio Borysthenita: lapidibus illi ranas petebant, at philosophus „nolite id facere, pueri", inquit „nam vos lapidibus iaciendis delectamini; bestiolae vero ipsae miserae non delectantur sed moriuntur."

Suum sibi habeat *sal nigrum* Bionis Horatius. Sed desinant tandem aliquando viri docti id facere quod nunc moris est ut quidquid lepidi et faceti apud Horatium legitur ad Bionem illum referant cuius nullam unquam ab Horatio lectam paginam, ut opinor, satis iam constat.

Admodum autem sincerus et integer — id quod ipsa annotatio critica luculenter docet — hic ad nos pervenit liber; ex illa nullo negotio peti possunt quaecunque in textum etiam sunt inferenda. Ipse de paucis locis pauca haec annoto:

959 C (Recitatum est venationis encomium, de quo et alia dicit et hoc Soclarus):

μάλιστα δ' ἥσθην τοὺς μονομάχους αὐτοῦ (auctor encomii significatur) *παραθέντος, ὡς οὐχ ἥκιστα τὴν θηρευτικὴν ἄξιον* (*ὂν*) *ἐπαινεῖν, ὅτι κτέ.*

Illud *ὂν* ego addidi, necessarium videtur.

959 E *ἐν Ἀθήναις πρῶτός τις ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀποθανὼν ἐπιτήδειος ἐλέχθη, καὶ δεύτερος ὁμοίως καὶ τρίτος.*

Locum varie tentatum tandem aliquando sanavit Naberus *ἀποθανεῖν* legendo.

960 B *ἐδόκει γάρ τι πραγματικῶς οἷον ἀντηχεῖν ἐκ τῆς Στοᾶς.*

Vocabuli *πραγματικῶς* sensum non assequor.

962 B (*ἡμίονοι*) *αἰδοῖα καὶ μήτρας καὶ τὸ χρῆσθαι μεθ' ἡδονῆς τούτοις ἔχουσαι πρὸς τὸ τέλος οὐκ ἐξικνοῦνται τῆς γενέσεως.*

Immo *γεννήσεως*. Coeunt, sed nihil procreant.

963 F Stoici et Peripatetici πρὸς τοὐναντίον ἐντείνονται τῷ λόγῳ, (ὡς) τῆς δικαιοσύνης ... παντάπασιν ἀσυστάτου καὶ ἀνυπάρκτου γιγνομένης (si omnia animalia rationem habent).

Istud ὡς mihi inserendum videtur.

965 A ἵππων ὄνων τ' ὀχεῖα καὶ ταύρων γονάς,
ὧν ὁ Αἰσχύλου Προμηθεύς „δοῦναι" φησὶν ἡμῖν
ἀντίδουλα καὶ πόνων ἐκδέκτορα."

Bene haec cohaerebunt si ἃ pro ὧν lectum erit.

965 C „δαήμονας" ἄγρας ὡς Ὅμηρος ἔφη.

Suspicor αἵμονας esse legendum secundum illud αἵμονα θήρης Il. V, 49.

965 F ὅσα ... διαπονοῦσι(ν ἐν) τοῖς πρὸς λάβρακας ... ἀγῶσιν.

Sic supplendus locus. Recte interpres: „inest in certaminibus".

966 F Longam hanc sententiam „construendo" sibi B. explicare videtur. Ego misere a librariis perturbatem censeo, sed quomodo in integrum sit restituenda non video.

971 D Perdices rapacium avium impetum a pullis in semet ipsas convertunt μέχρι ἂν οὕτως ἁλισκομένων δόξαν ἐνδιδοῦσαι, μακρὰν ἀποσπάσωσι τῶν νεοττῶν.

Egregie locum corruptum emendavit Naberus ὅσον οὔπω legendo pro οὕτως.

972 E Serpens mulierem deperibat, ideo μετῴκισαν οἱ προσοικοῦντες ἀπωτέρω τὴν ἄνθρωπον.

Quo iure, quid eorum intererat, quidni (ut fieri solet) alio commigrarunt ipsi? Quo magis locum consideras eo magis ridiculi isti vicini fiunt, qui agmine facto (nam haud paucos eos fuisse opinor) unam mulierem transferunt. Lege, ne quisquam suo spolietur iure: οἱ προσήκοντες, agnati et gentiles.

979 D τῆς γεράνου σοφὸν ἡ τοῦ λίθου περίδραξις, ὅπως προϊεμένη πυκνὸν ἐξυπνίζηται.

Bilem movet editor annotans: „πυκνόν. πρὸς τὸν κτύπον R.

non opus'". Sicine ingeniosissimas certissimasque reiici emendationes!

985 A Coeranus ille Parius, cui delphini salutem attulerunt ἔπλει πεντηκόντορον ἔχων, ὥς φασι, λῃστῶν ἄνδρας ἄγουσαν.

Absurda haec et deest id ipsum quod requiritur: *quantus* fuerit navigantium numerus, et is quidem numerus hic est ponendus quem et commemorat Archilochus in versu mox citando:

πεντήκοντ' ἀνδρῶν λίπε Κοίρανον ἤπιος Ποσειδῶν.

Sed quomodo illud fiat nescio. Naberus coniecit: ἔπλει πεντηκόντορον ἔχων, ὥς φασι, λῃστῶν πεντήκοντα γέμουσαν. Parum probabiliter. Equidem lubenter hic *praedonibus* istis caream.

BRUTA RATIONE UTI.

Titulo tenus libro *de sollertia animalium* cognatus est hic dialogus, praeterea quam maxima est inter illos discrepantia. Illic venuste quidem et suaviter, simul tamen prudenter docteque certa quaedam petitur philosophia, quodque illius refutatur dogma in tota quidem compage parvum tenet locum, est tamen eiusmodi ut qualis illa philosophia sit, quam dura, aspera, crudelis, inde vel luculentissime appareat. At nihil ex hoc genere noster habet dialogus: nullum est eius certum consilium, nisi fortasse hoc ut intelligatur ab eleganti, venusto, docto scriptore eum esse compositum — docto, aio, eo fere sensu quo a cantoribus Euphorionis, quique eos sunt secuti, plerumque illud adiectivum ponitur. Bruta uti ratione demonstratur dialogo inter Ulyssem unumque ex iis quos Circe in porcos convertit Gryllum. Iam nomen illud lepide est inventum: deductum est a syllaba qua sonus quem porci edunt significari solet: Hunc ergo Ulysses, permittente Circe, ad pristinam vult reducere conditionem, at „noli, obsecro te", Gryllus exclamat „id facere", demonstratque porcum homine multo esse feliciorem sapientiorem, meliorem. Quid lector ex illa demonstratione, quamvis sit lepida festivaque, discere possit non video nisi hoc quod dicebam, auctorem esse

scribendi artificem, literarum peritissimum. Fragmentum ad nos totius libri pervenit, qui eo ipso abrumpitur loco ubi ad quaestionem gravissimam, sitne quaedam animalium pietas, est perventum. Sed quae praecedunt non sunt eiusmodi ut de illa ipsa quaestione gravissima admodum graviter esse disputatum credere possimus. Quid quod in ea parte, quae superest, vitium quoddam disputandi deprehenditur quod a disputatione philosophica cum sit alienissimum egregie libellum deceat, qui tantummodo delectandi causa sit scriptus editusque. Est illud huiusmodi — quo magis appareat quale illud sit vitium totum locum, ubi deprehenditur in duas partes divisum hic referam —:

1 Animalia non carere ratione (sic Gryllus disputat) inde luculentur apparet quod alia animalia stulta dicuntur, alia sagacia, quod non fieret nisi *aliquid* certe rationis utraque habere censerentur. Rectissime hactenus et *λογικώτατα*. Tum sic pergit: „vulpem compara cum ove, asinum cum ape"; aptissima haec sunt exempla, neque minus ad rem videtur appositum quod statim additur: „videberis tibi cum Polyphemo temet ipsum vel cum Coroebo Autolycum comparare".

At nunc subito de logica actum est, haec enim sequuntur:

2 Non enim credo tantam esse inter animal animalque discrepantiam quanta inter hominem hominemque est quod ad cogitandi ratiocinandi reminiscendi pertinet facultatem.

Ergo: priore parte *magnopere* inter se animalia differre ratione demonstratur, altera *parvam* eam esse discrepantiam.

Immanis hic foret error si in libro *docendi* causa scripto esset commissus, in hoc dialogo vix observatur ab eo qui ita eum legit ut legi voluit auctor, ab eo dico qui nil nisi delectationem inde petit. Nam inest quidem aliquid quod moribus emendandis haud sit inutile: „sapientiora, continentiora, pudiciora sunt animalia quam tu nepos, ganeo, impudice" sic alloqui potest corrector auditores suos, at non illam sententiam ita exornabit ut ipsi in risum auditores erumpant.

Neque plane omnis deest philosophia. „Hominum de vulgo fortitudo parvi est pretii: est enim prudens quaedam ignavia". Haec legentes Platonici Lachetis in memoriam redimus, non tamen illius nobis Plutarchi videntur qui Platonem tamquam deum coluit, quique a sui temporis hominibus omnium Plato-

nicorum facile princeps est existimatus. Neque iam tam diu et tam strenue philosophiae Stoicae dedit operam ut — omnes Stoicos aversaretur; nam tangit quaestionem et a Stoicis tractatam atque ita tractatam ut omnis eorum duritas crudelitasque vel maxime inde prodiret in lucem, sed nunc de Stoa eiusque philosphis non cogitat; si cogitasset, totam rem accuratius doctiusque pertractasset.

Denique *sophistici* generis hoc est colloquium, quod si senior iam Plutarchus finxit exornavitque, a gravioribus studiis laboribusque tunc paulisper requievit. Sed multo magis in eam inclino sententiam ut a iuniore, atque adeo adolescentulo Plutarcho conscriptum statuam qui eiusmodi opellis recitandis famam victumque quaereret [1]). Et hoc fortasse et alibi recitavit sed certe in sua patria. Legimus enim p. 988 A primum de Sphinge *Thebana*, tum de vulpe *Teumesia*, deinde haec adduntur:

καὶ πλησίον ὄφιν τῷ Ἀπόλλωνι περὶ τοῦ χρηστηρίου μονομαχοῦσαν ἐν Δελφοῖς γενέσθαι λέγουσι.

Locum, unde Thebarum Teumessique ratione habita oraculum Delphicum *prope* abesse dicitur, quidni ipsam Chaeroneam esse putemus?

Sed quocunque consilio, tempore, loco dialogus a Plutarcho scriptus est, tam mihi est visus lepidus, venustus, hodiernis hominibus aptus ut eum totum (excepto loco ubi castis auribus nimis porcina videri debet Grylli oratio) quam elegantissime potui verterim in libro veracule scripto (secundae editionis vol. I p. 366 sqq.). Quae mihi et tunc et nunc denuo quam accuratissime Platarchi verba perpendenti in mentem venerunt haec fere sunt:

985 D „Libenter e te, Circe, audiverim" Ulysses ait

εἴ τινας ἔχεις Ἕλληνας ἐν τούτοις οὓς λύκους καὶ λέοντας ἐξ ἀνθρώπων πεποίηκας.

Post *τινας* aut *ἔτι* excidit aut *ἔτ' ἄλλους*, quemadmodum e toto contextu apparet et maxime e 986 A, ubi Circe sic loquitur: *ἱκανὸν ἔστω σοι περὶ σεαυτοῦ καὶ τῶν φίλων κακῶς βεβουλεῦσθαι.* Nam Circe iudice Ulysses de se male consuluit quod bestia fieri noluerit, de amicis quod iis hominum reddiderit formam.

---

1) Idem et Hirzelius statuit in nobili *de Dialogo* libro.

986 A Sic Circe Ulyssem tamquam stupidissimum reprehendit: *ἐπὶ γυναῖκα θνητήν, ὡς δ' ἐγώ Φημι, καὶ γραῦν ἤδη διὰ μυρίων ἔτι κακῶν σπεύσεις, ὡς δὴ περίβλεπτος ἐκ τούτου καὶ ὀνομαστὸς ἔτι μᾶλλον ἢ νῦν γενόμενος.*

Admodum duplex *ἔτι* displicet, prius sine sententiae damno abesse potest. Sed pro *γενόμενος* utique *γενησόμενος* est legendum. Quid paulo ante Benselerus sibi voluerit pro sanissimo *ὡς συμφορά ἐστι* reponens *εἰ σύμφορόν ἐστι* non assequor. An hiatus metus eum ad absurda probanda compulit?

986 E Mirabundus Gryllum porci vita laetantem Ulysses rogat: *ἢ σε τις αὖ συνηθείας ἡνονὴ πρὸς τόδε τὸ σῶμα καταγεγοητευκεν;*

Consuetudo efficere potuit ut Gryllus aequi bonique illam formam consuleret, non ipsa illam et dedit et *συνηθείας ἡδονή* nihili est. Deleto *αὖ* legendum censeo *συηνίας ἡδονή* cf. 988 F *ἐκ τῆς συηνίας*, ut hoc Ulysses dicat: „an non in porcum te convertit Circe, sed ipsa tua porcina indoles qua delectabaris?"

987 A „Utram terram magis laudas, Cyclopumne an tuam?" Gryllus Ulyssem rogat, additque: *καὶ ὅπως οὐ χαλεπῶς οἴσεις, παρὰ τὸ Φαινόμενον εὐνοίᾳ τῆς πατρίδος ἀποκρινόμενος.*

Mire hic (hiatusne vitandi causa?) sunt disposita vocabula; sensus enim est: „moleste ferre noli si mihi respondes contra id quod tibi propter patriae amorem videtur."

987 C *ὄνομα τῇ πανουργίᾳ προστίθης τῆς ἀρετῆς ἥκιστα πανουργίαν προσιεμένης.*

Leni transpositione *ἀρετῆς τῆς* lege: „tu (cum ceteris hominibus) calliditati nomen das eius virtutis quae a calliditate est quam remotissima (fortitudinis)."

987 D Multorum animalium morientium fortitudo in extremam recedit corporis particulam ibique *πηδᾷ καὶ ἀγανακτεῖ.*

Acute Naberus *π. κ. ἀκταίνει.* Sed *ἀγανακτεῖ* bene cum praecenti *ἀνθίσταται τῷ κτείνοντι* coniungitur.

987 E Animalium quae viva ab hominibus capiuntur *τὰ μὲν ἤδη τέλεια καὶ τροφὴν ἀπωσάμενα καὶ πρὸς δίψαν ἐγκαρτερήσαντα τὸν πρὸ δουλείας ἀσπάζεται καὶ ἀγαπᾷ θάνατον.*

Rectissime hic B. *ἀσπάζεται* pro *ἐπάγεται* legit. Deleatur praeterea primum *καί*.

989 A *ἐπτόηται*. Structura postulat ut cum W. *ἐπτοῆσθαι* legamus.

989 B *τῆς μὲν σωφροσύνης ὅρον θέμενος κατὰ γένος, (κατ' εἴδη) δὲ τὰς ἐπιθυμίας διελόμενος.*

Sic optime R. supplet.

In sequentibus probo Bernardakii lectionem: *καὶ τούτων αἱ μὲν περὶ τὴν βρῶσιν καὶ τὴν πόσιν* (sc. *ἐπιθυμίαι*) *ἅμα τῷ φυσικῷ καὶ τὸ ἀναγκαῖον ἔχουσιν.* Tum e ci. Useneri sequatur: *ἄλλαις δὲ ἀρχὰς ἡ φύσις ἐνδίδωσιν.*

Ulyssi sic Gryllus narrat quo fuerit animo cum primum eum conspiceret:

989 E *ὥς σε μέμνημαι ἐν Κρήτῃ θεασάμενος ... οὐ τὴν φρόνησιν ἐζήλουν ... ἀλλὰ τῆς χιτῶνος ... τὴν λεπτότητα κτέ.*

Transponatur *ὡς* ut legatur *σε μέμνημαι ... ὡς οὐ τὴν φρόνησιν ἐζήλουν κτέ.*

Tum (989 F) haec addit: *τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἐπεισάκτων ἐπιθυμιῶν οὐδεμία ταῖς ἡμετέραις ἐνοικίζεται ψυχαῖς.*

Vocabulis *τὰ τοιαῦτα* quid faciam nescio; B. coniicit *ταῦτα μὲν δὴ τοιαῦτα· τῶν δ' ἐπεισάκτων κτέ.* sed nullus potuit excogitari ab illa narratione ad ceteram disputationem ineptior transitus.

990 B Nobis, ait Gryllus, odoratus utilissimus est: eo enim iam antequam quidquam gustemus cibos corpori nostro nocentes deprehendimus; *τἆλλα δ' οὐκ ἐνοχλεῖ καθάπερ ὑμῖν, τὰ θυμιάματα καὶ κινάμωμα ... συνάγειν εἰς ταὐτο καὶ συμφαγεῖν ἀναγκάζουσα.*

Lenissima emendatione haec B. in integrum restituit pro *συμφαγεῖν* legens *συμφύρειν*. W. plura est molitus sed minus feliciter. Quod autem Gryllus dicit homines omnes illos odores

commiscere *μετὰ δεινῆς τινὸς καὶ δευσοποιοῦ Φαρμακίδος τέχνης, ἢ μυρεψικῆς ὄνομα* nescio an *Φαρμακίδος* sit annotatio ad *δευσοποιοῦ*, vocem insolitam ... estque hic parum apte positam: de *coloribus* enim recte adhibetur estque oppositum *τῷ ἐξίτηλον*. Vide lepidum Diphili fragmentum apud Meinekium IV p. 410:

ἀγαθὸς βαΦεὺς ἔνεστιν ἐν τῷ παιδίῳ·
ταυτὶ γὰρ ἡμῖν δευσοποιὰ παντελῶς
τὰ σπάργαν᾽ ἀποδέδειχεν.

Denique aut *μυρεψική* legendum aut hiatus vitandi causa praeter Atticum morem hic Plutarchus locutus est.

990 F *τὰ δ᾽ ἐν ὑμῖν* (hominibus) *ἀκόλαστα ... ὥσπερ ὑπὸ ῥεύματος ἐκΦερόμενα πολλαχοῦ.*

Aut *πολλαχόσε* legendum aut *πολλάκις* quod cum sequentibus iungatur, aut *πολλαχοῦ* una litura est delendum, quo facto nil desiderabimus.

991 C Carne homo vescitur, nulla necessitate coactus *ᾧ πάρεστιν ἀεὶ καθ᾽ ὥραν ἄλλα ἐπ᾽ ἄλλοις ἀπὸ Φυτῶν καὶ σπερμάτων τρυγῶντι καὶ λαμβάνοντι καὶ δρεπομένῳ μὴ κάμνειν διὰ πλῆθος.*

Haud dubie negationi hic nullus locus, tanta enim est copia frugum fructuumque ut metendo carpendoque defetigetur homo. R. *μονονοὺ κάμνειν*, sed praestat *μή* expungere. Pro languidissimo isto *λαμβάνοντι* aliud quid requiritur. Ecquid *κάμῶντι*, quod facile in *κάβῶντι* et *κάβόντι* abire potuit et perversam parere correctionem *καὶ λαμβάνοντι.*

992 A Deleatur inepta ista virgula post *ἀρετῆς* ut mens animalium dicatur vigore virtutis quam a natura accepit missam facere omnem doctrinam. Sequitur:

ὅσα γοῦν ἄνθρωποι τρυΦῶντες ἢ παίζοντες εἰς τὸ μανθάνειν καὶ μελετᾶν ἄγουσι, τούτων ἡ (θηρίων) διάνοια ... περιουσίᾳ συνέσεως ἀναλαμβάνει τὰς μαθήσεις.

Necessarium supplementum. Sed et pro *ἄγουσι*, quod plane sensu caret, legendum *συνάγουσι*, quemadmodum modo omnem doctrinam lepide apteque appellavit *παρ᾽ ἑτέρων συνερανισμόν*. Ante *περιουσίᾳ* legitur etiam *καί*, quod delendum esse sponte apparet.

ib. *ἐῶ γὰρ ἰχνεύειν σκύλακας καὶ βαδίζειν ἐν ῥυθμῷ πώλους μελετῶντας, ἀλλὰ κόρακας διαλέγεσθαι κτέ.*

Pro *ἀλλά* legatur *καί*, nam quae *opponuntur* a verbis *ἵπποι δὲ καί* incipiunt.

992 B *ἐπίδειξιν εἰς ἄλλο οὐδὲν οὐδαμῶς χρήσιμον ἔχουσαν.* Sic legendum cum W. Misere structuram sententiamque perturbavit librarius qui primus *ἔχουσιν* dedit.

ib. dicuntur perdices pullos docere *προΐσχεσθαι βῶλον ἀνθ' ἑαυτῶν*, absurde. B. *ἄνω ἑαυτῶν* quod vix Graecum videtur. Equidem totum istud *ἀνθ' ἑαυτῶν* deleverim, nam *προΐσχεσθαι βῶλον τοῖς ποσὶν ὑπτίους ἀναπεσόντας* plenum est perfectumque et quid semibarbarus grammaticus suo additamento voluerit est perspicuum. Satis ridicule cum illo *ἀποκρύπτεσθαι καὶ προΐσχεσθαι* interpres iungit praecedens *ἐν τῷ προφεύγειν* quod cum *ἐθίζουσι* iungendum est: periculo appropinquante parentes fugiunt, pullos *μηδέπω φεύγειν δυναμένους* (de soll. an. p. 971 C) hanc fraudem docent; est ergo *ἐν τῷ προφεύγειν* fere: „cum ipsis fugiendum est".

DE ESU CARNIUM.

Medium quodammodo hae oratiunculae locum tenent inter „sophisticum" et „philosophicum" genus, sed neutri horum quidquam addunt decoris. Non tamen dubito quin sint Plutarchi: auctorem iam tria illa produnt verba (995 E) *τοὺς Βοιωτοὺς ἡμᾶς*, sed multo ille fit manifestior longiore loco sub finem orationis secundae (998 F usque ad *ἐξελαύνοντες* 999 B), ubi primum clementis illius mitisque animalium amici et fautoris audimus vocem, deinde paulo acriorem illum agnoscimus Stoicorum inimicum sic declamantem: „quae est ista ratio omnes proscribere voluptates deliciasque et tam pertinaciter *τὴν σαρκοφαγίαν* defendere? At enim nil nobis commune cum animalibus. Quid ergo commune cum unguentis condimentisque exoticis?" Sed

quamvis breves sint oratiunculae, tamen taedium obrepit legentem et haec causa est cur critici generis annotem nihil: nam mutilae quidem corruptaeque ad nos pervenerunt sed difficile est in locis laceris depravatisque ipsa scriptoris praestare verba, ita languent frigentque omnia. At quid *fere* sibi scriptor voluerit etiam illic satis bene apparet. Et dummodo ne lector aurem praebeat annotationibus qualis haec est editoris (ad verba 995 A: non est homini κοιλίας εὐτονία καὶ πνεύματος θερμότης, τρέψαι καὶ κατεργάσασθαι δυνατὴ τὸ βαρὺ καὶ κρεῶδες):

„τρέψαι] πέψαι Cobetus, non opus"

apparatus criticus ne iusto diutius haereat efficiet. Nam omnia qui cum pulvisculo excutere velit operam perdat.

PLATONICAE QUAESTIONES.

Breves sunt hae disputatiunculae: coniunctae vix 35 paginas implent Teubnerianas, sed quo sunt breviores eo disertius nobis praebent documentum quanta inter aequales floruerit propter studia sua Platonica Plutarchus fama. Atque ipsa earum oratio scriptorem decet probe sibi conscium de Platone quidquid scripserit toto imperio Romano ab hominibus literatis et discendi cupidis sedulo emptum iri lectitatumque; quae res bene pensitata considerataque quomodo utilis esse posset ad melius antiquorum hominum, qui quidem philosophiae aliisque studiis se dedissent, cognoscendam vitam saepius iam dixi. Nos quoque qui Platonem legentes in rebus diversissimis ab iis quas Plutarchus tractat subsistere et haerere solemus, tamen minime eius contemnimus observatiunculas: immo magnopere iis delectamur non quod nobis ad Platonem melius cognoscendum tam sint utiles, sed quia quavis sentimus pagina haec omnia ab eo scripta esse qui summum suum magistrum penitus habeat cognitum, colat veneretur, quique de eo cum omnibus hominibus, in quacunque orbis tarrarum parte vivant, ita et velit et possit confabulari tamquam si inter dulcissimos illos suos sedeat amicos, simul et sapientiae et hilaritatis cupidissimos. Quod quo melius etiam iis qui Graece nescirent fieret perspicuum, earum lepidissimam

iucundissimamque — illam dico qua demonstratur recte Platoni orationem e verbis et nominibus constare visam esse — vernacule versam praeterea disputatiuncula quadam mea sum illustrare conatus, e qua nunc haec, ne doctis quidem philologis, ut opinor, plane spernenda protraho.

Dicebam ergo et nunc dico neque ei qui Platoni dat operam neque hodierno grammatico multum illud caput afferre utilitatis; sed ipsum Plutarchum qui ab omni parte cognoscere cupit in tota Chaeronensis vita insignem illud tenere locum facile sentiet. Habemus enim hic philosophum qui nullis tractandis quaestionibus magis delectetur quam iis quae ad *grammaticam* pertineant artem. Neque mirum id nobis videri potest recordantibus, id quod toties tam diserte declarat Plutarchus, verum philosophum simul et *puerorum* esse *magistrum*, ipsique Plutarcho illam quotidiani sui laboris partem semper vel maximi visam esse momenti et summae plenissimam iucunditatis. Quod reputantes libenter concedemus ea hic observari quae sint utilissima ad adolescentes Homeri amore implendos aptissimeque iis incitari illos ut poeseos patri strenue et ipsi dent operam sibique quam accuratissimam eius comparent notitiam.

Ita enim hic Homerus tractatur ut artificia nobis illa veniant in mentem quae nostrae Sacrae scripturae adhibere patres nostri solebant quaestionesque quae de illa olim saepe solvendae virginibus puerisque proponebantur. Et fuit Homerus antiquorum scriptura sacra. Ergo Plutarchus unum ex Homeri libro primo versum afferens in quo omnia legantur *orationis membra*, quae dicuntur, discipulos suos apte ut et alios in Iliade Odysseaque eiusmodi conquirant hexametros adhortatur. Cumque simul lepide prudenterque coniunctiones non esse orationis membra quam maxime idoneo hoc docet argumento quod *omittendis* coniunctionibus saepe venustior robustiorque fiat oratio, credibile est illos bonae spei adolescentulos sedulo suum pervolvisse Homerum ut nova inde afferrent argumenta. Neque minus faceta et ingeniis acuendis accommodata haec est demonstratio: „de *verbis* (h. e. de verbis quae stricto sic nominantur sensu) non vero de coniunctionibus dolorem afferentibus Homerus interdum loquitur: apparet ergo non coniunctiones suam sibi vim praebere sententiis", vel illa: „si propter orationem aliquem scriptorem lauda-

mus, *nomina* et *verba* ab eo bene electa dicimus, alia hic nominare orationis membra absurdum foret, quae res documento est alia illa membra parvi esse in oratione momenti"; lubentius, ut opinor, postea Iliadem Odysseamque cum pulvisculo excusserunt qui a tali magistro quo modo illae essent legendae didicissent. Et quod in uno capite illo tam nobis videtur laudabile, id in ceteris quoque omnibus observamus: legentem delectant detinentque et, si non multa scitu digna eum *docent*, ut in legendo studendoque mentem habeat intentam vigilemque aliquatenus efficere possunt omnia.

Sed unum etiam locum e capite de *verbis* et *nominibus* protrahere operae pretium videtur, quoniam ex illo melius quam ex aliis, quos multos iam ad eam rem demonstrandam attuli, cognoscimus, quam parum *in sermone Latino* Plutarchus profecerit. „Sermone Romanorum" ait „tantum non (*ὁμοῦ τι*) omnes utuntur mortales". Lubenter credimus, sed non omnes apte et eleganter eo usos ipse Chaeronensis disertissimum praebet exemplum atque eiusmodi ut eum in colloquiis cum Sossio Senecione, Mestrio Floro aliisque Romanis amplissimis *suo* esse usum sermone facile intelligamus, aut saepe iocosissimum in modum iis evenit quod turrem Babylonicam aedificantibus accidisse legimus. „Articulo carent Romani" ait, rectissime, sed addit: „et vix unquam utuntur praepositionibus". Ridiculus, hercle, error iste, sed unde natus sit non opus est diu quaeramus. Permultas vidit Plutarchus tabulas, leges, aliaque ex eo genere documenta Latina, ubi in qua *urbe* factum sit aliquid, e qua aliquis venerit, in quam sit profectus solo casu significaretur, atque inde effecit ita et in communibus fieri solere nominibus. Sic ex una illa sententiola luce clarius apparet eum fuisse Plutarchum qui aut nesciret aut oblivisci posset inter *vendere* et *emere* quid interesset.

Ad singulos *Platonicarum Quaestionum* locos haec annoto:

999 D „*Deus* me obstetricis munere in aliis fungi iubet, ipsum gignere vetat" ait Socrates, rogatque Plutarchus cur hic *Dei* sit nomine Socrates usus: *οὐ γὰρ* ait *εἰρωνευόμενός γε καὶ παίζων προσεχρήσατο ἂν τῷ τοῦ θεοῦ ὀνόματι.*

Facessat hinc istud *ἄν*, est enim sententia: nam quod Dei utitur nomine profecto non risus captandi causa id facit.

999 E *πότερον οὖν τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ὡς κριτικωτέραν ἢ γονιμωτέραν οὖσαν θεὸν προσεῖπε;*

Aut deleatur *ὡς* aut post *οὖσαν* transponatur. Primarium sententiae est: „nomine *deo* suam significavit naturam" cui tum *non rationis reddendae* sed amplificandi causa addit *κ. ἢ. γ. οὖσαν.* Non ideo suam indolem deum vocat quod sit magis *κ.* quam *γ.*

1000 A *ἡ γὰρ λεγομένη τέκνων δικαιοτάτη διανομὴ πρὸς λόγους ἐστὶν ἀδικωτάτη.*

Ista *liberorum divisio* quorsum spectet non video.

1001 A *ἢ διαφέρει πατήρ τε ποιητοῦ καὶ γεννήσεως ποίησις; ὡς γὰρ τὸ γεγεννημένον καὶ πεποίηται, οὐ μὴν ἀνάπαλιν, οὕτως ὁ γεννήσας καὶ πεποίηκεν.*

Post haec repetenda esse verba *οὐ μὴν ἀνάπαλιν* perspexit M. Quem sensum loco citato inesse putet editor qui illa verba non bis posuit scire pervelim.

1001 B *σῶμα . . . οὐκ ἐγέννησε θεὸς ἀλλὰ τῆς ὕλης παρασχομένης ἐμόρφωσε καὶ συνήρμοσε.*

In *παρασχομένης* haereo; non enim video quomodo materia dici possit *praebere* corpus: ipsa corpus est.

1001 C Primum divisit *τὸ πᾶν* in duas partes, deinde in binas utramque atque *περὶ τὰ πάντα ποιήσας* omnibus suam sibi assignavit opus.

Verba graeca sensu cassa; W. quod solum hic legi *potest* restituit *περὶ τά* mutando in *τέτταρα.* Editor malle se declarat *μέρη δ'* (l. *μέρη δ'*), sed *μέρη τέτταρα πάντα* languet.

1001 E *σῶμα τῇ ὕλῃ μὲν ἄπειρον, αἰσθητὸν δὲ γιγνόμενον, ὅταν ὁρισθῇ μετοχῇ τοῦ νοητοῦ.*

Egregie editor *γίγνεται μόνον* pro *γιγνόμενον.*

1002 C *τὰ σώματα αὐτῇ περιεκάλυψεν.*

Contraria haec sunt proxime praecedentibus: *τὴν ψυχὴν εἰς τὸ μέσον θείς.* Quapropter iure, u. o., editor coniecit: *τῷ σώματι αὐτὴν περιεκάλυψεν.*

1002 D τὸ ἀσώματον dicitur esse ἁπλοῦν καὶ εἰλικρινὲς καὶ καθαρὸν ἁπάσης στερεότητος καὶ διαφορᾶς.

Pro sensu casso στερεότητος X apte στερήσεως reposuit.

1003 F ἡ μονὰς τρίγωνός ἐστι· πᾶς γὰρ τρίγωνος ἀριθμὸς ὀκτάκις γενόμενος καὶ μονάδα προσλαβὼν γίγνεται τετράγωνος.

$3 \times 8 + 1 = 5^2$, ergo ἡ μονὰς τετράγωνός ἐστι, quadrati habet naturam.

1004 C τὸ δ' ὄντως σφαιροειδὲς οὐκ ἔστιν αἰσθητοῦ σώματος ἀλλὰ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ νοῦ στοιχεῖον, οἷς καὶ τὴν κυκλοφορικὴν κίνησιν ὡς προσήκουσαν κατὰ φύσιν ἀποδίδωσιν.

Utrum verbi ἀποδίδωσιν subiectum est τὸ σφαιροειδές an ὁ θεός subaudiendum?

1004 F ἀὴρ ὁ ἔμπροσθεν ὑποχωρεῖ (ὁ δ' ὄπισθεν ἐπιχωρεῖ) ... καὶ ἀναπιέζων ἅμα συνεκθλίβει τὸ ὑγρὸν εἰς τὴν σικύαν.

Nunc omnia perspicua: supplementum est Wyttenbachii, ἀναπιέζων Emperii pro ἀναζέων, ad quod editor de more annotat: „vulgata praestat". Quem ergo sensum illa habet?

1005 D εἰλυσπᾶν δ' οὕτως ὑπὸ τοῦ Πλάτωνος.

Pro absurdo isto εἰλυσπᾶν δ' οὕτως editor coniicit: ἐλύετο δ' ἂν οὕτως, quod ad verbum, recte, nam revera λύσις sequitur. Sed istum „irrealem" non probo.

1005 F φέρονται θᾶττον ... ἴεται.

Interpres ad sensum recte ultimum vocabulum „tardius meant" vertit. Sed qui possint φέρεσθαι θᾶττον et ἴεσθαι inter se opponi non video.

1006 A ὃν τρόπον ὁμοιοῦσι τοὺς φθόγγους.

L. cum Nogarola ὃν τρόπον ὁμολογοῦσιν οἱ φθόγγοι.

1006 C ἔδει τὴν γῆν „ἰλλομένην περὶ τὸν διὰ πάντων πόλον τεταμένον" μὴ [μεμηχανῆσθαι] συνεχομένην καὶ μένουσαν, ἀλλὰ στρεφομένην καὶ ἀνειλουμένην νοεῖν.

Deleatur vox inclusa.

1006 F *ὑφορᾶσθαι* de argumento dictum quod tibi contra aliquam sententiam in mentem venit et hic habes et *de primo frigido* c. II in.

1007 B Pythagoras rogatus quid tempus esset *τὴν τούτου ψυχήν* dixit.

Praeclare Turnebus *τὴν τοὐρανοῦ ψυχήν*. Quousque tam certae emendationes textu arcebuntur?

ib. Tempus dat motum, ordinem, symmetriam; *μᾶλλον δὲ κίνησις οὖσα καὶ τάξις αὔτη καὶ συμμετρία χρόνος καλεῖται.*

Pro *αὐτή* legatur *αὐτή*, non dat sed est ipsum.

1007 C Motus erat sed tempus non erat, ergo motus erat indeterminatus ut et materiae indigesta moles *ἐπικλύσασα δ' ἐν χρόᾳ καὶ καταβαλοῦσα τὴν μέν ὕλην σχήμασι τὴν δὲ κίνησιν πε-περιόδοις, τὴν μὲν κόσμον ἅμα τὴν δὲ χρόνον ἐποίησε.*

Egregie huc *τὴν Μοῖραν* introduxit Emp. et *καταβαλοῦσα* mutavit in *καταλαβοῦσα* (*ἐπικλύσασα δὲ Μοῖρα καὶ καταλαβοῦσα*), sed miror quod *ἐπικλύσασα* reliquit intactum. Et abesse istud *ἅμα* malim.

1007 E A capitis initio removeatur praepositio *περί*. Est enim *τῶν τῆς ψυχῆς δυνάμεων* genitivus pendens a sequenti *τήν*.

1008 C *τῶν δ' ἵππων κτέ.* Locum hunc misere turbatum in ordinem redegisse editor videtur.

1009 B *μεσότητας ... ἃς ἱερὰς καλοῦσιν οὐσίας.*

Egregie Emp. *καὶ ὁσίας.*

ib. *ἡ τοῦ λόγου δύναμις ἀντιλαμβανομένη κινουμένων ἀλόγως τῶν παθῶν καὶ συναρμόττουσα περὶ αὑτὴν εἰς τὸ μέτριον ἐλλείψεως καὶ ὑπερβολῆς μεσότητα καθίστησι.*

Sciolo redde *τὸ μέτριον*, sanum sensum Plutarchi verbis reddiderit.

ib. *διὰ τί Πλάτων εἶπε τὸν λόγον ἐξ ὀνομάτων καὶ ῥημάτων*

κεράννυσθαι; δοκεῖ γὰρ πάντα πλὴν δυοῖν τούτων τὰ μέρη τοῦ λόγου μηθέν, Ὅμηρον δὲ καὶ νεανιευσάμενον εἰς ἕνα στίχον ἐμβαλεῖν ἅπαντα τοῦτον (sequitur versus in quo omnia insunt *membra orationis*).

Pro *τὰ μέρη* recte editor *τἆλλα μέρη*. Restat ut pro *μηθέν* aptus aliquis infinitivus inveniatur; nam opus est *Ὅμηρον ... ἐμβαλεῖν* fieri Platonis sententiam quam Plutarchus deducit ex eius decreto orationem constare e verbis et nominibus.

1009 C Enuntiati brevissimi quod *veritatem* contineat aptissimum hoc datur exemplum: *Σωκράτης φιλοσοφεῖ*, eius autem quod *mendacium* contineat hoc: *Σ. τρέπεται*. Non dubito quin Pl. hoc dederit: *Σ. ψεύδεται*.

1009 D Id quod fit verbo satis significatur, is qui facit vel patitur nomine, ergo *ταῦτα* (nomina et verba) *σημαίνειν ἔδοξε*. Immo *σ. ἔλεξε* cum ed. Quae sequuntur *τὰ δ' ἄλλα φαίη τις ἂν οὐ σημαίνειν* sana sunt: cetera vocabula iure dixeris non *significare*, sed illustrare quod significatur.

1009 E *ἐπιμειδίασις καὶ ἀποσιώπησις ἐμφαντικώτερον ποεῖ τὸν λόγον.*

Immo *ἐμφατικώτερον*, non perspicuum sed disertum magis.

1010 B Delenda censeo verba: *ὅθεν εἰκότως ἔνιοι μόνα ταῦτα μέρη τοῦ λόγου τίθενται.*

Inutiliter iis quod dictum est repetitur, et non de *nonnullorum* sed de unius Platonis agitur sententia.

1010 D Homerus *ὀλίγοις τῶν ὀνομάτων ἄρθρα ὥσπερ λαβὰς ἐκπώμασι δεομένοις ἢ λόφους κράνεσιν ἐπιτίθησιν.*

Immo *ἐκπώμασιν οὐ δεομένοις*, nam sermo est de poculis quae ansis carere possunt ita ut galeae cristis.

διὸ καὶ παράσημα τῶν ἐπῶν (ἔνια) ἐν οἷς ταῦτα ποιεῖ, γέγονεν. Sic apte B. supplet.

1011 B Ulyssi viminibus opus fuit *πρὸς τῶν προβάτων*. Recte *τὴν σύνδεσιν* addit B.

ib. Coniunctio est ὄργανόν τι συνδετικὸν καὶ συνεκτικὸν οὐ πάντων ἀλλὰ τῶν οὐχ ἁπλῶς λεγομένων.

Ultimorum haec esse videtur sententia: „eorum quae sola stare non possunt".

1011 C Quae liquefactis admiscentur ποιεῖ τι καὶ πάσχει κοινὸν ἐκ πλειόνων.

Scioli additamentum καὶ πάσχει videtur, non enim ut ποιεῖ obiectum habere potest τι κοινόν, et admixta illa cum coniunctionibus comparantur, quae, ut illa, sunt vincula, non vinciuntur neque aliud quid πάσχουσι.

ib. Sunt qui putent ἐξαρίθμησιν εἶναι τὴν διάλεκτον ὥσπερ ἀρχόντων ἐφεξῆς ἢ ἡμερῶν καταλεγομένων.

Ante διάλεκτον excidisse σύνδετον suspicor.

ib. Pronomina nomina sunt non solum quod casus habeant ἀλλὰ καὶ τῷ κυριωτάτην ἅμα τῇ φάσει ποιεῖν δεῖξιν ἐνίας ἐπὶ τῶν ὡρισμένων ἐκφερομένας.

Sanissima haec; recte enim interpres ἐπὶ τ. ὡ. ἐ. sic vertit: „ubi subiunguntur rebus antea dicendo definitis", et ἐνίας quia et sunt qui illud non habeant (puta τις).

ib. ἡ μετοχὴ καθ' ἑαυτὴν μὲν οὐκ ἔστιν, ὥσπερ οὐδὲ τὰ κοινὰ θηλυκῶν καὶ ἀρρενικῶν ὀνόματα.

Verbis τὰ κοινὰ θ. κ. ἀ. ὀ. *adiectiva* significari puto, quae, nisi neutrius sunt generis, semper flagitant substantivum masculinum femininumve.

DE ANIMAE PROCREATIONE IN TIMAEO.

Bene factum quod hunc librum cum epitome ei addita obiter legisse sufficit ut quaecunque ille praebet ad Plutarchi vitam illustrandam utilia inde protrahas. Quid quod ne hoc quidem prorsus est necessarium; nam licet toto libro luce clarius ap-

pareat Plutarchum strenue Platoni dedisse operam omniaque eius verba diligentissime accuratissimeque perpendisse, ne difficillimas quidem obscurissimasque reformidantem quaestiones, id quod in hoc genere est gravissimum in ipso statim initio legitur. Sic enim filios suos, quorum causa omnem haec sapientiam, olim iam voce et sparse propositam, nunc in unum colligit librum, alloquitur (ipsa verba citabo):

ἐπεὶ τὰ πολλάκις εἰρημένα καὶ γεγραμμένα σποράδην ἐν ἑτέροις ἕτερα, τὴν Πλάτωνος ἐξηγουμένοις δόξαν ἣν εἶχεν ὑπὲρ ψυχῆς, ὡς ὑπενόουμεν ἡμεῖς, οἴεσθε δεῖν εἰς ἓν συναχθῆναι καὶ τυχεῖν ἰδίας ἀναγραφῆς τὸν λόγον τοῦτον, οὔτ' ἄλλως εὐμεταχείριστον ὄντα καὶ διὰ τὸ τοῖς πλείστοις τῶν ἀπὸ Πλάτωνος ὑπεναντιοῦσθαι δεόμενον παραμυθίας, προεκθήσομαι τὴν λέξιν ὡς ἐν Τιμαίῳ γέγραπται [1]).

Confiteor me, nondum consulto interprete Didotiano, semper verba *ὡς ὑπενόουμεν ἡμεῖς* cum sequentibus iunxisse, ut hoc pater diceret: „hunc a me, ut quidem putabam, expectatis librum'', sed nunc mihi multo melius ille ea ad praecedentia *ἣν εἶχεν* retulisse videtur („quam equidem de ea re Platonis sententiam fuisse suspicabar''). Dubitanter et tantum non anxius Plutarchus loquitur: scit enim et cum dolore quodam sentit peculiarem se hic prolaturum sententiam, quamque haud pauci absurdam sint dicturi; id quod magis etiam e sequentibus elucet ubi suam dissertationem non solum *οὐκ εὐμεταχείριστον* (tractatu difficilem) esse confitetur sed et *παραμυθίας δεῖσθαι* i. e. defensionem et excusationem requirere. *Excusatione* autem cur opus? Quia quae olim variis locis temporibusque Plutarchus de ea re disputavit et iamiam sub unum est daturus conspectum, contraria esse probe novit aliorum et praesertim eorum qui omnem suum laborem et omne otium Platoni dederunt (hi sunt illi quos *τοὺς ἀπὸ Πλάτωνος* dicit) sententiae. Haec est causa cur

1) Tum ipsum Timaei locum quo de agitur citat, atque sic pergit:
ταῦτα πρῶτον ὅσας παρέσχηκε τοῖς ἐξηγουμένοις διαφοράς, ἄπλετον ἔργον ἐστὶ διελθεῖν ἐν τῷ παρόντι, πρὸς δ' ὑμᾶς ἐντετυχηκότας ὁμοῦ ταῖς πλείσταις καὶ περιττόν.
Insere *τι* post *ὁμοῦ* ut *ὁμοῦ τι* sit „fere'': Plutarchi filii maximam fere legerunt partem commentariorum de eo loco scriptorum (cf. p. 1027 A: *περὶ ὧν εἰ καὶ πολλάκις ἀκηκόατε καὶ πολλοῖς ἐντετυχήκατε λόγοις καὶ γράμμασιν*); saepe apud nostrum illud *ὁμοῦ τι* cum verbo quod est *πάντες* iungitur, sed quidni etiam cum verbis qualia sunt *οἱ πλεῖστοι* iungatur?

tam verecunde Plutarchus loquatur, verecundius etiam quam solet, quamquam nunquam illius virtutis est immemor. Non tamen metuit Academicus noster ne ab ipsis Platonicis arrogantiae notetur crimine: probe enim sibi est conscius se viris doctis quibuscum disserere et confabulari soleat eum videri cui, simulatque de Platone incidat sermo, pro imperio loqui liceat, quem de Platone agentem ceteri omnes tamquam magistrum suum audiant, denique qui nunc aut inter omnes philosophos aut certe inter Academicos Platonicorum facile princeps videatur. Lubet locos insigniores unde id etiamnunc efficere possumus hic proponere: laudis, qua toto imperio Romano Plutarchus floruit agitur pars vel maxima. Sunt tres e Quaestionibus Convivalibus loci.

I L. VII probl. A. Nicias, medicus Nicopolitanus, graviter in Platonem invectus est, qui scripserit „potum meare per pulmonem". hunc enim errorem tam gravem esse ut defensioni nullus relinquatur locus: quod docta demonstratione exponit. Post hunc Protogenes grammaticus quosdam Homeri citat versus qui ad hoc pertinere videantur argumentum, sed neque quaestionem adducit ad exitum neque medicum refutat. Conticuere omnes divinumque philosophum sic turpis convictum inscitiae dolent. Sed rumpit silentium Mestrius Florus et „sicine absentem" ait „condemnari Platonem aequi bonique consulamus?" „Immo vero" respondet Plutarchus „prodere istud sit et Platonem et Homerum" multisque versibus et docta disputatione demonstrat Niciam eiusque auctorem Erasistratum multo longius a scopo aberrare quam Platonem quem redarguere studeat. Quae disputatio magnamne habeat persuadendi vim nunc mitto, ultimam tantummodo eius partem hic pono quae magni est in nostra disceptatione momenti: „quid in eiusmodi quaestionibus veri sit simile statuere licet, ipsa veritas nos effugit: ergo minime oportet in controversia tam incerta tam audacter et contumaciter obloqui philosopho qui fama et auctoritate omnium princeps est".

Verba haec eius, ut opinor, sunt qui non solum Platonem suum amet veneretur que sed etiam sciat, de Platone quoties agatur, altius attollere sibi vocem licere quam soleat in colloquiis philosophicis.

II Libri VIII Problema 2 hoc habet exordium: eo quod praecedit disputatio habita est, quam doctis theologis magni videri momenti debere mihi est persuasum: de deorum filiis et immortalium matribus mortalibus, quibus nulla careat religio. Haec quoque disputatio silentii est causa donec denuo ita incipit Diogenianus: „quoniam de diis fuit sermo et hic est Platonis dies natalis, quidni ipsum Platonem colloquii nostri faciamus participem, videamusque quid sibi velit *deum semper geometriae dare operam* affirmans, siquidem Platonis illud est dictum. Hic ego *nusquam* quidem ipsa illa verba apud Platonem legi respondi, spirare tamen ea indolem Platonicam, ergo non temere credi posse esse Platonis dictum.

Saepe audimus Plutarchum ex tempore aptissime Platonis afferentem verba. Quanto maius est affirmare audere *non* legi apud Platonem sententiam aliquam, eamque quae minime Platonem dedeceat? Hoc tamen audet Plutarchus neque veretur ne nimium sibi arrogare cuiquam convivarum videatur: neminem enim dubitare novit quin totum Platonem fideli teneat memoria.

III Libri IX problematis 14 parte altera de Musis Sirenibusque, deque omnia regente Necessitate, denique de rebus gravissimis et maxime reconditis agitur. Hic Ammonius orationem habet gravissimam, pulcherrimam, mentibus hominum sursum attollendis aptissimam. Sed longe illam Plutarchi superat oratio, quae quam fideliter Plutarchi sententiam de rebus quae praecipue cordi ei sunt referat, vel maxime apparet e duobus hisce dogmasi quae flosculorum instar interseruntur: 1 *amoris* finis et consummatio est vera atque fidelis inter uxorem maritumque *amicitia* 2 lautis frui epulis ad suam unius explendam voluptatem bestiarum potius quam hominum esse videtur: sed nihil magis homine dignum quam coenam parare opiparam propter iucunda et literarum plena cum amicis colloquia.

Profecto ipsum hic tenemus Plutarchum, sed non tamen id illius loci est primarium, sed quod omnibus qui adsunt Plutarchus magis quam summus eius magister Ammonius, quem adeo suspicere solet ipse, dignus videtur qui disceptationem de intricatissima obscurissimaque quaestione Platonica concludat et perducat ad exitum.

Nunc non solum intelligimus eum ausum esse doctum de Platonis Timaeo in lucem edere commentarium, sed etiam si vel brevissima aliqua eius de leviore quaestione Platonica prodiret disputatio, sedulo eam emptam fuisse et in multa discriptam exemplaria ita ut et ad nos pervenire potuerit libellus ille 35 paginarum — *Quaestiones* dico *Platonicas* —, cuius X capita singulatim esse edita perquam sit verisimile.

CAPUT XIX.

DE STOICORUM REPUGNANTIIS
STOICOS ABSURDIORA POETIS DICERE
DE COMMUNIBUS NOTITIIS.

Μεταβολὴ πάντων γλυκύ. In hoc corpusculo librorum contra Stoicos scriptorum considerando a *re critica,* quae proprie et stricto sensu sic dicitur, faciam initium. Neque in ea re ordine procedam sed primum ad horum librorum *secundum* quaedam ex eo genere annotabo. Tum inde cur coeperim exponam, sic sponte ad disputationem de toto perveniam corpusculo.

p. 1057 E Pindaricus ille Caenus feritur quidem sed non vulneratur, at Stoicorum sapiens:

ἐγκλειόμενος οὐ κωλύεται . . . καὶ στρεβλούμενος οὐ βασανίζεται καὶ πηρούμενος οὐ βλάπτεται καὶ πίπτων ἐν τῷ παλαίειν ἀήττητός ἐστι καὶ περιτειχιζόμενος ἀπολιόρκητος καὶ πωλούμενος ὑπὸ τῶν πολεμίων ἀνάλωτος.

Haec omnia prudenter periteque sunt enumerata et sic fortasse verbotenus ex egregio aliquo Stoicae philosophiae translata compendio, aptissime inter se participia et verba finita opponuntur. Atque ideo parvum illud spatium reliqui vacuum, in quo nunc aliquid legitur quod omnibus illis virtutibus caret: *καὶ κατακρημνιζόμενος οὐκ ἀναγκάζεται.* Quam languidum est istud *ἀναγκάζεται,* quam habet nihil quod praecedenti respondeat participio! Ipsum verbum non praesto sed qui sensus requiratur totus clamat contextus: „non cadit" vel „non praeceps it", aliave vox in eandem sententiam.

1058 A Idem ille sapiens nunquam fit turpis deformisve *οὐκ ἀπολείποντος τὸ σῶμα τοῦ γήρως ἀλλὰ καὶ προσεπιθέντος καὶ προσεπιχώσαντος.*

Equidem tantummodo *ἀπολιπόντος* pro *ἀπολείποντος* scripserim, sed nolim cum B. post prius *καί* inserere *τι*, quo perit singularis vis quae verbis hisce inest si carent obiecto. Quod W. coniecit: *προσεπιταθέντος καὶ προσεπιχωσθέντος* parum placet. Senectutem quae *προσεπιχώννυται* mihi ne fingere quidem possum. Satis Stoice — i. e. inepte et absurde — iam dicta ista *προσεπιθέντος καὶ προσεπιχώσαντος* videntur.

ib. Quemadmodum aiunt scarabaeos unguentum aversari sed petere male olentia, sic Stoicorum amor *τοῖς αἰσχίστοις καὶ ἀμορφοτάτοις ὁμιλῶν, ὅταν εἰς εὐμορφίαν καὶ κάλλος ὑπὸ σοφίας μεταβάλωσιν, ἀποτρέπεται.*

Ain vero? „Deformia ista mutantur sapientia et fiunt formosa”: credo ita sapientibus videri. Sed quid tum? Amorne Stoicus ea aversatur quia pulchritudinem sunt nacta quamquam Stoica ea est? Absurdum hoc videtur. Et metuo ut nunc recte habeat *pluralis μεταβάλωσιν.* Plutarchum scripsisse opinor: *ὅταν εἰς εὐμορφίαν καὶ κάλλος ἐμβάλωσιν, ὑπὸ σοφίας ἀποτρέπεται.* Sic eleganter stoici et scarabaei inter se componuntur: scarabaei, si forte in unguentum incidunt, fugiunt, Stoici si in pulchram formam, illi perversitate, hi sua sibi moti sapientia.

1058 C Stoica virtus *πλοῦτον φέρει, βασιλείαν ἔχει, τύχην δίδωσιν, εὐπότμους ποιεῖ.*

Pro *ἔχει* legatur *παρέχει.*

ib. *ὥσπερ ἐκ πληγῆς ἐπιρρεῖ.*

Operarii errore videtur *πληγῆς* pro *πηγῆς* positum.

Iam hisce ita correctis totum libellum quo „Stoicos absurdiora poetis dicere” demonstratur, perlegens nusquam, ut opinor, haerebis. Et cum summa perleges voluptate. Nam quid editorem moverit ut titulo asteriscum appingeret prorsus me latet. Num Plutarcho libellum abiudicat? Incredibile virum acutissimum prudentissimumque sic a scopo aberrasse. An sic significat non

integrum hunc esse libellum sed libri *excerptum*? Hoc ita concedere possim ut *fragmentum* dicere malim. Nam falsissima est inscriptio:

σύνοψις
τοῦ ὅτι παραδοξότερα οἱ Στωικοὶ
τῶν ποιητῶν λέγουσι

quae hoc videtur dicere: *ab alio* e Plutarchi libro hoc esse excerptum compendium. Immo vero ipsissimum hic habemus Plutarchum, eumque αὐτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον. Nihil desideramus et quae nobis praebentur summam legentibus praebent delectationem. Et quis unquam *compendio* delectatus est? Neque ullo alio scribendo libro adeo esse delectatum ipsum Plutarchum suspicor. Quapropter fragmentum vernacule versum in librum meum non coquis sed convivis scriptum recipere non dubitavi. Non enim alio modo melius disertiusque demonstrare posse mihi videbar quid sensisset Plutarchus de viris illis qui tunc — ut et multo antea atque multo etiam post Plutarchi tempora — in vita Romanorum Graecorumque, qni quidem supra vulgus saperent, tam insignem tenuerunt locum. Atque — quemadmodum iam dictum — summa est orationis venustas summusque lepor. Sentis penitusque sentis eos partem tantummodo veritatis dicere qui nos et ad alios delegent locos et ad illum Ciceronis (D. N. II, 162, ubi Cotta dicitur ideo dilectam Stoicis de praedictione rerum futurarum sententiam impugnare quia Carneades lubenter in Stoicos invehebatur) ut demonstrent scholae Academicae praecepto obsequentem et hic et duobus aliis huius corpusculi libris Plutarchum contra Stoicos disputare. Academicum hic audimus — concedo — philosophum sed multo clarius audimus vivam ipsius Plutarchi vocem ea nobis tamquam in tabula demonstrantis quae ipse vidit expertusque est non in remoto illo Boeotiae angulo, aut Athenis disciplinarum simplicitatisque sede, aut denique Aedepsi in Euboea, quo feriarum aestivarum tempore confluere solebat quidquid in Graecia erat „philosophorum", sed praesertim, atque adeo tantummodo, in capite orbis terrarum quo nihil non tamquam ad mercatum confluit. Ipsos Stoicos ipse Plutarchus ferre non potest, Stoicorum quos vidit ipse memoria ei est quam maxime ingrata; non propter ea quae docent, quamquam viro leni mentisque excultae bilis mo-

veri solet usquequaque audienti rigidam aliquam doctrinam sententiasque omnis expertes clementiae, verum . . . ipsum audiamus lepide faceteque sic disputantem (finis ille est libelli nostri):

„poetarum narratio, sanae mentis rationem habens, Herculem nobis proponit rerum quibus opus est ad vitam sustentandam numquam egentem: tamquam e fonte perenni ei semper affluunt illae. At Stoicum cornu copiae qui accepit dives subito est factus quamquam ab aliis colligit victum; rex est sed nummorum causa solvit quaestiones philosophicas; solus omnia habet sed pretium conductarum aedium pendere debet et panem emere, quod ut facere possit saepe ei pecunia est sumenda mutua vel .... mendicanda ab iis quos *nihil habere* ait. Rex Ithacensium mendicum imitatur ne quis revera sit appareat, at Stoicum, qui se solum regem se divitem clamat, saepe alienis adstantem foribus videmus audimusque lamentantem:

da pallium Hipponacti membra cui frigent
dentesque crepitant."

Haeccine — lubet enim id in transitu rogare — *compendii* tibi videntur, *συνόψεως*, *conspectus*? Immo vero quo magis libellum nostrum considero eo magis mihi in se teres atque rotundus videtur parumque abest quin credam hic Plutarchum fecisse quod saepe hodierni faciunt scriptores ut *fragmenti* indant nomen speciemque brevi opusculo quod sua verecundia placiturum sperant emptoresque inventurum.

Sed ad Stoicos redeo: quis ea quae modo citabam legens non barbatum istum ante oculos habet sapientem qui, dummodo ad cenam lautam admittatur, turpissima quaeque sustinet: Aspasiam aliquam emeritam comitatur villam suam omni affluentem luxuria repetentem, omniumque eius satellitum hic praesertim dignus habetur qui dominae catellam cum sua prole gremio teneat; ille se opulento barbaro deridendum praebet ludibrioque habendum; huius disputationes omnium sunt absurdissimae insanissimaeque — quid hoc si delectatur qui praebet coenam? — cumque apud Trimalchionem philosophi esurientes bene pasti sunt seque et cibis exquisitis et (nam hoc primarium) reconditis vinorum notis molliter curarunt, haud facile dictu est utri lascivius se gerant obsceniusque, Stoici an Cynici.

Profecto parum inter se similes sunt Lucianus Plutarchusque,

atque adeo multas ob causas inter se possunt opponi, et tamen Plutarchus cum de Stoicis agit, mox eandem fere quam Lucianus edit vocem; quid quod sponte sententias orationisque ornamenta profert quae statim nobis in mentem vocant leviusculum illum petulantemque Samosatensem. Narrare et pingere Lucianeo modo non possit Plutarchus, sed quae hic illic de Stoicis legenda nobis praebet dubitare nos vetant quin omnino eandem tractans materiem Lucianus neque modum excesserit neque veritatis fuerit immemor. „Ergone" sic roget aliquis „ceteri illius temporis philosophi, atque ante alios Epicurei exempla fuerunt probitatis et integritatis?" Haud ausim contendere, sed credere facile possum Plutarchum, si quis Epicureus liberius vixerit, parum esse indignatum. Nam sic se res habet: vir gravis aegre fert quamvis doctrinam quae sanctissima quaeque tollit et evertit; quod si quem illius doctrinae magistrum turpiter impudiceque viventem videt, non ei nascitur indignatio; immo vero aequi bonique illud consulit tamquam rem quae neque possit neque *debeat* aliter se habere: Epicureus aliquis sobrius et parvo contentus maiores ei exhibet molestias quam Epicureus indulgens genio; hic enim ei insigne praebet argumentum totam Epicuream damnanti philosophiam. At nullum est spectaculum taetrius quam philosophus qui severam *vitae* normam tradens ipse ab illa norma, si datur facultas, quam maxime recedit; ferre illud non potest vir gravis cui culta sit politaque mens, pulchri amans verique. Denique Plutarchus contra Stoicos disputans, licet plerumque de quaestionibus agat mere philosophicis, ea *voce* disputat ut haud parvam *vitae* partem simul nobis explicet.

Sic breve hoc „fragmentum" totum corpusculum librorum contra Stoicos scriptorum egregie illustrat et quid sibi iis scribendis Plutarchus voluerit luculenter demonstrat. Et illud corpusculum sanum solidumque divellere et lacerare Volkmannus tentat librum *de communibus notitiis* in dubium vocando. Quae suspicio iam primo aspectu falsa videri debet. Quid enim? Contra Epicureos item ut contra Stoicos trium librorum Plutarchus scripsit volumen. Utrumque volumen fere eundem habet ambitum: quod contra Stoicos est scriptum in nova editione 148, quod contra Epicureos 125 implet paginas et utrumque constat e binis doctis disputationibus singulisque levioribus iucundiori-

busque. Num forte id factum videtur temereve a redactore librorum Plutarcheorum excogitatum? Credere non possum: multo enim videtur verisimilius utrosque adversarios similiter pariterque a Plutarcho esse impugnatos, qui cum iam saepe oblata occasione modo hos modo illos refutasset, tandem aliquando utramque sectam data opera refellere decreverit eamque rem sic egerit ut simul aequitatis et legentium haberet rationem. Eadem cura Stoicam qua Epicuream tractavit rationem et ne minus doctos nimis defetigaret utrobique iis aliquam praebuit requiem delectationemque. Et quae sunt argumenta quibus Volkmannus illud paradoxon defendat? „Iusto acerbius" ait „Stoicos impugnat et ipse in omnia illa incurrit vitia quae in libro *adversus Coloten* illi culpae dat". Ubi, obsecro, maledicta illa, convicia, scurrilia in Stoicos dicta leguntur quibus in omnes philosophos, eosque summos, tot tantisque usus est Colotes? Et quod ad illam „acerbitatem" pertinet — quamquam parum aptum hic illud est vocabulum ut et Germanicum illud Volkmanni „gehässige Art der Polemik" — ea mihi vel maxime Plutarcho librum vindicare videtur, utpote cui tunc eo orationis genere quam maxime opus fuerit. „Multa verbotenus e scriptis adversariorum citat". Plurane quam in libro *de Stoicorum repugnantiis*? Longiora, non nego, sed hoc quoque ex ipsa libri nascitur indole, de qua mox plura sum dicturus. „Eo discrepat corpus librorum contra Stoicos scriptorum quod nobis est traditum ab illo quod contra Epicureos est compositum, quod in libro *von posse* semper liber *adversus Coloten* respicitur, at libri *de communibus notitiis* neque in libro *de repugnantiis* habetur ratio neque huius in illo." Hoc verissimum, sed tamne parvis indiciis tantam rem conficiamus? Non vult hoc ipse Volkmannus sed, ut decet virum vere doctum, omni missa cupiditate ultro enumerat argumenta multo graviora quae librum Plutarcho vindicent, quaeque redeunt ad ipsum illud quod saepius iam et a me dictum: „libri tam docti et tam bene compositi is auctor *est* qui *fertur*". Ergo iam nihil esset de quo mihi cum Volkmanno lis esset, nisi idem adderet:

„übrigens würde die Schrift *de communibus notitiis*, auch wenn sie ächt wäre, für eine Darstellung der Plutarchischen Philosophie so gut wie gar keine Ausbeute liefern, da der Verfasser

sich darauf beschränkt, die Ansichten der hervorragendsten Stoiker zu widerlegen und zu kritisiren, ohne dabei eigene Ansichten aufzustellen."

Quod, ne quid dissimulem, mihi falsissimum videtur. Ipsum, ipsum hic habemus Plutarchum, satis quidem acriter sed simul tamen lepide faceteque bellum gerentem cum hominibus quibusdam, quibuscum *vivit vixitque* ipse, quorum in ipsa hominum *vita* nunc permagna est auctoritas, quosque ipse *ferre non potest*, saepe ferendos non esse et alibi et praesertim Romae expertus. Nonne nobis hoc in ipso libri initio clamat lepida illa ironia: *Στωικῶν ἀνδρῶν, τὰ μὲν ἄλλα βελτίστων καὶ νὴ Δία συνήθων καὶ φίλων*, cum praesertim *fictam* eam esse laudem totus liber sit documento? Vide modo quod p. 1062 A legitur: „non contra communes solum pugnant notitias Stoici sed et suas ipsi conturbant", quod plane respondet iis quae paulo post (1084 D in eodem legimus libro. Sed haec philosophiam tantum tangunt Stoicam: cum vivis hominibus sibi rem esse haud paucis prodit Plutarchus locis ipso quo utitur vocis sono, qui hic illic plane Lucianeus est. Nam omnino nulla unquam fuit inter homines maior discrepantia quam quae inter Plutarchum Lucianumque intercedit, at quotiescunque Stoicos *ludibrio habet* Plutarchus, alter fit Lucianus. Nam *ludibrio* eos et alibi et *hic* habet, hoc solo scilicet refutationis genere dignos ratus. Clamant Stoici vacuum non esse sed, si qua misceantur, corpus corpore totum penetrari, ergo si binis cyathis aquae adfundantur singuli vini et ternos effici cyathos quia $2 + 1 = 3$ et quaternos quia unus cyathus vini duos aquae totos penetret ergoque idem quod illi habeat volumen. Quo modo Lucianus absurdum hoc paradoxon refutasset? In scenam, ut opinor, introduxisset rusticum qui sic ludibrio haberet filium cum gravi sapientiae sarcina e castris Stoicorum reversum, ut tali facta commixtione „nunc ego" diceret „unum mihi sumo cyathum, alterum matri, tertium sorori tuae damus tibique ebibendum relinquimus poculum tuum philosophicum". Haud illepidus is foret iocus, sed magis Plutarcho placuit Arcesilai exemplum quod cyathorum exemplo opposuit (et nunc illud ita propono ut ab ipso Academico propositum puto): „in proelio navali crus militi abscisum in mare incidit, atqui corpus corpore totum penetratur, ergo posthac quamvis

magnae classes per illud crus navigabunt" idque plane *Lucaneo* more sic significat (1078 C): *ἐνταῦθα δήπου καὶ τὸ θρυλούμενον ἐν ταῖς διατριβαῖς Ἀρκεσιλάου σκέλος ἥκει ταῖς ἀτοπίαις ἐπεμβαῖνον αὐτῶν μετὰ γέλωτος.* Et, ut appareat prorsus eundem esse nostri et libri *de repugnantiis* colorem sermonemque, dixerat Chrysippus sapientem, si ita res ferat, regnum suscepturum vel victurum cum rege, cum rege expeditionem facturum, quemadmodum fecerit Idanthyrses Scytha vel Leuco Ponticus. Hic ridens iocansque Plutarchus rogat (1043 C) *εἰ ... ὁμολογεῖ βίος ἀνδρὸς* [*καὶ* del.] *ἀπραγμοσύνην αἱρουμένου καὶ ὀλιγοπραγμοσύνην, εἶτα συνιππαζομένου Σκύθαις.*

Sic in nostro quoque libello semper absurdissima quaeque e Stoica eligit sapientia quae derideat, velut illud est quod dicit eandem esse virtutem continentiamque eius qui pulchram virginem et eius qui anum decrepitam non tangat (1060 F), quod et deridetur *de rep.* p. 1038 F.

Atque nihil fortasse in tota illa sapientia est absurdius quam dogma: „corpora esse omnia". Quod quam salse redarguat Seneca (epl. 106) novimus omnes, sed quamvis minus eleganter Graece scribat Plutarchus quam Seneca Latine, hic tamen ei par habendus est (1084 C) demonstrans sic etiam *πταρμόν* (aliaque ex eo genere) esse *σῶμα.*

Denique nonne ipsum Plutarchum audimus in his (1070 C): „genuinas nobis, tamquam filias, abstrahunt notiones Stoici et spurias subiiciunt, easque beluinas portentosasque, quas amemus educemusque"?

Et, ut paulisper ad Volkmanni redeam dubitationes, eadem hic deprehendimus ornamenta quae semper Plutarcho sunt in deliciis: p. 1065 C ut Socrati Meletum sic Pericli opponit Cleonem: Meliorum enim carnificem istum et aliis locis haud paucis tamquam monstrum horrendum legentibus proponit, verius sapientiusque quam nostri temporis viri docti illi, quibus prae successu et potentia ipsa sordet virtus.

Legite mihi pulchrum illum locum (1070 A) de veris sapientibus quorum vita semper respondit verbis, statim tibi in mentem ille veniet locus, pulchrior sed non magis Plutarcheus, *adversus Coloten* 1117 E, vel illum 1075 A: „sunt fortasse barbari qui nullos habeant deos, sed nulli sibi unquam *mortales* deos

finxerunt" oratione simillimum eum esse statim agnosces illi in libro *de malign. Hor.* de Themistoclis consiliis (869 C).

Neque — nolo enim quidquam omittere — flosculi desunt quibus tot aliis locis orationem Plutarchus variat: p. 1062 E habes illud *ἦ που* et p. 1071 E exquisitam illam structuram *ὡς πρὸς τέλος ὁρᾷ τὴν τεῦξιν.*

Iucundior lectu est liber *de Stoicorum repugnantiis*, multo iucundior, sed idem est utriusque consilium et nescio an is, de quo hactenus egimus, sit efficacior. Quid enim sibi vult Plutarchus? Ut ipse Stoicos ferre non potest, ita et alios sentire cupit quam sint isti homines duri rigidique sed praesertim quam sint ridiculi et absurdi. Neque ullo alio modo id efficere melius potest quam ipsos loquentes inducendo; et, crede mihi, difficile est *non* aversari Stoicos postquam eos in libro *de communibus notitiis* loquentes audivisti. Identidem inter legendum non potes quin exclames: quam ista omuia omni carent simplicitate, quam sunt contorta et falsi plena acuminis

ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ πᾶν πέριξ.

Heus tu, sic me quispiam in Plutarcho paulo versatior interpellet, quem tu hic citas Euripidis versum, eo Plutarchus ipse usus est non in Stoicos solum (*de comm. not.* 1073 C) sed etiam in Epicureos (*non posse* 1102 D). Scio ita esse sed vide quid intersit: graviter vituperat Epicureos, graviter sed uno tantum nomine: quod quamvis providentiam deorum reiiciant, tamen festis diebus in templa veniant et participes fiant sacrificiorum, idque iis dat crimini quod quam sit turpe non statim omnes sentiant. At librum *de communibus notitiis* legenti versu Euripideo non opus est, sponte ei eadem in mentem veniunt vocabula. Iamne intelligis ipsis illis longioribus, qui e Stoicorum libris citantur, locis librum *de communibus notitiis* efficicacissimum fieri ad omnes Stoicos cum tota sua disciplina in legentium adducendos odium contemptionemque?

Sed iam ad illum lectu iucundiorem transeamus librum: pauca ex eo attulisse satis erit ut statim sentias prorsus idem esse eius consilium prudentissimeque egisse Plutarchum, qui duobus libris tam inter se specie diversis eandem causam egerit, tantum alter alteri auxilii praebet subsidiique.

Obloquuntur Stoici sententiis quarum veritas est apertissima et

nunquam a quoquam mortalium in dubium vocata. Sic negant — fortasse omnium hoc disertissimum exemplum — verum esse illud *μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Et quid obganniunt? Paene legere et referre taedet: „aut" aiunt „is qui prior dixit demonstravit quod voluit, tum controversia ad exitum est perducta; aut non demonstravit, tum nihil dixit; ergo sive demonstravit sive non demonstravit alterum audire inutile est et supervacaneum."

Quasi vero non ideo utrumque iudex audiat ut uter causam vicerit scire possit!

Eo abducere Stoicos videtur istud omnis pulchritudinis odium ut *praestantissima quaeque,* quae ab aliis dicta sunt reiiciant, quale est illud Platonis, quod divinae videtur sapientiae (1041 B): *ἡ ἀδικία οὐδ' ἐν αὐτοῖς τοῖς ἔχουσιν ἀποβάλλει τὴν δύναμιν.* Quam insanos importunosque oportet esse homines quibus de eiusmodi sententia etiam disputare — ne contra eam disputare dicam — libeat!

Sed nullam isti omittunt Platonis impugnandi facultatem: ut unguentum scarabaei sic oderunt illum omnium philosophorum venustissimum. Vide quanto fastu Platonis et alios exagitet *errores* Stoicus et illum de potu in pulmonem penetrante (1047 C): ipsa arrogantia *medicum* superat Niciam in eandem disputantem sententiam (Q. C. VII, A). Sed huic parata est venia pro sua pugnanti arte. Stoicis vero quid facias unum Platonem illo notantibus crimine quod olim commune fuit (quemadmodum docte Plutarchus demonstrat) non poetarum solum sed et philosophorum?

Stoicorum vero ipsorum dogmata et exempla quae deridet Plutarchus, quam sunt ét inepta insulsaque ét dura atque crudelia! Pauca et ex hoc genere hic proponere haud abs re fuerit.

1049 AB „Galli gallinacei utiles sunt hominibus: e somno excitant, scorpios delent, pugnis suis dant exempla fortitudinis; tamen iure nostro eos comedimus ne eorum numerus excedat utilitatem" Chrysippus clamaverat. Ob eamque rem a Pythagoraeis reprehensus adeo eos contempsit ut adderet et deos *φθορᾶς ἀρχὰς παρέχειν* qui bellis interdum nimiam hominum imminuant multitudinem. Et oppone taetrae huic crudelitati lenitatem mansuetudinemque Plutarchi respondentis: „ita et nos

agimus germina amputantes vitis sed exilia recentiaque, et catulos subtrahentes matri sed recens natos caecosque idque φειδόμενοι τῆς κυνός."

1051 C „Patrisne boni nomen amittit" Chrysippus rogat „si furfures et grana frumenti aliquot pereunt, deique non providere hominibus dicendi sunt quod nonnullos homines negligant?" Respondet Plutarchus graviter simul et acute: „ergone idem est furfures et grana nonnulla amitti et Socratem iniusta affici morte?"

Bene factum quod nobis dum ista omnia taedium nauseamque praebentia legimus tamen identidem requies aliqua conceditur ipsum Plutarchum audientibus et alia lenissima amoenissimaque docentem et hoc (1044 E): „pulchra et iucunda multa praebent hominibus dei, ergo et hominibus iis frui licet" [1]).

At enim pro Academia sua Plutarchus et alibi et his pugnat libris, hoc eum tam inimicum Stoicorum reddit sectae. Concedo hoc quoque ita esse et ultro locos indicabo ubi vel maxime id fiat:

De Stoic. rep. 1036 C „Adeo gloriantur Stoici libro quodam Chrysippi ut dicant cunctas Academicorum disputationes uni illi pares non esse."

De Comm. not. 1059 A „Amo diligoque Stoicos sed nimis infeste bellum cum Academia gerunt".

Et „nonne credibile est" succinit alter „Plutarchum distraxisse quaedam quae apud Chrysippum aliosque Stoicos coniuncta multo minus erant absurda? Fateor mihi et ipsi nonnunquam eam obortam suspicionem, scioque haud pauca ex eo genere esse collecta et illustrata a **Bazinio**, cuius tamen librum „*leviusculum*" („unbedeutend") appellat Volkmannus: lubenter credo non *potuisse*

1) Fortasse nusquam lepidius Stoicorum rigori suam opponit lenitatem quam *Quom. . . .prof.* 86 D, ubi sic disputat: „tum vel maxime aliquis se in vertute profecisse intelligit cum subito ei in mentem venit sic secum loqui: quam vellem pater me meus talem videre potuisset". Nunc hic ad illum locum redeo ut inde quoque appareat eum qui Stoicam philosophiam impugnet simul cum Stoicis *hominibus* bellum gerere. Facile enim intellectu est dogmasi quale est istud: „nulli sunt in virtute gradus progressusque e. q. s." ipsos qui ea proclament *homines* ita obdurari ut cum alii eos aversentur tum praesertim Plutarchus quique eius sunt similes, mentium medici placidi clementesque.

afferre **Bazinium** quae magni essent momenti. Sed fac utramque rem sic se habere: num minus fiunt ridiculi Stoici si hanc habet eos deridendi causam vel primariam Plutarchus quod philosophia eorum Academicae est inimica? Et quidquid apud ipsum Chrysippum vel praecessit vel secutum est, ullusne excogitari atque adeo cogitari potest contextus in quo ista de gallis gallinaceis, furfuribus alia *non* fuerint absurda simul et crudelia? Sed accedunt alia quae multo magis etiam, in quocunque lecta fuerunt libro, Stoicos nobis exhibeant omni dignos contemptione.

Audite mihi (1044 A) Stoicum graviter disputantem de *mercedis exigendae* ratione, conferte illa (*Stoicos abs. poet. dic.* 1058 C): βασιλεὺς μέν ἐστι, μισθοῦ δ' ἀναλύει συλλογισμούς, et haec praesertim (*de Stoic. rep.* 1043 C): βασιλείαν τε τὸν σοφὸν ἑκουσίως ἀναδέχεσθαι λέγει, χρηματιζόμενον ἀπ' αὐτῆς. Nonne luce clarius apparet ne Lucianum quidem fuisse iniquum cum Stoicos tamquam impudentes nobis depingeret mendicos? Impudentes aio atque ... *impudicos*. Legite turpissima ista Chrysippi de *cimicum* utilitate, eiusdem esse agnosces qui Diogenem laudaverit (*de St. rep.* 1044 B) propter illud omnium spurcorum dictorum, quae unquam ex impudicissimi fluxerunt hominis ore, spurcissimum.

Denique testibus tam Plutarcho quam Luciano multisque aliis ita se eo tempore gerere solebant Stoici ut iure meritoque Cynicis vix praestare putarentur. Et haec praecipua est causa cur Stoicos ipsorum verbis tam laceret quod — semper enim idem dicendum — *homines* istos ferre non potest.

Age iam postquam totum corpusculum plenum integrumque, atque sic compositum Plutarcho vindicavimus eorumque consilium quod esset demonstravimus, videamus an et uni alterique e maioribus libris loco opem ferre possimus.

De Stoic. rep. 1036 B Stoici τὸν Καρνεάδην οὐδὲν οἰόμενοι λέγειν ἴδιον, ἀλλ' ἐξ ὧν ἐπεχείρησε Χρύσιππος εἰς τοὐναντίον, ὁρμώμενον ἐπιτίθεσθαι τοῖς λόγοις αὐτοῦ ...

Hic primum illa virgula, quae post ταὐναντίον legitur, deleatur: sensus enim hic est: „rati Carneadem profectum ab iis quae Chrysippus ἐπεχείρησεν εἰς τοὐναντίον". Frequens est apud Plutarchum ἐπιχειρεῖν εἴς τι hoc fere sensu: disputare de aliqua re. Est ergo ἐπιχειρεῖν εἰς τοὐναντίον idem quod: „in contrariam disputare partem".

Inde ergo Carneadem profectum *οἰόμενοι ... ἐπὶ δὲ τοῖς κατὰ Συνηθείας ἐκδοθεῖσιν οὕτω κομῶσι καὶ μεγαληγοροῦσιν ὥστε κτέ.*

Vides non bene decurrere sententiam, nisi illud *δέ* deleatur.

Ne quis autem calumnietur dicens non potuisse Chrysippum **prius** *in contrariam* partem disputare et **deinde** a Carneade impugnari, sed totum illud „in contrariam partem" soli Carneadi convenire qui *post Chrysippum* disputet, quamquam mea interpretatio non discrepat ab ea quam et Didotianus praebet interpres, respondeo parum quidem accurate loqui Plutarchum sed minime absurde: „ab iis quae in contrariam partem disputavit Chrysippus proficiscitur Carneades" pro: „ab iis quae Chrysippus disputavit Carneades proficiscitur ut in contrariam partem disputet".

1040 A Chrysippus contra Platonem contendit utique *vivendum* esse homini, prae ceteris *vitae* tenacem esse hominem oportere, sed ipse et alia dicit in contrariam sententiam et notissimum versiculum Theognidis ita immutat ut pro *χρὴ πενίην φεύγοντα* legat *χρὴ κακίαν φεύγοντα.* Hic Plutarchus secundum traditam lectionem rogat: *τί οὖν ἄλλο δόξειεν ἂν ποιεῖν ἢ ταὐτὰ πράγματα καὶ δόγματα παρεγγράφειν αὐτός, ἑτέρων δὲ γραφόντων ἐξαλείφειν;*

Hic pro inepto, certe languidissimo, isto *πράγματα* Reiskius *προστάγματα* coniecit, ad sensum rectissime, nisi quod *παραγγέλματα* praestare arbitror. Sed quod idem *ταὐτά* mutare vult in *τοιαῦτα* errare summus criticus videtur: in Theognide eadem interpolat dogmata quae in Platone delet; dixerat enim Plato ei qui neque vivere sciat neque discat non vivere conducere, quod idem est atque id quod Theognidem dicentem facit Chrysippus: *χρὴ κακίαν φεύγοντα καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντων ῥιπτεῖν.*

1048 D Sic contra Chrysippum disputat Plutarchus: *εἰ μὲν δύνανται τὴν ἀρετὴν παρέχειν οἱ θεοί, οὐκ εἰσι χρηστοὶ μὴ παρέχοντες· εἰ δὲ μὴ δύνανται ποιεῖν ἀγαθούς, οὐδ' ὠφελεῖν δύνανται, μηδενός γε τῶν ἄλλων ὄντος ἀγαθοῦ μηδ' ὠφελίμου. τὸ δὲ τοὺς ἄλλως γενομένους ἀγαθοὺς ** κρίνειν κατ' ἀρετὴν ἢ ἰσχὺν οὐδέν ἐστι.*

Ultima sic esse refingenda: *τὸ δὲ τοὺς γενομένους ἀγαθοὺς ἄλλως κρίνειν ἢ κατ' ἀρετὴν ἢ ἰσχύν* ut ad integrum aptumque sensum nihil desit iam demonstravi Mnem. 1908, 186.

1049 E „Terribile est illud Chrysippi dogma deos perdendi dare principium":

ἀλλὰ νὴ Δία Φήσει τις ἐπαινεῖν πάλιν τοῦ Εὐριπίδου λέγοντος (sequuntur versus quorum est sententia mala non sumere originem a diis). Respondet Plutarchus „quasi vero nunc non ipsum illud agam ut demonstrem Stoicos sibimet ipsos obloqui".

Satis manifestum est *ἐπαινεῖ* pro *ἐπαινεῖν* legendum esse et ante *τοῦ* inserendum *τό*.

1057 B De falsis simulacris quae dii immittant eiusmodi affert Pl. Chrysippi disputationem ut modo dicantur homines illis simulacris *assentiri*, modo tantummodo ad agendum iis incitari: *ἡ δὲ τούτων τῶν λόγων ταραχὴ καὶ διαΦορὰ πρὸς αὐτοὺς οὐ πάνυ δυσθεώρητός ἐστιν.*

Immo vero *πρὸς αὐτούς*, ipsi illi *λόγοι inter se* pugnant quemadmodum in iis quae statim addit luculenter Plutarchus demonstrat.

De communibus notitiis. 1059 E *οὐ γὰρ οἷόν τε δήπου [καὶ] τὰ ἐποικοδομούμενα [μὴ] βέβαια κεῖσθαι καὶ πάγια, τῶν πρώτων μὴ μενόντων.*

Rectissime R. prius *μή* delet, nam quod B. proponit *μὴ οὐ* prorsus ab hoc loco alienum. Sed et prius *καί* delendum.

Pergit: *ἀλλ' ὥσπερ οἱ πηλὸν ἢ κονιορτὸν ἐπὶ τοῦ σώματος ἔχοντες τὸν ἀπτόμενον αὐτῶν καὶ προσαναχρωννύμενον οὐ κινεῖν ἀλλὰ προσβάλλειν τὸ τραχῦνον δοκοῦσιν, οὕτως ἔνιοι τοὺς Ἀκαδημαϊκοὺς αἰτιῶνται κτἑ.*

Primum, ut tota disputatio bene decurrat, pro *ἔνιοι* cum W. legendum est *ἐκεῖνοι.* Tum videndum rectene habeat *τραχῦνον,* pro quo interpres Latinum *sordes* dat, quod haud dubie requiritur sed sic enuntiari non potest. Postremo non sollicitandum *κινεῖν,* quod rectissime hic *in se tranferendi* habet vim. Quamquam et ipse unde nunc pendeant accusativi *τὸν ἀπτ. καὶ προσ.* quaero.

1060 B Transeamus ad paradoxa Stoicorum, *τοὺς μόνους βασιλεῖς καὶ μόνους πλουσίους καὶ καλοὺς αὐτῶν καὶ πολίτας καὶ δικαστὰς μόνους.*

Si recte refert editor, R. pro *αὐτῶν* coniecit *εἶναι*, infelicissime. Admodum enim *ἠθικῶς* sic Diadumenus Stoicorum designat paradoxa: „istos eorum solos reges, solos divites, solos formosos, solos cives, solos iudices''.

1063 D „Cui ad perfectam felicitatem nihil deest is e vita decedat, sed remaneat in vita cui omnia mala evenerunt'' hanc Stoici legem ferunt, *καὶ πολλοὺς μὲν ἐξάγουσι τῶν σοφῶν ὡς ἄμεινον εὐδαιμονοῦντας πεπαῦσθαι, πολλοὺς δὲ κατέχουσι τῶν φαύλων ὡς καθήκοντος αὐτοῖς ζῆν κακοδαιμονοῦντας.*

Post *ἄμεινον* inseratur *ὄν*.

1064 C Tam absurda de virtute solo bono et ceteris „indifferentibus'' docent Stoici ut iure suo Plutarchus lepido usus exemplo Aethiopum, apud quos regis honorem nomenque habeat canis sed ab hominibus administrentur *omnia*, roget: nonne sic et Stoici virtutem pulchris exornant nominibus *πράττουσι δὲ ταῦτα καὶ φιλοσοφοῦσι καὶ ζῶσι καὶ ἀποθνήσκουσιν, ὥσπερ ἀπὸ προστάγματος τῶν ἀδιαφόρων;*

Satis, ut opinor, manifestum est pro *ταῦτα* legendum esse *πάντα.*

1064 D Nemo mortalium est quin bona quam indifferentia, indifferentia quam mala malit; ipsos deos huius rei adhibemus testes *αἰτούμενοι ταῖς εὐχαῖς παρ' αὐτῶν μάλιστα μὲν κτῆσιν ἀγαθῶν, εἰ δὲ μὴ κακῶν ἀποφυγήν, τὸ [δὲ] μήτ' ἀγαθὸν μήτε κακὸν ἀντὶ μὲν τἀγαθοῦ μὴ θέλοντες ἔχειν ἀντὶ δὲ τοῦ κακοῦ θέλοντες.*

Bene haec cohaerebunt et ordine procedent, si inclusum istud *δέ* delebimus.

1067 D Si omnino in rerum natura *malo* opus est *ἓν ἦν δήπου παράδειγμα κακίας ἱκανὸν ἢ δεύτερον.*

Male δ' intellexit scriba qui *δεύτερον* hic dedit pro *δύο.*

1073 C Stoici et alias communes notitias et *amorem* contorquent inusitatis adhibendis nominibus:

οὐδεὶς γὰρ ἦν ὁ κωλύων τὴν περὶ τοὺς νέους τῶν σοφῶν σπουδήν, εἰ πάθος αὐτῇ μὴ πρόσεστι, θήραν ἢ φιλοπαιδείαν προσαγορευομένην·

ἔρωτα δὲ ἔδει καλεῖν ὃν πάντες ἄνθρωποι καὶ πᾶσαι νοοῦσι καὶ ὀνομάζουσι.

De vetando *amore Platonico* prorsus hic non agitur, sed de nomine quod ei dandum sit: „dummodo" ait Plutarchus „vulgarem amorem vulgari appellent nomine, philosophico illi quod lubet nomen indant". Ergo pro *προσαγορευομένην* legendum est *προσαγορεύειν.*

1075 B Nihil immortale relinquunt Stoici praeter Iovem *εἰς ὃν πάντας καταναλίσκουσι τοὺς ἄλλους· ὥστε καὶ τούτῳ τὸ φθείρειν προσεῖναι τοῦ φθείρεσθαι μὴ ἐπιεικέστερον ὄν.*

Ultimum vocabulum recte mihi adiecisse videor.

1075 F Epicurei, contra quos Stoici adeo solent declamare, cum providentia ipsos deos tollunt, at ipsi non minus sunt perversi qui non bona (virtutem) sed tantummodo „indifferentia" a diis dari statuant:

ἢ ἐκεῖνοι μὲν οὐκ ἀναιροῦσι τὰς περὶ θεῶν ἐννοίας, οὗτοι δὲ καὶ περιυβρίζουσι καὶ χλευάζουσι;

Quis dubitat quin Epicurei tollenda providentia tollant communes de diis notitias? At multo gravius Stoici peccant qui eas ludibrio habeant. Ergo *οὐκ* delendum.

De ceteris quaestionibus criticis, quas nobis exhibet apparatus criticus, ipse lector statuat: neque ipse novi quidquam quod addam habeo et in disputatione de Plutarcho non mihi videntur magni momenti.

CAPUT XX.

ADVERSUS COLOTEN
NON POSSE SUAVITER VIVI SECUNDUM EPICURUM
DE LATENTER VIVENDO.

Sic librorum contra Epicureos corpusculum ipse Plutarchus disposuit composuitque. In Epicureis Stoicisque refutandis summa adversus utrosque voluit uti aequitate, utrosque ergo adortus est volumine eiusdem fere ponderis quodque ex similibus constaret partibus — nam quod *non posse* artissimo cohaeret cum libro *adv. Col.* vinculo, contra libri *de rep. Stoic.* et *de comm. not.* nullam inter se habent rationem parvi interest — constat enim e binis utrumque disputationibus doctis, quibus addita est tertia multo levior lectuque iucundior (quae in corpore contra Stoicos medium, in illo contra Epicureos ultimum tenet locum: sed hoc, quoniam dubium non est quin libri contra Epicureos alio a Plutarcho sint scripti ordine atque leguntur in codicibus, nullius est momenti). Quae corpuscula qui parum accurate legit, praesertim si ipse Plutarchus ei non satis est notus familiarisque, illum dico Plutarchum quem usquequaque nostris videmus oculis auribusque audimus, periculum est ne arbitretur Epicureorum in hoc certamine peiorem esse causam quam Stoicorum, illis multo minus quam his ab Academico nostro parci. Et quod ad utrorumque pertinet *philosophiam* minime inepta sit ea opinio. Stoicos ita adoritur Plutarchus ut certa quaedam eorum convellat dogmata, cetera non tangat; at Epicuream sapientiam totam destruit nullamque eius partem relinquit integram. Et tamen ... sed praestat ipsum Plutarchum audire. Quod ut fieri

possit, hic quoque — ut in corpusculo de Stoicis tractando fecimus — primum quidam e leviori illo et iucundiori sunt eximendi libello scrupuli, quo melius legi possit intelligique: in libro enim, cui parum elegans est titulus latinus *de latenter vivendo*, viva illa, quam dicebam, Plutarchi vox clarius etiam, si fieri potest, quam in longioribus doctioribusque diatribis audiri videtur.

1128 A „Lateat vita tua" qui dixit „ipse latere noluit utpote qui sibi supra vulgus sapere videretur: ideo sibi ex adhortatione ad ἀδοξίαν parabat δόξαν ἄδικον". Aliena est ab hoc loco, certe languidissima, *iniuriae* mentio, neque dubium est quin W. suum sibi reddiderit Plutarcho ἄδοξον legendo quod lepidissimum est: „iedereen moest weten wat *hij* een fijnen geest had, dat hij zich door zijn aanmaning tot roemloosheid een *anti-roem* roem bereidde". Sic ego verti, nam huius quoque libelli integram recepi interpretationem in librum quem vulgo hominum literatorum de Plutarcho conscripsi. (Avondzon[2] II, 233 sqq.).

1128 C „Etenim" sic paulo post Plutarchus pergit „quid attinebat dicere istud et in publicum edere ut etiam sera posteritas legere posset?" εἰ λαθεῖν ἐβούλετο τοὺς ὄντας ὃ μηδὲ τοὺς ἐσομένους; Non cohaerent haec, sed fiunt aptissima facetissimaque Meziriaci emendatione ἤ pro εἰ. Interrogando nunc hoc affirmat: scripta editaque etiam posteris innotescent, multo ergo magis innotescent aequalibus.

1128 F „Si bonis istud *latendi* das consilium, alios ab aliis deterres recte factis, Thrasybulo vero dicis μὴ τυραννοκτόνει". Egregie hoc exemplo demonstratur quam parum doctam Plutarchus curaverit ἀκρίβειαν prae utilitate quam legentes e suis sint percepturi libris.

1129 A Quin etiam tibimet ipsi, Epicure, dicis: μὴ γράφε τοῖς ἐν Ἀσίᾳ φίλοις, μηδὲ τοῖς ἀπ' Αἰγύπτου ξενολόγει.

Vocabula τοῖς ἀπ' Αἰγύπτου B. sic interpretatur: διὰ τῶν ἀπ' Αἰγύπτου φίλων. Crede, si potes, tam obscure locutum Plutarchum. Rem acu tetigisse videtur X. τούς pro τοῖς reponens:

„in Aegypto socios conduxit Epicurus" eleganter dixit hoc sensu: „etiam ex Aegypto adduxit qui ipsum sectarentur".

ib. Quid sibi volunt multa illa milia *στίχων „ἐπὶ Μητρόδωρον κτἑ.*

Insolite pro: „in Metrodori honorem", aut „ad Metrodorum adhortandum" nam alteruter quidem quin sensus sit dubium non est. Rogare pergit: *ἵνα μηδ' ἀποθανόντες λάθωσιν;* Hactenus recte, sed additis *ἵν' ἀμνηστίαν νομοθετῇς ἀρετῇ καὶ ἀπραξίαν τέχνῃ καὶ σιωπὴν φιλοσοφίᾳ καὶ λήθην εὐπραγίᾳ;* omnia pessumdantur. Etenim Epicurus (aliusve philosophus) non facit aliquid ut legem ferat, sed legem fert ut aliud aliquid fiat. Rectissime ergo X. pro *ἵν' . . . νομοθετῇς* reposuisse: *εἰ . . . νομοθετεῖς* videtur: „si talia iubes (sive quod eodem redit: tu, qui talia iubes), voluistine amicos tuos ne mortuos quidem latere?".

1129 C Epaminondas usque ad quadragesimum aetatis annum ignotus fuit et nihil profuit Thebanis, at postea *πιστευθείς* egregie de patria meruit.

Certe sensum restituit Herwerdenus *γνωρισθείς* legendo.

1129 F *οὐ γὰρ εἰς οὐσίαν ὁδὸς ἡ γνῶσις ὥς ἔνιοι λέγουσιν ἀλλ' οὐσίας εἰς γνῶσιν.*

Pro *γνῶσις* coniecit *γένεσις* B. cui in libro vernaculo temere sum oblocutus dicens mihi eam coniecturam mysterii instar videri. Sed nunc eam intelligo et, dummodo transponamus *εἰς οὐσίας γνῶσιν,* verissimam esse concedo, quemadmodum apparet ex iis quae statim comparandi et illustrandi causa adduntur: *ὥσπερ οὐδ' ἡ φθορὰ τοῦ ὄντος ἄρσις εἰς τὸ μὴ ὂν ἐστιν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ ἄδηλον ἀπαγωγὴ τοῦ διαλυθέντος·* „quod perit non prorsus tollitur ita ut iam nusquam sit, sed ita dissolvitur ut non appareat; eodem modo quod nascitur non *esse* incipit sed *prodire in lucem*".

1130 B Philosophi quidam animum lumen esse aiunt eo argumento quod *πᾶν τὸ ἀφεγγὲς ἐξαιρεῖ.*

Sensu carent ista, certe non concinunt cum vicinis *τὴν ἄγνοιαν δυσανασχετεῖ καὶ ταράττεται πρὸς τὰ σκοτεινά.* Lege ergo *ἐχθαίρει* cum W.

1130 C Tum *ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς* (quemadmodum ipse Plutarchus loqui solet) sic pergit:

καίτοι τῆς γε δόξης καὶ τοῦ εἶναι Φύσιν εὐσεβῶν χῶρον (sequitur locus poetae quo beatorum describitur sedes, in quo cum Ruhnkenio *εὐκάρπων μὲν ἀνθηρῶν καὶ συσκίων δένδρων* est legendum pro *ἀκάρπων* et *σκυθίων*).

Egregie Plutarchi manum restituit Herwerdenus pro *καὶ τοῦ εἶναι Φυσιν* legendo *ἆθλον εἶναί Φασιν*.

Neque minus egregie sequentia, quae nunc corrupta et lacera circumferuntur, idem sic sanavit: *καὶ διατριβὰς ἔχουσι* (beati) *μνήμαις καὶ λόγοις τῶν γεγονότων καὶ ὄντων πέρι τέρποντες αὑτοὺς καὶ συνόντες*.

Statim opponitur: *ἡ δὲ τρίτη τῶν ἀνοσίως βεβιωκότων καὶ παράνομων ὁδός ἐστιν εἰς ἔρεβός τι καὶ βάραθρον ὠθοῦσα τὰς ψυχάς*.

Sed de *tertia* quadam via hic sermo esse nequit. Lege cum Hermanno *ἡ δέ γε* pro *ἡ δὲ τρίτη*. Tum quidni pro *παρανόμων* multo elegantius *παρανόμως* scribamus? Postremo *τε* rectius videtur quam *τι*.

1130 E Malorum poena est *παντελῶς ἀφανισμὸς ὃς αἴρων εἰς τὸν ἀμειδῆ ποταμὸν [ἀπὸ] τῆς λήθης καταποντίζει εἰς ἄβυσσον καὶ ἀχανὲς πέλαγος, ἀχρηστίαν καὶ ἀπραξίαν καὶ πᾶσαν ἄγνοιαν καὶ ἀδοξίαν συνεφελκόμενον*.

Optimo iure *ἀπό* delet, recteque *ὅς* inserit ante *αἴρων* B. rectius quam R. qui *αἴρων ... καὶ καταποντίζων* proponit, nam *συνεφελκόμενον* referendum est ad *ποταμόν*: idem ille fluvius ista omnia secum fert in illud pelagus.

Age iam ipsum libellum perlege si Graece scis, aut si Belgice scis sed Graece nescis, meam interpretationem: intelliges scriptorem, quamvis verecundissimum se hic praebeat, ab omni arrogantia alienissimum, lenem placidumque et delectandi quam docendi cupidum magis, tamen hanc quoque opellam suam sperasse lectum iri ab omnibus qui toto imperio Romano darent operam philosophiae, literis, bonis artibus, praesertim ab illius imperii dominis ipsis. Quod inter summos viros Camillus hic commemoratur, cui Capitolium debuerit salutem, aptissimum est ad totum librum commendandum imperatori, magistratibus

urbanis provincialibusque et quibus non? Sed antequam ubique terrarum innotescat, *recitandus* est, idque gregi noto caroque qui ipsum oratorem probe noverit. Estque orator ille homo qui in rebus ipsis versatur, qui humani nil a se alienum putat, sed prae ceteris est *mentium medicus* qui prorsus eadem ratione suam exercet artem atque ille cui corpora curanda committuntur. *Mentium medici* est argumentum illud quod, nisi omnia me fallunt, ipsi scriptori omnium argumentorum quibus Epicureum istud „lateat vita tua" refutat firmissimum visum est: „immo vero pateat quam maxime, praesertim si vitiosa est: *mentium* enim *medico* morbi tui sunt cognoscendi".

Sed apertius etiam se tamquam philosophum theologicum prodit, philosophum aio cui totius philosophiae τέλος theologia. Huic omnis disciplina physica Deum, iustitiam, providentiam extollere debet et illustrare, ergo disciplina physica quae non ad Deum adducit labor est inutilis sterilisque: et, ut opinor, recte sic scriptor statuit. Huius *politica ars* non lucrum utilitatemque spectat, sed aequitatem, huius philosophia moralis cum leges virtutesque civiles commendat tum prae ceteris *mutuam* civium *caritatem*. Hic statim illum *nostrum* agnoscimus Plutarchum, docentem, quidquid ab hominibus postulamus, nunquam nobis esse obliviscendum cum *eiusdem* nos loqui *vitae sociis*. „Nolite" sic philosophus hic collegas suos monet „velut e remoto editoque loco imperare hominibus tamquam alienis a vobis animalibus, sed semper mementote et illos et vosmet ipsos esse homines". Et quod inter hominum bestiarumque interest convictum hoc esse docet clemens ille et amabilis pastor Chaeronensis quod innatus sit hominibus *hominum* amor firmissimus sincerissimusque: „hic ut *tenebras* metuamus efficit: tenebrae enim quominus duabus fruamur rebus obstant quibus carere non potest qui vitam vere philosophicam, hoc est vitam serenam laetamque, degere velit: *hilaritate* et si ita res fert *lautis epulis iucundisque*". Atque tota libri oratio totusque color illa sunt quae maxime deceant orationem quae duas illas res suavissimas prae ceteris commendet: non enim lectu solum facilis est iucundaque sed et aliis rebus et praestantissimis comparationibus festivissime exornatur. Denique eius est haec disputatio quem totus popellus et suspiciat tamquam omnium sapientissimum

prudentissimumque et tamquam lepidissimum facetissimumque amet diligatque.

Quam diversus ab hac oratiuncula doctus ille *adversus Coloten* liber, qui tamen eodem spectat: arrogans eo et levis refutatur Epicureus qui vehementissimum in omnes fecerit philosophos impetum, a quibus ipsam vivendi facultatem tolli contendit. Si quis alius liber, hic Plutarcho summo est honori: plenus est gravitatis doctrinaeque sed verae simplicisque; tantum abest ut scriptor obscurus unquam fiat ut etiam laceri, quibus scatet, loci, licet ipsa verba quae exciderint praestare iam possit nemo, tamen quo modo sensus eorum sit restituendus dudum sit intellectum. Totius philosophiae Graecae egregius hic datur conspectus — ceteris vero omnibus locis praestat ille de Peripateticis — totaque dispositio elocutioque legentem suavitate sua detinet. Ergo in libro veracule scripto capita 1—3 et 30—34, quae omnium sunt luculentissima, integra verti et totius libri conspectum dedi admodum accuratum. Quibus adiumentis licet facile carere possit cui ad ipsum Plutarchum patet aditus, lubet tamen neque abs re videtur e conspectu illo pauca huc protrahere. Tota ergo refutatio huc fere redit ut demonstretur ipsum Coloten non intellexisse philosophos quos reprehenderit, aut illa eorum impugnasse dogmata quae iis cum ipso Epicuro sint communia, aut denique ea iis vitio dedisse quae, etiamsi sint quam falsissima, tamen minime e vita hominum felicitatem tollant vel tollere possint.

c. 14 Dixerat Colotes ideas illas Peripateticis cum Platone esse communes: „ubinam terrarum" exclamat Plutarchus „librum tuum conscripsisti, ubi nunquam ullus Peripatetici liber tibi in manus venerit?" Relege mihi totam illam indignationis plenam interrogationem, agnosces eiusdem eam esse qui librum *de malignitate Herodoti* scripserit, cuius conferri hic locus possit: capitis 37 initium. Neque minus hi ex utroque libro loci inter se sunt cognati: *de malign. Her.* (ubi exagitatur turpe illud et ineptum: „nisi ipsae illae mulierculae voluissent raptae non essent") et nostri libri c. 17 (ubi defenditur notum illud Socrati datum oraculum contra Colotis futilissimas calumnias) et c. 18 (ubi Colotes vapulat qui dicere veritus non est alia docuisse Socratem et alia fecisse).

c. 12 Turpiter ignarus fuit Colotes philosophiae peripateticae, sed turpiorem atque adeo immanem commissit errorem in Empedoclis versu quodam deridendo. Qui error qualis fuerit ne quem lateat, breviter hic exponam. Novimus omnes Demostheneum illud *οὐκ εἶπον μὲν οὐκ ἔγραψα δέ*, ubi, ut cum geometris loquar, „prius *οὐκ* extra cancellos est ponendum". Dixerat autem Empedocles (ut breviter versus eius referam): *οὐκ ἂν εἴποι σοφὸς ἀνὴρ* [*ὡς εἰσι μὲν ἄνθρωποι ἡνίκ' ἂν ζῶσιν, οὐκ εἰσι δὲ πρὶν γενέσθαι καὶ μετὰ τὴν τελευτήν*] hoc sensu: „sunt homines non solum dum vivunt sed etiam antequam nati et postquam mortui sunt". Sed Coloten in errorem induxit duplex negatio ergoque Empedoclem induxit negantem unquam hominem *esse*. Mireris hominem tam grammatices imperitum ullum potuisse librum legere (vide locum in libro *non posse* c. 12 de Epicuro omnium literarum contemptore). Non miraris eundem cum tota sua secta a Plutarcho p. 1116 E sic ludibrio haberi: *τοῖς ἀκριβέστερον ἑλληνίζουσι τούτοις καὶ καθαρώτερον διαλεγομένοις*.

c. 21 De Socrate disputans qui sensibus esse diffidendum docuit et prae ceteris quis ipse esset quaesivit sponte ad primarium illud pervenit Plutarchus argumentum quo omnes philosophos contra Epicureorum defendat calumnias: „homines quamvis diversa sentiant doceantque, tamen in ipsa vita eodem modo agere solere, absurdum ergo esse dicere ulla philosophia vivendi tolli facultatem". Sed praeterea ipsum Coloten merito castigat qui illud omnium sapientissimum „nosce te ipsum" riserit.

c. 22 Aptissime vero primario illo ad Stilponem defendendum utitur argumento. Dixerat Stilpo (nescio an animi causa) non licere substantivo addere „attributum praedicativum" prave loqui qui his utatur verbis: *homo bonus* vel *equi mille*, quoniam *homo* non sit idem quod *bonus* vel *equi* quod *mille*, ergo ultra *equi equi*, *mille mille*, *homo homo*, *bonus bonus* progredi absurdum esse. Hanc sapientiam derisit Colotes, merito, ut opinor, neque eum hic Plutarchus refellit, docet tantummodo iniquum esse de hisce Stilponis multa dicere ineptiis (quas serio ab ipso Stilpone prolatas vix crediderim), sed de hominis tacere sapientia et virtute, sed addit: „non Stilpo vivendi facultatem tollit eiusmodi argutiis: vos, Epicurei, tollitis qui Deum non Deum appelletis neque tamquam Deum colatis et veneremini".

c. 25 Cyrenaicos deriserat Colotes docere eos dicens substantivis quale est *ἵππος* uti non licere sed confugiendum esse ad verba *ἱπποῦσθαι* et simm. Docet primum Plutarchus prudenter eos agere qui de quavis *re* nihil asseverare audeant nisi sensibus eam a nobis percipi, tum ad Coloten conversus lepidissima illa utitur comparatione puerorum qui quas literas in pugillaribus suis scriptas legere possint non agnoscant cum easdem in tabula magister proponat: ipsum enim Epicurum de hac re plane cum Stilpone sentire.

c. 27 Res ipsa loquitur in *Academia* defendenda Plutarchum uberrimum fuisse et doctissimum. Sed hoc potissimum telo petit Epicureos quod non sapiens illa *ἐποχή* (quae qualis sit Colotes prorsus non intelligat) vitam reddat incertam atque adeo nullam, sed multo potius Epicureorum sententia de sensibus numquam fallentibus, etiam ebriorum et insanorum: „qui" ait „omnem evertunt fidem et manifesta impugnant? Illi qui oracula contemnunt et providentiam tollunt, qui negant solem lunamque, quos colunt omnes mortales quibusque rem faciunt divinam, esse animantia. Nonne enim vos negatis, id de quo nemo dubitat; innatum esse parentibus amorem prolis suae? Nonne vos contra id quod nemo sanus homo non sentiat videatque, negatis nihil esse inter dolorem et voluptatem, sed dolore carere unicam esse voluptatem, dolorem unicum carere voluptate?"

Conferatur hic lepidissimum illud in libro *non posse* de avibus cantantibus aliisque animalibus quae ludendo iocandoque delectentur seque ergo „positiva" illa voluptate praestare demonstrent philosophis illis quibus nulla nisi „negativa" voluptas innotuerit.

Sed quamvis magni hunc *adversus Coloten* librum faciam, pluris mihi ille est qui *non posse* appellari solet. Hunc legat quicumque brevi tempore ipsum Plutarchum eumque *αὐτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον ὄντα* cognoscere cupit. Hic enim splendet nitetque tota Plutarchi sapientia, pietas, ars. Ex ipso orationis colore statim cognoscimus scriptorem sibi conscium inter philosophos aequales primarium se omnium consensu tenere locum. Quare lepidissime mihi hoc inventum videtur quod Plutarchus non ipse hic primas partes agit sed Theoni eas relinquit amico se-

niori, et — nisi me fallunt omnia — Plutarchi in sacerdotio Delphico decessori. Nam quod sub finem capitis 24 ipse Plutarchus his verbis significat cur reliquam quoque disputationem Theoni mandandam censeat νέος ἐστί, lepide et urbane eum hic iocari manifestum est. Memini me hodiernum quendam philosophum sic disputantem audire: „si dicis bis binos esse quatuor, ipse luculentissimum das testimonium bis binos quatuor *non* esse, nam si essent, quid te dicere attinebat?" Multo minus absurde quam primo videtur aspectu, certe in hanc causam egregie illud convenit: non enim verbis „age, tu laborem illum sustine, iuvenis enim etiamnunc es" eum alloquimur qui *revera* iuvenis est; *senem vegetum* sic incitamus atque hunc esse verborum illorum sensum luce clarius apparet ex iis quae statim adduntur: καὶ οὐ δέδιε μὴ λήθης εὐθύνας ὑπόσχῃ τοῖς νέοις, ubi dubium non est quin hic „iuvenis" *opponatur* iis qui *stricto sensu* sunt iuvenes. Nam, ut minimum, *aequales* inter se sunt Plutarchus Theoque: huius filios natu maiores quam illius esse diserte testantur complures loci, de quibus supra iam egimus. Et quis credat a *iuvene* Plutarcho hunc scriptum librum, qui quavis pagina plenam auctoris testetur maturitatem, quem ceterae dramatis personae tamquam suum suspiciant magistrum? Esto: primas partes Theo agit, sed quin ea defendat quae ipsi Plutarcho maxime cordi sint quis dubitet? Et quam apto usus est Plutarchus artificio ut suam de gravissimis rebus philosophiam commendet legentibus! Omnem vitat arrogantiae suspicionem post alium latens, hominem seniorem et morum suavitate carum acceptumque audientibus. Et quantus est huius oratoris lepor cum auctoritate iunctus. Probe sibi est conscius maiorem quandam sibi ab omnibus concedi libertatem loquendi, ergo non veretur simpliciter et aperte eas tractare res quas verecunde obtegere et vetare iuniores deceat: in disputatione contra voluptatem ea saepe dicenda sunt, quae ceteroquin taceri malumus, quaeque a sene dici aequo ferimus animo, a iuvene non ferimus. Et quanta senex hic abundat doctrinae copia, quanta est in eo venustas, quantumque facetiarum! Tamquam per ludum iocumque ea omnia in adversarii caput effundit eumque profligat argumentis non minus lepidis quam efficacibus. Nonne acute simul et prudenter observatur vel inde apparere voluptatem non ita

magni esse in vita hominum momenti quod illa neque diuturna sit et plerumque ad parvam modo corporis pertineat partem, cum dolores totum penetrent corpus et per longam possint tolerari annorum seriem? Nonne lepidissime Epicureis opponuntur aves cantantes aliaque animalia paulo sollertiora? Et nonne voluptas quam fere solam percipere senex possit, literarum disciplinaeque, ita hic depingitur ut vel eo solo argumento omnis evertatur sapientia Epicurea?

Denique haud absurde mihi videor libro Belgice scripto totum hunc librum in nostrum translatum sermonem inseruisse. Illas ergo consulant paginas qui Belgice sciunt, ceterorum causa quaedam inde sumpta hic Latine exponam. Sed consulam brevitati: multis enim iam verbis opus non est.

Quod in libro *non posse* primarium est non *philosophi* est Plutarchi sed *sacerdotis*, eius dico sacerdotis qui mentes hominum sursum tollit vocatque, qui non *sacrorum* est antistes sed ipsius pietatis, quae quo modo sit commendanda probe novit. Et quis id Plutarcho melius notum habuit unquam? Nonne egregie quantam habeat *utilitatem* deorum metus sic demonstrat: „magis conducit homini de vulgo, non exculto doctrina philosophica, poenae metu malis abstinere facinoribus quam iis commissis iam hic in perpetua versari sollicitudine et post mortem (nam verisimile est hoc quoque ei eventurum) graves dare poenas"? Nam ad illud „post mortem" quod attinet, facile est ex edito quodam sapientium templo contemnere mentium medicum qui doceat hanc vel summam fore piorum voluptatem quod eos plecti videant qui hic prae sua potentia opulentiaque omnem spreverint iustitiam aequitatemque, sed recordemur etiam summos ecclesiae Christianae patres idem illud in suam aeternae beatitudinis recepisse imaginem. Semperque nobis sit ante oculos quid hic agatur: felicem reddere gregem suum bonus hic fidusque conatur pastor a vitiis deterrendo, ad virtutem incitando. Quomodo id fieri possit nulla facta mentione bonorum quae bonos, malorum quae malos post mortem maneant, neque ego scio neque sciebat Plutarchus. Non est Plutarcho metuendum ne *mercedis* spe ad virtutem adduxisse homines dicatur, cum de virtutis *praemiis* loqueretur; et quis sibi fingere praemia potest quibus nulla est opposita *poena*? Iniquissimus vero in Plutarchum

sit qui ullam in eius admonitionibus quaerat crudelitatem. Non enim ille Plutarchi ceterorumque mentium medicorum pius *delectabitur* suppliciis quibus apud inferos afficiuntur mali, sed videns quam tristis nunc illorum sors sit intelliget se ea ambulasse via quae ad veram ducat felicitatem. Hoc unum spectavit Plutarchus ut homines suae commissi curae, quos tam tenero amplexus est amore, recte agendo felices fierent neque dubitamus quin et aliis libris et hoc revera illud, quatenus fieri possit, effecerit.

Nam haec vel maxima praestantissimi libri laus quod, Christianorum Iudaeorumque exceptis libris, fere hic tota antiquitate solus est quem iure dei id est verae *pietatis* plenum dicere possimus. Alte homines tollunt Plato tragicique Graeci sed nullo *caritatis* vinculo eos cum suo connectunt creatore. Quod libro *non posse* fieri quis neget? Praeclare depingit hominem ideo revera *fruentem* vita, quod eam sciat et datam sibi a Deo hominum amantissimo et in aeternum fida illius custodia fore tutam securamque. Indolem vere Christianam mihi tota illa imago spirare videtur; nam quod *hilaritatis* aliquid est aspersum, nemo tam est austerus qui ob eam causam Chaeronensem nostrum aversetur.

Hisce ita de utroque adversus Epicureos libro longiore expositis totum consideremus corpus. *Doctrinae* Epicureae a Plutarcho parci quis contendat? Immo vero nihil omittit quo eius possit perstringere levitatem, summaque demonstrat gravitate quot quantorumque illa iam sit causa fueritque malorum quantaeque calamitates ab ea etiam sint exspectandae: bonis eam nocituram moribus, eversuram fundamenta quibus innitantur familia, civitas, humanitasque, veram hominum pessumdaturam felicitatem. Eiusmodi adolescentium magistros quanta maxima potest condemnat severitate sed .... amari acerbique in voce eius aut nihil est aut certe multo minus quam plerisque quibus Stoicos refutat locis; nunquam Epicureos sic deridet ut nobis Luciani veniat in mentem. Quod eo magis est mirandum quod nihil Epicurei impudentius perstringere solebant quam id quod ipsi Plutarcho tantopere semper cordi fuerit: vitam dico hominis saluti prospicientis civium. Quid quod quae in libro *adversus Coloten* (1127 B) leguntur: „nonnulli sapientes vanitatis abundantia quadam eo sunt

adacti ut *vitis* magnorum virorum *scribendis* et de virtute declamando Lycurgi Solonisque imitarentur oblectationes" eiusmodi sunt ut tamquam in se dicta accipere et refutare potuisset Plutarchus. Sed nihil eiusmodi in hisce libris fieri videmus, contra quam carus Epicurus fratribus suis fuerit lubenter tamquam rem ipsi cognitu gratissimam commemorat. Quin etiam quamvis ridicula ei videatur „mutua" ista Epicureorum „adoratio", tamen non dissimulat se in ipsis illis absurdis laudibus quibus inter se illi utuntur sonum quendam audire qui fidam sinceramque testetur amicitiam. Denique, item ut quae contra Stoicos scripsit Plutarchus, libri eius quibus Epicureos refellit de temporis quo scripti sunt nos edocent moribus, documentoque sunt haud iniuria nos et ex aliorum et e Luciani libris efficere omnium qui tunc erant philosophorum Epicureos fuisse *homines* maxima comitate, humanitate urbanitate praeditos.

Restat ut *paucos* utriusque libri locos accuratius rei criticae causa examinemus; cur *paucos* satis dictum iam est. Hic autem, ne legentibus exhibeam negotia, vulgarem sequar paginarum ordinem.

Non posse 1086 D Sic liber incipit:

Κολώτης ὁ Ἐπικούρου συνήθης βιβλίον ἐξέδωκεν ἐπιγράψας „ὅτι κατὰ τὰ τῶν ἄλλων φιλοσόφων δόγματα οὐδὲ ζῆν ἔστιν", ὅσα τοίνυν ἡμῖν ἐπῆλθεν εἰπεῖν ὑ π ὲ ρ τ ῶ ν φ ι λ ο σ ό φ ω ν ἐγράφη πρότερον.

Nonne *ὑπὲρ τῶν ἄλλων φιλοσόφων* legendum? Sequitur enim: *ἐπεὶ δὲ καὶ τῆς σχολῆς διαλυθείσης ἐγένοντο λόγοι πλείονες ἐν τῷ περιπάτῳ πρὸς τὴν αἵρεσιν, ἔδοξέ μοι καὶ τούτους ἀναλαβεῖν,* ut inter se opponantur *οἱ ἄλλοι φιλόσοφοι* et *ἡ αἵρεσις,* ipsa Epicureorum secta.

1086 EF Impudentissima maledicta et convicia Metrodorus et Epicurus *Ἀριστοτέλους καὶ Σωκράτους καὶ Πυθαγόρου [καὶ Πρωταγόρου] καὶ Θεοφράστου καὶ Ἡρακλείδου καὶ Ἱππάρχου (καὶ τίνος οὐχὶ τῶν ἐπιφανῶν;) κατεσκέδασαν.*

Inclusa abesse malim; non enim dignus Protagoras, levis ille sophista (sic certe Plutarcho visus est), qui inter snmmos philosophos nominetur, una cum Socrate et Pythagora. Qui sciolo in mentem venerit illum addere manifestum est.

1089 D Confugiunt Epicurei ad *ἀπονίαν καὶ εὐστάθειαν τῆς σαρκός, ὡς ἐν τῷ ταύτην ἐπινοεῖν περί τινας ἐσομένην καὶ γεγενημένην τοῦ ἡδέως ζῆν ὄντος.*

Cetera omnia sunt apertissima, sed in solis verbis *περί τίνας* haeremus. Unde huc aberraverint incertum, sed eiicienda esse certissimum est.

1090 B *εὐδίαν δὲ χειμερινὴν μᾶλλον ἄν τις ἢ σαρκὸς ἀβλάβειαν ἐλπίσειεν αὐτῷ π α ρ α μ έ ν ο ι ε ν βεβαίως.*

Immo *παραμενεῖν*. Cf. D *πίστιν δὲ λαβεῖν περὶ τοῦ διαμενεῖν ἀδύνατον.* Ab his verbis sic pergitur: *ἀνάγκη δὴ ταράττεσθαι καὶ ὠδίνειν ἀεὶ πρὸς τὸ μέλλον ὑπὲρ τοῦ σώματος, ἣν περιμένουσιν ἐλπίδα πιστὴν ἀπ' αὐτοῦ καὶ βεβαίαν οὐδέπω κτήσασθαι δυναμένους.* Insana haec optime sanavit B. *οὐδέποτε* pro *οὐδέπω* legens. Quid enim absurdius quam dicere homines eam fiduciam *nondum* accipere posse, tamquam si *unquam* sint accepturi?

1090 E *θάλασσαν . . . ὑφ' οἷς Ἐπίκουρος ὀλίγον ἐδέησε καταποθῆναι πλέων εἰς Λάμψακον.*

Confidenter pro *οἷς* lege *ἧς*.

1091 D *τὸ γὰρ ἀναγκαῖον οὐκ ἀγαθόν ἐστιν, ἀλλ' ἐπέκεινα τῆς φυγῆς τῶν κακῶν κεῖται τὸ ἐφετὸν καὶ τὸ αἱρετὸν καὶ νὴ Δία τὸ ἡδὺ καὶ οἰκεῖον, ὡς Πλάτων ἔλεγε, καὶ ἀπηγόρευε τὰς λυπῶν καὶ πόνων ἀπαλλαγὰς ἡδονὰς μὴ νομίζειν, ἀλλ' οἷόν τινα σκιαγραφίαν ἢ μῖξιν οἰκείου καὶ ἀλλοτρίου, καθάπερ λευκοῦ καὶ μέλανος ἀπὸ τοῦ κάτω πρὸς τὸ μέσον ἀναφερομένων, ἀπειρίᾳ δὲ τοῦ κάτω καὶ ἄνω καὶ ἀγνοίᾳ τὸ μέσον ἄκρον ἡγουμένων εἶναι καὶ πέρας.*

Mirum viros doctos qui in huius libris lacunis deprehendendis supplendisque tam fuerint sagaces felicesque, hunc unum locum non eadem ratione sanasse. Male enim cohaerere manifestum est et quid exciderit sponte intelligitur. Insere post *μέλανος* haec (unde nova incipiat sententia): *οἱ δ' Ἐπικούρειοι πάθος πάσχουσιν.* Quod in annotatione legitur: „*μέλανος*] excidisse *ἄπειροί εἰσιν ἀληθείας περὶ πολλῶν τε ἄλλων μὴ ὑγιεῖς δόξας ἔχουσιν* putat Doehnerus", dubium non est quin aut editor aut Doehnerus dormitaverit.

1092 A *ἔστω δ' ἐπίσης* (nunquam metuisse inferos, ut animalia, et ratione eum metum depulisse) *καὶ γὰρ οὕτω φανοῦνται* (philosophi) *τῶν θηρίων οὐδὲν πλέον ἔχοντες ἐν τῷ μὴ ταράττεσθαι τοῖς ἐν Ἅιδου καὶ περὶ θεῶν λεγομένοις μηδὲ προσδοκᾶν λύπας μηδ' ἀλγηδόνας ὅρον οὐκ ἐχούσας.*

Rectissime illud *οὐκ* inserit R.: de *aeternis* enim agitur suppliciis. Sed eximendum est (ante *τῷ μὴ ταράττεσθαι*) *ἐν*, nam simplici dativo significandum est quae res efficiat ut proficiamus vel non proficiamus.

1092 E Quae sint voluptates et vitae „practicae" et studiorum in mentem nobis revocant *ἱστορίαι* ... *πολλὰς μὲν ἐπιτερπεῖς διατριβὰς ἔχουσαι, τὸ δ' ἐπιθυμοῦν ἀεὶ τῆς ἀληθείας ἀκόρεστον καταλείπουσαι καὶ ἄπληστον ἡδονῆς.*

Non cohaerent, sed *ἀληθοῦς* pro *ἀληθείας* lege, sententiam habebis egregie structam et verae plenam sapientiae.

Additur haec sententia relativa: *δι' ἣν οὐδὲ τὸ ψεῦδος ἀμοιρεῖ χάριτος, ἀλλὰ καὶ πλάσμασι καὶ ποιήμασι τοῦ πιστεύεσθαι μὴ προσόντος ἔνεστιν ὅμως τὸ πεῖθον.*

Miraculi instar est ei rei cui non habeatur fides tamen inesse vim fidei faciendae. Lege *κινοῦν* pro *πεῖθον*, nam fabulae, bene narratae, licet iis non habeatur fides, tamen legentem *movent.*

1096 E Aut praeter corpus nihil est relinquendum hominibus aut oportet *δύο φύσεις ἐν ἡμῖν διαφόρους ἀπολιπόντας ἴδιον ἀπολιπεῖν ἑκατέρας καὶ ἀγαθὸν καὶ κακὸν καὶ οἰκεῖον καὶ ἀλλότριον.*

Quidni *ἑκατέρᾳ* scribamus?

Hic ultima Theonis verba haec sunt: *εἰ μή τι νὴ Δία λέληθα συνεπισυκοφαντῶν τοὺς ἄνδρας*, sed ante ea excidisse suspicor quaedam quibus significaverit satis iam refutatos sibi Epicureos videri. Nam nunc quidem nimis subito disputatio ahrumpitur.

1097 D Citatis verbis quibus pro misso frumento gratias amico egit Epicurus ea tam magnifica esse ait Theo *ὥστε, εἴ τις ἐξεῖλε τὸ σιτάριον ἐκ τῆς ἐπιστολῆς τοῦ φιλοσόφου δόξαν ἂν παραστῆσαι τὰ ῥήματα τῆς χάριτος, ὡς ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ὅλης ἢ τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων ἐλευθερωθέντος ἢ σωθέντος γραφομένης.*

Beneficium (*χάρις*) ut opinor non *scribitur* sed *fit*. Contextus librarium in eum induxit errorem ut *γραφομένης* pro *γενομένης* scriberet. Fortasse etiam *ὡς* transponendum (*ὡς τῆς χάριτος*), sed necessarium id non videtur, nam *τὰ ῥήματα τῆς χάριτος* recte potuit scribi hoc sensu: „verba, quibus beneficium significatur''.

1101 A Non esse tollenda luctum lacrimasque multis docent verbis Epicurei, quibus citatis haec addit Aristodemus: *καὶ ὅσα δὴ παθαινόμενοι γράφοντες ὑγροί τινες εἶναι καὶ φιλικοὶ δοκοῦσι.*

Inter *παθ.* et *γρ.* inseruit *καί* sciolus, de more sciolorum non ferens participium a participio pendens.

1101 B *καὶ λέγω μιμούμενος, ὡς κτέ.*

Erasse Emperius videtur *μεμνημένος* pro *μιμούμενος* legens. Revera enim Aristodemum *imitari* Epicureos intelliges si sequentia cum praecedentibus comparaveris; at *μεμνημένος* prorsus non est huiusce loci.

1101 C *ὀλίγοι μὲν τῶν ἀνθρώπων δεδίασι τὸν θεὸν οἷς οὐκ ἄμεινον μὴ δεδιέναι.*

Dubitaturne etiam quin recte illud *οὐκ* deleverit Rasmus? Plerisque hominibus expedit deum metuere ergo paucis non metuere.

1102 E *οὐ τοίνυν ὀργαῖς καὶ χάρισι συνέχεται τὸ θεῖον ἅμα ὅτι χαρίζεσθαι καὶ βοηθεῖν πέφυκεν, ὀργίζεσθαι δὲ καὶ κακῶς ποιεῖν οὐ πέφυκεν.*

Nolim hic cum Rasmo *καὶ χάρισι* delere. Quid sit *συνέχεσθαι* optime docent verba 1103 D *τὸ γὰρ μακάριον οὔτ' ὀργαῖς οὔτε χάρισι συνέχεται.* Pro corruptis *ἅμα ὅτι* simpliciter *ἀλλά* est legendum: deus non ex ira et benevolentia constat sed totus est benevolentia.

1103 E Qui facto naufragio in mare decidit *ἐπ' ἐλπίδος ὀχεῖται τινος ὡς „γῇ προσέξων σῶμα''* [*καὶ διανηξόμενος*].

Unquamne manifestius vidisti interpretamentem?

1106 A Epicurei mortuorum, etiam carissimorum, nil nisi simulacra aspicientes aspecturique *ὀδυρόμενοι καὶ καινοπαθοῦντες διατελοῦσι.*

Mihi rectum *καινοπαθοῦντες* videtur: etenim Epicurei novos quosdam (eosque absurdos) invenerunt affectus. Certe non probandum Mezeriaci *κακοπαθοῦντες*, melius R. *δεινοπαθοῦντες*. Si quid mutandum, nonne *αἰνοπαθοῦντες* legamus?

Adversus Coloten 1107 F: Nestorem qui sorti permiserit quis Hectori opponeretur sic Plutarchus defendit: *ἐπὶ τὸν κλῆρον ἑαυτὸν ἔταξεν ὥστε τοῦ Φρονιμωτάτου βραβεύοντος* ... Sequi nunc statim debet versus notissimus: *ἐκ δ' ἔθορε κτέ.*, non praemitti: *γενέσθαι τὸν κατάλογον* quae verba, licet sensu sint cassa, quid sibi voluerit interpolator satis est perspicuum: putabat nempe homo semibarbarus *κατάλογον* esse *electionem*, et ne hoc quidem sentiebat suo additamento totum loci decursum perrumpi idque absurdissimum in modum.

1108 B „Vereor" Aristodemus ait „ne in Colote refutaudo iusto sim vehementior *τἀνθρώπου* (Coloten significat) *χόρτον τινὰ προβάλλοντος* ** *ήσεως Σωκράτει, καὶ πῶς εἰς τὸ στόμα τὸ σιτίον οὐκ εἰς τὸ οὖς ἐντίθησιν, ἐρωτῶντος.*

Est quod mireris editorem, virum Graece perdoctum et in Plutarcho versatissimum, lacunam sic implere [*ἀντὶ σιτ*] idque supplementum praeferre Wyttenbachiano [*ἀντὶ ἄρτου καταφρονοῦντι αἰσθ*] quod tamen unice verum esse ei qui Belgice sciat vel maxime elucebit e mea interpretatione: „Colotes schroomt niet te zeggen: „die Socrates, die de zintuigen zoo minacht, moest eigenlijk hooi te eten krijgen" en „waarom steekt Socrates het eten in zijn mond en niet in zijn ooren?"". Interpres Latinus Wyttenbachianum supplementum non satis illustrat.

1108 C Et alia clamant Epicurei et *οὐκ ἂν* ... *τὰς ἀρετὰς ὁμοῦ πάσας τετρημένου χαλκοῦ* (*πρίασθαι*) *δίχα τῆς ἡδονῆς πάσης πανταχόθεν ἐξελαθείσης· ἐνδεῖν δ' αὐτοῖς τὸν περὶ θεῶν καὶ ψυχῆς λόγον, ὡς ἡ μὲν ἀπόλλυται διαλυθεῖσα, τοῖς δ' οὐδενὸς μέλει τῶν καθ' ἡμᾶς.*

Cum W. equidem sic loci priorem partem suppleverim:

ἡδονῆς, ἧς πάσης πανταχόθεν ἐξελαθείσης οὐκ ἄξιον εἶναι ζῆν, tum pro ἐνδεῖν δ' αὐτοῖς sic fere scripserim: βραχὺν δ' εἶναι αὐτοῖς (hiatum non vitans). Totum locum sic verti: „(zij roepen) dat ze voor geen duit met een gat er in alle deugden te zamen zouden willen koopen, als 't genot er niet bij is; dat als men 't genot wegdrijft het heele leven geen leven meer is, dat ze over goden en ziel maar weinig hebben in 't midden te brengen en wel: de ziel wordt ontbonden, dus gaat ze te niet en: de goden trekken zich van onze aangelegenheden niets aan."

1108 E Olim semet ipsum Democriteum Epicurus appellabat διὰ τὸ περιπεσεῖν αὐτὸν πρότερον ταῖς ἀρχαῖς [περὶ Φύσεως].

Expungenda sunt ultima. Sententia enim haec est: „daar Democritus vóór hem op het denkbeeld van atomen is gekomen". (*Avondzon*[2] II p. 242).

1109 D Academicos diffidendum esse sensibus docentes sic refutat Epicurus:

ἀναπεφυρμένων καὶ συμμεμιγμένων ὁμοῦ τι πάντων, ἄλλου δ' ἄλλῳ πεφυκότος ἐναρμόττειν, οὐκ ἔστι τῆς αὐτῆς ποιότητος ἐπαφὴ καὶ ἀντίληψις οὐδὲ πᾶσι τοῖς μέρεσι κινεῖ πάντας ὡσαύτως τὸ ὑποκείμενον.

Ne sint haec sensu cassa, post ποιότητος inseratur ἡ αὐτή.

1110 A Cur vinum alios calefaciat alios refrigeret sic explicat Epicurus:

ἔνεισι γὰρ [καὶ] τοιαῦται ἐν τῷ τοιούτῳ ἀθροίσματι φύσεις, ἐξ ὧν ἂν ψυχρὸν συσταίη.

Immo θερμόν, nam quod sequitur: εἰς δέον τε ἑτέραις παραζυγεῖσαι ψυχρασίας φύσιν ἀποτελέσειαν his *opponitur.*

1110 C Contendit Epicurus οὐκ εἶναι τὰ χρώματα συμφυῆ τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ γεννᾶσθαι κατὰ ποιάς τινας τάξεις καὶ θέσεις πρὸς τὴν ὄψιν. οὐ μᾶλλόν δέ φησι κατὰ τοῦτον τὸν λόγον ἀχρωμάτιστον σῶμα εἶναι ἢ χρῶμα ἔχειν. (Immo ἔχον). ἀνωτέρω δὲ κατὰ λέξιν ταῦτα γέγραφεν· ἀλλὰ καὶ χωρὶς τούτου [τοῦ μέρους] οὐκ οἶδ' ὅπως δεῖ τὰ ἐν τῷ σκότει [ταῦτ'] ὄντα φῆσαι χρώματα ἔχειν.

Deleantur inclusa, nam *χωρὶς τούτου* est: „ut hoc omittam" et *omnino* de rebus (non de certis quibusdam rebus) quae sunt in tenebris agitur.

Errare autem Madvigius videtur hic Epicuri verba desinere statuens: pergit Epicurus exemplis docere non esse certos certarum rerum colores, deinde de ceterorum sensuum affectibus idem demonstrat. Quibus omnibus relatis sic concludit Plutarchus: ergo Democriteum illud *τῶν πραγμάτων ἕκαστον οὐ μᾶλλον τοῖον εἶναι ἢ τοῖον*, quod adeo improbat Epicurus, ipse defendit. Sed corruptum est primum vocabulum unde pergitur; legatur *καί* pro *καίτοι*.

1112 A Citatis notis illis Empedoclis versibus *ἄλλο δέ τοι ἐρέω· Φύσις οὐδενὸς ἔστιν ἑκάστου κτέ.* sic Pl. disputat: *ταῦτ' ἐγὼ οὐχ ὁρῶ καθ' ὅ,τι πρὸς τὸ ζῆν ὑπεναντιοῦται τοῖς ὑπολαμβάνουσι μήτε γένεσιν τοῦ μὴ ὄντος εἶναι μήτε Φθορὰν τοῦ ὄντος.*

Ante *τοῖς* interpres crucem pingit, sed omnia sunt sanissima: *τοῖς ὑπολαμβάνουσι* est: „eorum opinione qui putant" vel sic dicam: *ὑπ. τ. ὑ.* eodem redit ac si dictum esset: *ὑπεναντιοῦσθαι δοκεῖ τ. ὑ.*, ut dativus a *δοκεῖ* pendeat.

1112 D Habemus hic *ἐκΦορικῶς* fere sensu *τοῦ μεταΦορικῶς* et E *ἐκΦορᾶς* fere pro *μεταΦορᾶς*.

1112 E *Ἐπικούρου δὲ λέγοντος „ἡ τῶν ὄντων Φύσις σώματά ἐστι καὶ τύπος" πότερον οὕτως ἀ κ ο ύ ο μ ε ν ὡς ... ἢ ...*

Immo *ἀκούωμεν* hoc sensu: „utrum sic an sic eius verba sunt accipienda?"

1114 C Nihil omisit Parmenides praestantissimus ille philosophus (*ἄκρος* enim cum W. dicendus est, non *ἀρχαῖος*), qui de his rebus et scripserit *γραΦὴν ἰδίαν, οὐκ ἀλλοτρίας δ ι α Φ θ ο ρ ά ν.*

Nescio an varia lectio *διαΦοράν* praestet: hoc enim vel maxime Plutarchus Epicuro dat vitio quod paucis immutatis idem dixerit quod ante eum alii. Et omnino hoc argumento tamquam telo paratissimo semper et olim inter se petiverunt diversarum sectarum defensores et nunc quoque petunt. Sed nulli unquam frequentius eo usi sunt quam Stoici in Academicos. Quod multis

exemplis illustrare velle absurdum sit: res enim ipsa loquitur *τοῖς ἐπέχουσι*, qui plerumque tantummodo alienarum sententiarum censuram egerint, vulgo esse crimini datum quod novi nihil invenirent, nihil proferrent ipsi, et novimus omnes locum illum in Plutarchi libro *de facie in orbe lunae* (922 F) ubi Pharnaces Stoicus plenus irae astutas istas Academicorum praestigias exagitat quibus efficiunt ut *ἀπολογουμένοις ἀεὶ χρῆσθαι μὴ κατηγοροῦσιν* adversariis possint. Sed ex alio scriptore unum hic proponere locum, qui facile legentes fallere possit, haud abs re videtur. Strabo Stoicus commemorato argumento, quo Hipparchus Eratosthenem Academicum refutavit, „nunc *ἰδίᾳ τι πρὸς αὐτὸν λεγέτω* Eratosthenes" gloriabundus exclamat.

1116 A *ἀλλ' εἰ μὴ λέγοι σῶμα μηδὲ πεφωτισμένον, ἤδη μάχεται ταῖς αἰσθήσεσιν.*

Tollatur soloecismus *λέγει* pro *λέγοι* aut *μάχοιτ' ἂν* pro *μάχεται* legendo.

1116 C *ἀλλ' αὐτὸν ἡδέως ἂν ἐροίμην τὸν κατήγορον, εἰ τοῖς ἑαυτῶν πράγμασι τὴν διαφορὰν οὐκ ἐνορῶσι ταύτην.*

Immo *δόγμασι*, quemadmodum liquido apparet e sequentibus.

1121 F „*μηδὲν γὰρ αὐτὸν* (Arcesilaum) *ἴδιον λέγοντα" φησὶν* (Epicurus) „*ὑπόληψιν ἐμποιεῖν καὶ δόξαν ἀνθρώποις ἀγραμμάτοις" ἅτε δὴ πολυγράμματος αὐτὸς ὢν καὶ μεμουσωμένος.*

Signum, quod hic post *ἀγραμμάτοις* legitur, post *μεμουσωμένος* est ponendum, ut liberiore sententiae structura *Arcesilaus* dicatur sibi literatus et doctus videri (*ἅτε δή* = utpote qui). Aut tota illa *ὑπόληψις* et *δόξα* „in aëre pendebunt" ut aiunt. Locum ita ut ego volo illustrat interpres.

1122 E Academicum *ἐπέχοντα* sic ludibrio habet Epicurus ut roget: *ἀλλὰ πῶς οὐκ εἰς ὄρος ἄπεισι τρέχων ὁ ἐπέχων ἀλλ' εἰς βαλανεῖον, οὐδὲ πρὸς τὸν τοῖχον ἀλλὰ πρὸς τὰς θύρας ἀναστὰς βαδίζει, βουλόμενος εἰς ἀγορὰν προελθεῖν;*

Totus contextus clamat post *βαλανεῖον* inserendum esse: *λοῦσθαι βουλόμενος.*

1124 D *ὅθεν, ὥσπερ οἱ περὶ τὸ θεῖον πλημμελήσαντες, ἐξαγορεύων τὰ ἑαυτοῦ κακὰ τελευτῶντος ἤδη τοῦ βιβλίου φησὶν ὅτι κτἑ.*

Post *πλημμελήσαντες* non dubito quin huiuscemodi aliquid exciderit: *τελευτῶντος τοῦ βίου ἑαυτῶν κατηγοροῦσιν.* Verti: „gelijk menschen die tegen de Godheid hebben gezondigd zich zelven bij het eind huns levens aanklagen, zoo klaagt hij zich zelven aan op het eind van zijn boek, waar hij zegt ...".

1127 C Metrodorus *ἐλεύθερον* dicit suum *γέλωτα*, sed *servilem* eundem vocat Plutarchus. Quapropter *ἐλευθέριον* et paulo post *ἐλευθέριος* legendum censeo.

DE MUSICA.

Utilissimum esse hunc librum ei qui Graecorum arti musicae cognoscendae dat operam si quis contendat, ego ei non obloquar: in ipsa enim arte illa plane hospes sum, ergo absurdum sit de ea re me in utramvis partem disputare. Neque huiusce libri ratio eiusmodi ferat disputationem: non enim de re musica agimus sed de Plutarcho. Ergo quoniam ad librum *de musica* est perventum, haec sola nobis tranctanda relinquitur quaestio sitne Plutarchi liber ille an non sit. Sed quid ego multus hic sim? Tota enim illa quaestio dudum a Volkmanno est profligata, qui et alia multa docte et acute exposuit et Westphalium refutavit, qui sibi eo argumento vindicasse Plutarcho librum visus est quod *consolationi ad Apollonium* non sit dissimilis: eam enim haud dubie Plutarcho esse abiudicandam. Quod mihi tam verum videtur ut addam si cum *consolatione ad Apollonium* quidquam liber *de musica* habeat commune, satis esse argumenti cur eum a Plutarcho scriptum *non* esse nobis constet. Accedit et alterum indicium quo olim et alii et Volkmannus inducti genuinum Plutarchi opus hoc esse crediderunt: quod et hic et in *Quaestionibus Convivalibus* (V, 5) Onesicrates coenam praebet. At in Q. C. Onesicrates Chaeroneae habitat, hic Alexandriae, hic est musicus in Q. C. medicus, in Q. C. Plutarchi dicitur *sodalis*

at *magister* in libro *de musica*. Postremo si hic liber tamen — id quod incredibile — a Plutarcho scriptus est, est scriptus a Plutarcho adolescentulo: in Quaestionibus Convivalibus eo loco ubi idem ille Onesicrates primas agit partes, libri *de musica* nulla fit mentio, licet utrobique Onesicrates sit coenae dominus: unquamne maiorem „argumenti e silentio" vim vidisti?

Sed prae ceteris hic usu venit id quod saepius iam de hiatu vitato vel non vitato dixi: si quis liber praeterea nihil habeat quod Plutarcho indignum alienumve a moribus eius videatur, male eum propter quamvis multos hiatus Plutarcho abiudicari, sin propter argumentum, sermonem, denique totam indolem Plutarchi non esse videatur liber qui ab eo scriptus fertur, illud argumentum mirum quantum acquirere roboris, si praeterea hiatus non vitatos intelligamus. Et quis vel cogitari potest liber Plutarcho indignior quam hic *de musica*? Non quod sit aridae doctrinae congeries, ex antiquorum libris sublatae: eiusmodi collectiones et conspectus haud dubie fecit Plutarchus et facere debuit tam sua quam discipulorum causa, et bona pars eiusmodi librorum, quamvis omnibus modis immutatorum, ad nos pervenit. Sed haec est doctrinae *ostentatio*, quae primum nihil habet quod mores emendet sanetque — id quod semper et ubique prae ceteris omnibus rebus Plutarchus scribendo efficere studet — deinde absurdissimum in modum semet ipsa exornat speciemque sumit colloquii a convivis habiti. Festivum hercle et iocosum convivium in quo loquentes inducantur Lysias iste et Soterichus „comissatores haud sane commodi"! Ferendus enim neuter est neque Lysias de musica „practica" agens (exercet enim eam artem et *εἷς τις τῶν σύνταξιν παρ' Ἀνησικράτους λαμβανόντων* est: conductos ergo Onesicrates habet symphoniacos, de quibus et ipsis in *Quaestionibus Convivalibus* altum est silentium) neque *Soterichus* cui partes philosophice de musica agendi mandantur. Neque minus ineptus ipse coenae dominus qui post, satis hercle longas, utriusque orationes subito duo nova argumenta afferat: 1 de musica coenam exornante 2 de musica Pythagorica secundum quam totum vertatur coelum, allataque subito relinquat convivasque dimittat. Audite mihi hasce loquendi formulas (c. 7 in.): *ἐπεὶ δὲ τοὺς αὐλῳδικοὺς νόμους καὶ κιθαρῳδικοὺς ὁμοῦ τοὺς ἀρχαίους ἐμπεφανίκαμεν, μεταβησόμεθα ἐπὶ μόνους*

τοὺς αὐλῳδικούς, et (c. 13 in.): εἰρηκὼς κατὰ δύναμιν περί τε τῆς πρώτης μουσικῆς καὶ τῶν πρῶτον εὑρόντων αὐτὴν ... καταπαύσω τὸν λόγον καὶ παραδώσω τῷ ἑταίρῳ Σωτηρίχῳ convivarumne ista sunt, quales in scenam producere Plutarchus solet, an putidorum magistellorum, quos ferula deceat magis quam poculum?

Et videte quanta laboret scriptor verborum inopia:

p. 1143 CD ἐπεὶ καὶ περὶ αὐτῶν τῶν Δωρίων μελοποιιῶν ἀπορεῖται πότερόν ἐστι διαγνωστικὴ ἡ ἁρμονικὴ πραγματεία, καθάπερ τινὲς οἴονται, τῶν Δωρίων, ἢ οὔ

et *tribus* interiectis lineis de *alio* argumento:

ἐπεὶ καὶ περὶ αὐτῶν τῶν παιωνικῶν ῥυθμοποιιῶν ἀπορεῖται, πότερόν ἐστι διαγνωστικὴ ἡ ῥυθμικὴ πραγματεία τούτων, καθάπερ τινές φασιν, ἢ οὐ διατείνει μέχρι τούτου.

Sed quantus est philosophus iste Sotericus qui versus Homericos:

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,
καλὸν ἀείδοντες παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν
μέλποντες ἑκάεργον· ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων

sic illustret scilicet ut musica pestilentiam ab Acheis pulsam dicat!

Et tamen de altero conviva Onesicrates declarat: εἱστίασεν ἡμᾶς de altero ἐπεδαψιλεύσατο. Parum ergo laute parata coena contentus est et convivas contentos esse iubet!

Sed οὐ γὰρ ἐσθλὸν κειμένοις ἐπεμβατεῖν et iacet liber hic Volkmanni perfossus telis. Ergo ne plane ἀσύμβολος huc venisse videar, unum verbum, quod sub ipsum legitur finem, emendare conabor. Semel toto convivio prudens est et tantum non urbanus Onesicrates: *finem* enim imponit colloquiis, idque hoc argumento: ἀνώτατον δὲ καὶ μουσικώτατον τὸ παντὶ τὸ προσῆκον μέτρον ἐπιτιθέναι. Ut concedam, quod incredibile est, ἀνώτατον esse *summum, optimum*, parum aptum eiusmodi hic sit adiectivum: requiritur aliquod, quod item ut μουσικώτατον non „generalem" sed peculiarem quandam laudem significet: $\overline{\text{ανωτατον}}$ est compendium syllabarum ἀνθρωπότατον, ante quas syllaba φιλ excidit. Omne autem convivium sed praesertim hoc debet esse φιλανθρωπότατον καὶ μουσικώτατον.

CAPUT XXI.

Iam perventum est ad septimum editionis Bernardaκisianae volumen „fragmenta" continens „vera et spuria multis accessionibus locupletata". Addendum erat „dubia" nam insunt quae aliis genuina, aliis subditicia videantur. Neque sunt „fragmenta" omnia, certe commentarii *de vita et poesi Homeri* quam integerrimi ad nos pervenisse videntur. Sed hoc levius. Totum autem volumen raptim percurram, et omnino de omnibus quos continet libris brevissimus ero; ibi tantummodo diutius subsistam ubi se quaestio aliqua de Plutarcho philosopho et scriptore paulo gravior offert, et offerent se quaedam quae maximi iure videri possint momenti. Sed videamus de singulis.

I *De libidine et aegritudine*

II *De parte an facult. animi affect. subiecta.*

Hos libros per saturam Plutarcho abiudicat Volkmannus propter hiatum neglectum et propter „die ganze Behandlungsweise der in Rede stehenden Probleme". Sed hiatus in secundo libello satis rari sunt, in priore vero rarissimi et plerique omnes lenissimi (post περί, ἤ, ὁ, ἡ simm.), et quod ad dispositionem pertinet admodum inter se discrepant. Alterum nemo tam tenax est propositi qui perlegere possit, alter vero satis bene cohaeret et est disputatio minime inepta de quaestione „morali". saepe a doctis philosophis tractata. Haud inepte eam conferas cum libello *de fortuna*, quem cum disputatiunculis, quas hodierni viri docti bibliothecis, communi labore collectis, inserendas curant suo loco comparavi. Quaeritur enim corporisne an animi sint affectus cupiditas et aegritudo: „corporis" aiunt alii, alii „animi"; tertium genus philosophorum declarat partim esse περὶ ψυχήν

σωματικά partim *περὶ σῶμα ψυχικά*, superveniunt denique qui neque corporis neque animi esse sed totius hominis clament. His omnibus noster accurate respondet, nisi quod de ultima opinione tantummodo declarat non esse hoc *solvere* quaestionem sed *fugere*, et hic fere subsistit. Apparet ergo haud pauca desiderari. Denique alterum libellum nihil dubitans Plutarcho abiudico, de priore *ἐφεκτέον* statuo; magis tamen eo inclino ut eum Plutarcho vindicem; habet enim flosculos quam maxime Plutarcheos hosce: c. 6 illud *ἤπου* in apodosi, et c. 8 versum illum qui Plutarcho tam saepe est in ore: *δεινὸς κολαστὴς πέλεκυς αὐχένος τομεύς*. Praeterea ad hunc pauca quaedam annotanda videntur:

c. 1 *εἰ τὴν αὐτοπάθειαν ἀπολύσεται τὸ σῶμα τούτων* (*τῶν παθῶν*) . . .

Nonne *ἀποδύσεται* est legendum, ut corpus eum affectum vestimenti instar *exuere* et a se removere dicatur?

s. f. Qualiscunque sit *ὁ θυμός . . . οὐκ ἄδηλον ὅτι . . . παρέξει ζήτησιν εἴτε τοῦ σώματος ἐκριπτούμενος χειμάζει τὸν ἄνθρωπον* ***.

Lacunae in fine signum tolli poterit, si post *σώματος* inseruerimus *εἴτε τῆς ψυχῆς*. Sed corruptum *ἐκριπτούμενος* videtur, pro quo nescio an legendum sit *ἐκριπιζόμενος*, ut corpus et animus comparentur cum instrumentis flantibus afflantibusque, nam *flatus ventique* mentionem egregie huc quadrare luculenter verbum *χειμάζει* docet.

c. 2 *Θεόφραστος . . . ἔφη τῷ σώματι πολλοῦ τὴν ψυχὴν ἐνοικεῖν, ὀλίγου χρόνου βαρεῖς μισθοὺς ὑποτελοῦσαν, τὰς λύπας τοὺς φόβους τὰς ἐπιθυμίας τὰς ζηλοτυπίας, αἷς συμφερομένη περὶ τὸ σῶμα δικαιότερον ἂν αὐτῷ δικάζοιτο πηρώσεως ὧν ἐπιλέλησται, καὶ βιαίων ἐφ' οἷς κατέχεται, καὶ ὕβρεων ὧν ἀδοξεῖ καὶ λοιδορεῖται, τῶν ἐκείνου κακῶν ἀναδεχομένη τὰς αἰτίας οὐ προσηκόντως*.

Quicunque hunc librum scripsit, optime de posteritate meritus est qui praeclarum hunc Theophrasti locum servaverit (quem ipsi Plutarcho notissimum fuisse et quam maxime probatum certo scio). Sed lacer ad nos pervenit. Ante *τῶν ἐκείνου* insere *ἢ* et pro *ἀναδεχομένη* lege *ἀναδέχοιτο*, praestantissima haec et omnibus numeris absoluta habebis: „maiore iure animus in iu-

dicium corpus vocet iniuriarum, quam ipse sustineat culpam malorum corporis". Praeterea ante *οἷς κατέχεται* eximenda praepositio videtur; egregie inter se opponuntur *ὧν ἐπιλέληστai* et *οἷς κατέχεται*.

c. 4 s. f. Ad demonstrandum omnes dolores *mentis* esse hisce indiciis Strato usus est: *προσκόψαντες αὐτίκα τὰς ὀφρῦς συνάγομεν, τῷ πληγέντι μορίῳ τοῦ ἡγεμονικοῦ τὴν αἴσθησιν ὀξέως ἀποδιδόντος, καὶ παρεγκάπτομεν ἔσθ' ὅτε τὸ πνεῦμα.*

Hic deest aliquid: significandum enim hic quoque *quando* id faciamus (ut in praecedentibus participio *προσκόψαντες*).

Additur hoc:

κἂν τὰ μέρη δεσμοῖς διαλαμβάνηται ταῖς χερσὶ σφόδρα πιέζομεν ne ad mentem res penetret et dolorem efficiat.

Haec omnia mihi ipsa nocte obscuriora videntur; unum video *τινὰ* esse legendum pro *τά*.

c. 6 *καθάπερ γὰρ οὗτοι . . . τὸν αὐτὸν τρόπον ἡμῖν . . . δεόμεθα.*

Apte procedet sententia si pro *ἡμῖν* legemus *ἡμεῖς* cum Tyrwhittio.

c. 8 *ὀρχεῖται ὁ ἄνθρωπος ἀλλὰ ταῖς χερσί· καὶ λακτίζει ὁ ἄνθρωπος ἀλλὰ τοῖς σκέλεσι.*

Pro *ὀρχεῖται* Naberus coniecit *ὀρέγεται*, ingeniose sane, sed fortasse ea significatur *ὄρχησις* de qua est liber Lucianeus: ea autem manibus potius quam pedibus fiebat, et est *ὀρέγεσθαι* verbum paulo languidius.

ib. *οὐκ ἀποστερῶν ἑαυτὸν . . . ἀλλὰ δῆλον ὅτι.*

Rectissime *δηλῶν* B. pro *δῆλον*.

ib. Qui utrum affectus, de quibus agitur, animi an corporis sint dubitat *οὐκ ἀγνοεῖ ὅτι τὸ λυπούμενον καὶ ἐπιθυμοῦν ἄνθρωπός ἐστι, πότερον δὲ τῇ ψυχῇ προεχρώμενος ἢ τῷ σώματι καὶ εἰ κατὰ τὸ σῶμα τοῦτο πάσχει (ἢ κατὰ τὴν ψυχὴν) διηπόρηκεν.*

Utique inserenda quae inserui.

c. 9 *ὅσοι τοίνυν τὴν ψυχὴν οὐκ ἄφθαρτον οὐδ' ἀθάνατον μόνον*

ἀλλὰ καὶ ἀπαθῆ πειρῶνται διαφυλάττειν; ῥώμην τινὰ τῇ ἀπαθείᾳ τὴν ἀφθαρσίαν προβαλλόμενοι κτὲ.

Immo vero *τὴν ἀπάθειαν τῇ ἀφθαρσίᾳ* nam *ἡ ἀπάθεια* firmam tutamque reddit *τὴν ἀρθαρσίαν.*

III, IV, V, VI fragmenta sunt e libro *de anima*, falsissime vero etiam VII hunc gerit titulum, non quod negem Olympiodorum has ad Phaedonem Platonis annotationes sumsisse e Plutarchi commentario, nam neque commentarios scribendi negotium a Plutarchi rationibus alienum, et quemnam ille librum illustraverit potius quam divini philosophi colloquium *de immortalitate animi*? Sed in libro *de anima* nullus fuit eiusmodi annotationibus locus.

Luculenter vero e ceteris fragmentis apparet quam varius, quam rerum plenus, quam praeclarus ille liber fuerit. Neque mirum fuisse: tum enim non potuit non *ἑαυτοῦ δεινότατος* esse Plutarchus cum *data opera* ageret de *anima*, atque (nam hoc in toto fragmento praecipuum) de eius *immortalitate.*

Primum de fragmento VI videamus, quod et omnium est longissimum et maximi momenti. Traditum id nobis est tamquam a *Themistio* scriptum, sed nemo mortalium dubitat vel dubitare potest quin falsum illud sit. Nam non solum tota disputatio quam maxime est Plutarchea atque ita enuntiata et exornata ut quivis in Plutarcho paulo versatior statim Chaeronensem suum agnoscat sed accedit hoc quod primas in colloquio partes agunt ... Timon, quem Plutarchi fuisse fratrem probe novimus, et vix minus ille notus nobis Patrocleas, Plutarchi affinis, qui et dramatis consimilis, quod in libro *de sera numinis vindicta* agitur, haud spernendam sustinet partem (cf. *Q. Conv.* II, 9 in.). Sed de hac quidem re ultra verbum non addo: nemo enim iam est qui illud, quod Themistio tribuit fragmentum Stobaeus, ulli alii scriptori quam Plutarcho vindicet. Nam fragmentum est, addoque brevissimum, sed illud summi pretii, vix auro rependendum. Quod ut Graece nescientibus persuaderem, totum libro c. t. *de Avondzon des Heidendoms* vernacule versum inserui. Nunc unum inde locum protraho quem versibus quibusdam illustrem Lucretii. Praeclarus est ille in tertio libro locus de hominibus, qui sibi iam perfecti videntur philosophi, licet pristinae

infirmitatis identidem certissima dent documenta (vs. 31—58).
Tum annectuntur haec:

Denique avarities et honorum caeca cupido,
Quae miseros homines cogunt transcendere fines
Iuris et interdum socios scelerum atque ministros
Noctes atque dies niti praestante labore,
Ad summas emergere opes, haec vulnera vitae
Non minimam partem **mortis formidine** aluntur.
Turpis enim ferme contemptus et acris egestas.
Semota ab dulci vita stabilique videntur
Et quasi iam leti portas cunctarier ante;
Unde homines dum se falso terrore coacti
Effugisse volunt longe, longeque remosse,
Sanguine civili rem conflant divitiasque
Conduplicant avidi, caedem caede accumulantes,
Crudeles gaudent in tristi funere fratres,
Et consanguineum mensas odere timentque;
Consimili ratione ab eodem saepe timore
Macerat invidia, ante oculos illum esse potentem,
Illum aspectari, claro qui incedit honore,
Ipsi se in tenebris volvi caenoque queruntur.
Intereunt partim statuarum et nominis ergo.
Et saepe usque adeo, **mortis formidine**, vitae
Percipit humanos odium lucisque videndae,
Ut sibi consciscant maerenti pectore letum,
Obliti fontem curarum *hunc* esse *timorem*,
Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai
Rumpere et in summa pietatem evertere fraude:
Nam iam saepe homines patriam carosque parentes
Prodiderunt, **vitare Acherusia templa petentes.**

His quod addit notum illud *nam veluti pueri* e. q. s., denique totum locum concludit non minus decantatis illis *hunc igitur terrorem animi . . . naturae species ratioque,* cum praeclaro poeta digladiari nolumus statuente *naturae* demum *studio* homines *feliciores* i. e. *meliores* reddi, licet sciamus eo praesertim abusos esse homines ad instrumenta invenienda quibus dirissimas crudelissimasque ederent hominum strages. Sed quae praeterea dicit poeta, dignissima videntur in quibus paulisper subsistamus. Hic

ut *opulentior* fiat scelus committit grave, gravius alius, licet saepe non dicatur scelus, ut ad imperium dignitatemve perveniat. Sed quorsum divitiae illae appetuntur illaque potentia? Nonne plerumque id ideo fit quod se homines periculis obnoxios putant, adversus quae undique quaerunt subsidia et propugnacula? Atque illa pericula non virtuti imminent rectaeque conscientiae sed corpori vitaeque. Tamen paradoxon est quod primum audientes conturbet et obstupefaciat: „*e mortis metu* omnia oriuntur scelera et maleficia". Certe ego multos amicos in omni literarum genere versatissimos interrogavi usquamne illud in suis invenissent libris. Sed nusquam exstare videtur nisi apud Lucretium et in nostro libri *de anima* fragmento.

Iam ex uno hoc exemplo videtis quam rerum variarum earumque minime tritarum plenum illud opus fuerit. Et *magnum* fuit opus, ut minimum *trium* librorum: citat enim quaedam Gellius e libro *primo* (non *priore*). Sed dubium non est quin ita libros illos scriptor exornaverit variaveritque ut nunquam obrepere legenti somnus posset. Videamus quae praeter nostrum fragmentum supersint:

1 Apud Aulum Gellium (I, 3, 31) prudens Chilonis e Plutarchi citatur libro primo de anima dictum, qui nullum habeat inimicum etiam amicum habere nullum. Conferri potest Antisthenis illud, quod in deliciis Plutarcho fuisse videtur: expedit homini aut verum habere amicum aut inimicum acrem.

2 Apud eundem (XV, 10) lepidam illam legimus narrationem de Milesiis virginibus, quam et in libro *de mulierum virtutibus* retulit Plutarchus, quae subito missum fecerunt insanum illum semet suspendendi amorem, cum decetum esset ut omnes quae sic finivissent vitam *nudae cum eodem laqueo* efferrentur. Hic primum prudentissime Bernardakis locum in libro *de mulierum virtutibus* e Gellio supplendum esse verbis *τῷ αὐτῷ βρόχῳ δεδεμένας* intellexit, nam nisi laquei illi adessent, qui scire poterat populus quid sibi illud nudarum vellet virginum funus? Deinde in eodem libro hanc addit disputationem Plutarchus: *μέγα δὴ τεκμήριον εὐφυΐας καὶ ἀρετῆς ἡ τῆς ἀδοξίας εὐλάβεια, καὶ τὸ πρὸς τὰ δεινότατα, θάνατον καὶ πόνον, ἀδεῶς ἐχούσας φαντασίαν μὴ ὑπομεῖναι μηδ᾽ ἐνεγκεῖν αἰσχύνης* μ ε τ ὰ θ ά ν α τ ο ν *ἐσομένης*, quae quam disertissime omnem nobis eximunt suspicionem de aliquo

Gellii *errore*, haec e libro *de anima* citante. Nam haud dubie innatam quandam mulieribus illis ea res testabatur pudicitiam, recteque ergo tota narratio a Plutarcho in libro *de mulierum virtutibus* posita est, sed maiore etiam iure in libro *de anima* suum sibi ille vindicat locum: docet enim ne insanos quidem insanasque nescire se post mortem superstites fore. Et bis (atque adeo saepius) idem narrare Plutarchum quis miretur?

3 Sed multo etiam facetior lepidiorque est narratio de Antyllo quem Orci ministri pro Nicanda sutore ad inferos adduxerint et ab eo reprehensi in vitam reduxerint simulque secum tulerint eum qui revera erat capite damnatus. Fit ea narratio auctoribus Sositele et Heracleone. Quorum bene notus nobis hic est: disputans enim introducitur *De Def. Or.* c. 6 et *De Soll. An.* c. 8. At de Plutarchi amico *Sositele* nusquam legimus. Ecquid forte pro *Σωσιτέλει* est legendum *Σωσικλεῖ*, qui inducitur tamquam Plutarchi familiaris (*Q. Conv.* II, 4, 1)?

Non potest carere disputatio *de immortalitate animi* aliquo *mytho* de homine qui ipse inferos viderit deque iis narraverit viventibus. Opinor *clausum* fuisse librum nostrum mytho aliquo pleno gravitatis et legentium animis commovendis aptissimo. Sed et hic, quamvis risum moveat potius, hunc librum non dedecet demonstratque quam multis illud fuerit illustratum ornamentis.

Ad maius illud fragmentum praeterea haec annotare velim:

c. I *εἰ γὰρ ἡ δόξα τῆς ἀφθαρσίας παμπάλαιός ἐστι, πῶς αὖ πάλιν τὸ τοῦ θανάτου δέος πάντων πρεσβύτατον εἶναι τῶν φόβων.*

Optime structuram sanavit Duebnerus pro *εἶναι* legendo *ἂν εἴη*.

c. II Locutiones quales sunt hae: „mortuus *abiit, migravit* *δυσχεροῦς οὐδενὸς ἁπλῶς. ἀμείψεως δέ τινος ἢ μεταβολῆς ὑπόνοιαν δίδωσιν.*

W. virgulam post *οὐδενός* ponit ut *ἁπλῶς* fere sit „tantummodo"; secundum B. ea vox confirmat praecedentem vocem *οὐδενός* („ut breviter dicam nullius" vel „prorsus nullius") quod verisimilius. Et Wyttenbachii distinctio transpositum *δέ* flagitat: *ἁπλῶς δ' ἀμείψεως.*

ib. Vox *γένεσις δηλοῖ ῥοπήν τινα καὶ νεῦσιν ἐπὶ γῆν, ἐκείνου τοῦ περὶ τὴν τελευτὴν πάλιν ἀναθέοντος.*

Deleatur virgula quae post *γῆν* ponitur: „significat inclinationem terram versus eius rei (sc. animae) quae mortis tempore surgit in altum". Minime vero cum W. ante *ἐκείνου* est inserendum *ὡς*.

ib. s. f. *τὴν ἀμύητον ἐνταῦθα τῶν ζώντων [ἀκάθαρτον] ἐφορῶν ὄχλον.*

Vox inclusa utique delenda est.

ib. *τὴν πρὸς τὸ σῶμα τῇ ψυχῇ συμπλοκήν.*

Legatur quod proponit Nauckius *τῆς ψυχῆς*, nam *πρὸς τὸ σῶμα* idem est quod *τῷ σώματι.*

c. 4 *τῷ παρὰ φύσιν τὸ κατὰ μικρὸν συνηθες καὶ σύντροφον ἐποίει τὴν αἴσθησιν.*

Lege *συνήθη*, nam sententia est: *τὸ κατὰ μικρὸν* sensum assuefaciebat *τῷ παρὰ φύσιν.*

VIII *Stromates.* Non video cur hunc conspectum variarum sententiarum philosophicarum, cuius nobis partem servavit Eusebius in *Praep. Ev.*, Plutarcho abiudicemus. An propter hiatus? Sed sibimet ipse ridiculus visus esset Plutarchus, si eos et in compendiis, quae multa fecit neque non fecere potuit, vitasset. Plenum autem hoc est rerum aliunde non notarum et omnino Plutarcho minime indignum. Multorum usu tritum et sic graviter corruptum esse quid miremur?

IX et X *De Daedalis Plataeensibus.* Duobis hisce fragmentis antiqui mythi allegorice illustrantur, idque lepide. Totum opus Plutarchum non dedecuisse opinor.

XI *E commentariis in Hesiodum* sat multa nobis servavit Proclus, in quibus statim Plutarchum agnoscimus auctorem. Primum hic commentator non tam illustrat quam defendit poetam Boeotum *contra fastidia* noviciorum, adunco naso suspendentium priscum illum cascumque vatem, quales multos tunc fuisse et alibi et

in ipsa urbe Roma libenter credimus. Nam de ea ut cogitemus et exempla ex historia Romana petita efficiunt et illud *Μαρτίου μηνὸς κα΄* quod p. 75 l. 19 apud B. legimus. Totum commentarium nobili alicui Romano dedicatum fuisse opinor, quandoquidem quin per totum orbem terrarum spargi eum Plutarchus voluerit nulla est dubitatio. Nam sic defendit Hesiodum ut doceat quam multa ille *moribus emendandis* apta praebeat. Huic enim rei semper prae ceteris operam dedit Plutarchus et hic quoque dat: propter illam e poeta dilectissimo omnia eximit quae vel nocere moribus possint vel nihil prosint legentibus. Prae illa omnem *ἀκρίβειαν* philologicam adeo spernit ut non erubescat pro Xenophonte nobis Platonem exhibere tamquam *vasorum in aedibus recte dispositorum* laudatorem. Narratio vero de insulis beatorum (p. 53 sq.) quin ipsum habeat Plutarchum auctorem nemo iam dubitat. Quis magis illo in deliciis habuit unquam eiusmodi mythos qui simul graviter et venuste defenderent immortalitatem animae? Denique ne dubitemus quin idem qui totam suam contra Herodoti defenderit columnias patriam et pro vetusto Boetorum poeta sumserit arma.

Ad varios cummentarii locos haec adnoto:

B. p. 51, 12 *οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε*] *τὸν ἐκ τοῦ ῥᾴστου β ί ο υ λέγει . . .*

Immo *βίον*, nam haec vocabula *vitam* minimis *contentam* significant.

p. 53, 8 Rectissime Westerwickius *πρὸς γεωργίαν* ita transponit ut haec habeamus: *περὶ τὴν τῶν ὅπλων κατασκευὴν διέτριβον καὶ τῷ χαλκῷ πρὸς τοῦτο ἐχρῶντο ὡς τῷ σιδήρῳ, διά τινος βαφῆς τὸν χαλκὸν στερροποιοῦντες ὄντα φύσει μαλακόν. ἐκλιπούσης δὲ τῆς βαφῆς ἐπὶ τὴν τοῦ σιδήρου πρὸς γεωργίαν καὶ ἐν τοῖς πολέμοις χρῆσιν ἦλθον.*

Nunc *πρὸς γεωργίαν* satis inepte post *ὡς τῷ σιδήρῳ* legitur. Ultimum vocabulum idem v. d. recte posuit pro tradito *ἐλθεῖν*.

p. 54, 14 *ἐκεῖ γ ο ῦ ν ἀποβάντες κτἑ.*

L. *δ᾽ οὖν*, quoniam non ratio redditur, sed omissis prioribus ad ceteram transitur narrationem.

p. 56, 1 Scholion ad οὐδὲ μὲν ἐσθλός cum Westerwickio ita est corrigendum ut translato οὐ legatur:
λέγει δὲ ἐσθλοὺς τοὺς τῇ τύχῃ καὶ τῇ δυνάμει προέχοντας, ὥς φησι Πλούταρχος, ἀλλ' οὐ τοὺς κατ' ἀρετὴν [προέχοντας del.], ἐκ τούτου μᾶλλον δεικνὺς τὴν ὕβριν ἀφόρητον.

p. 60, 16 Plutarchus vocem ἰλαδόν interpretatus est τὸ πᾶσαν ἐγκολπίσασθαι κακίαν ὁμοῦ δηλοῦν.
Ista non intelligo.

p. 61, 2 τὸ θεῖον αὔταρκες, ὥ σ τ ε κ α ὶ ὁ ἑ α υ τ ῷ π ά ν τ α ν ο ῶ ν κ α ὶ π ρ ο ο ρ ῶ ν.
Sic fere corrigenda haec: ἅτε δι' ἑαυτοῦ πάντα νοοῦν καὶ π.

p. 63, 2 Appellant Iovem ὁμόγνιον ὡς τῶν συγγενῶν μάλιστα φύλακα καὶ τῶν πρὸς τοὺς ὁμογνίους καθηκόντων.
E lemmate duo vocabula irrepserunt in scholion, sic restituendum: ὡς τῶν συγγενῶν μάλιστα φύλακα (ὄντα) καὶ τῶν προσηκόντων.

p. 67, 8 Antiquae leges ἐδικαίωσαν τῶν ἀπολλυμένων τοὺς γείτονας συναλλαγμάτων.
Corruptissima haec nequedum, ut opinor, restituta in integrum.

p. 68, 2 Dixit Hesiodus ὅτι τοῖς ἀγαθοῖς τὸ διδόναι προσήκει καὶ ὡς χαίρουσι διδόντες.
Exime ὡς, nam χαίρουσιν est: χαίρουσιν οἱ ἄνθρωποι.

p. 68, 12 λαβόντες τὴν ὑπ' ἀλλήλων ῥιφεῖσαν σφαῖραν.
Recte ἄλλων pro ἀλλήλων conicit B.

p. 68, 21 ἔχθραν γὰρ προξενεῖ τὸ τῆς ἀμοιβῆς μετὰ τὸ ἔργον ἐλλιπές ἀδόκητον ὑπάρξαν.
Pro ἀδόκητον W. ἀδοκήτως. Delere totum vocabulum malim.

p. 69, 22 ἐν τοῖς πατρίοις ἐστὶν ἑορτὴ Πιθοίγια.
Bene ante πατρίοις Westerwickius 'Αθηναίων inserere videtur, cf. Q. Conv. III, 7 in.

p. 83, 1 Πλάτωνος . . . τύχην αὐτοῖς ἐπιστήσαντος καὶ καιρόν. Sic bene hunc locum B. restituit.

p. 88, 7 ἔοικεν ἡ Φύσις τὸ μὲν τῶν ὀδόντων ἕρκος αὐτῆς (sc. τῆς γλώσσης) θεῖναι πρόσθεν, . . . τὸν δ' ἐγκέφαλον ἄνωθεν εἶναι . . . Ultimo vocabulo nullum esse locum intellexit Dübnerus, qui et in praecedentibus θεῖναι dedit pro εἶναι.

p. 89, 1 Quae hic leguntur de Spartanis in parvis rebus periculum sumentibus civium modestiae egregie a W. sunt sanata.

p. 92, 24 (ἐπὶ) κινουμένων καθιζάνειν. Recipiendum a W. supplementum.

p. 97, 19 Recipe ab editore ὡς εἴπομεν pro καὶ εἴπομεν, a Gaisfordio εὐκαιρίαν pro εὔκαιρα ἰδίαν.

XII *Homericae exercitationes.* Quae ex his a variis citantur scriptoribus dubitare nos vetant quin a Plutarcho sint conscriptae. Prae ceteris vero eum decet explicatio verborum δόρυ ἀνεμοτρεφές haec: „arbor quae vento iactatur fit firmissima" in qua inest hoc praeceptum morale: „res adversae firmant hominem, res secundae debilitant".

XIII *Quaestiones de Arati signis.* Omnino eiusmodi disputationes quam maxime Plutarcheae videntur: est enim Chaeronensis totus in re astronomica. Ipsissimum vero eum cognoscimus ex eo quod dicit sues hiberno tempore maxime turgere in Venerem, quod tum frigus quod extra est omnem calorem in corpore clausum teneat. Simillima enim sunt quae alibi dicit: hieme propter eundem illum inclusum calorem homines optime concoquere cibos et insulas ideo siccas esse quia mare omnem inde humorem ad se trahat.

XIV *Commentarii ad Nicandri Theriaca.* Hos a Plutarcho animalium amantissimo scriptos quid miremur?

XV *An utilis sit praenotio futuri.* Lepidissimum hunc fuisse

librum et plane Plutarcheum statim apparet e facetissima hac disputatione (B. p. 112): „Fatum neque averti neque vitari potest

Nam quodcunque oculis nuit, hoc subtemine Parcae
Continuo firmant atque immutabile reddunt.

Ideo et Adrasteam vocant fatum" (Stoici ut opinor), „quia cum omnibus causis necessarium connectit effectum, qui neque effugi neque vitari potest. Minime tamen ineptus Nestor navium custodibus somnum denegans eosque hortans:

Recte! sic pueri vigilate et pellite somnum:
Insidiantibus hic etenim nos gaudia reddit.

„Hostibus non erimus gaudio futuri" dixerit aliquis „ne dormientes quidem, si in fatis est castra non expugnatum iri". Quis non iis qui ita nugantur respondeat: fortasse et hoc et multae aliae res in fatis sunt, sed tum simul de singulis est decretum perfectum eas iri per hos, his rebus accedentibus, hoc modo, non aliter, non sine his rebus. Nullae excubiae aguntur a dormientibus, nulla victoria a fugientibus reportatur, nulla comportatur messis ab eo qui non severit in agro fertili purgatoque; nemo liberos procreat sine muliere aetate et corpore ei rei idonea, nemo venator felix est in regione quae feris caret".

Sic prudens noster mentium medicus rigidos hic quoque confutat Stoicos. In mentem hic locus nobis revocat lepidum illud dictum domini (Romani, ut opinor, qualis Cato fuit censorius) qui servo sic se defendenti: „furari mihi in fatis erat" respondit: „et vapulare".

XVI *De vaticinatione* B. Breve fragmentum nullius pretii. In uno verbo haereo, ubi hoc dicitur: *ἔστι δ' ὧν* (sc. *τεχνῶν*) *τὴν πιθανότητα καὶ τὴν ἀκρίβειαν καὶ τὸ καθάριον ἀγαπῶντες ἐκμανθάνουσι καὶ περιέπουσι.* Quid hic sit *τὸ καθάριον* me fugit.

XVII *De amicitia.* Non erat hic ponendum illud fragmentum: est enim sumptum e libro *de tranquillitate animi,* qui totus superest.

XVIII *Epistola de amicitia.* Ex ea Stobaeus affert 17 dicta, admonitiones, narratiunculas. Ex his unum affero: „Agrippinus" (quis ille est?) „praetor" (sic enim verto *ἡγεμονεύων* quod in-

solite pro *στρατηγῶν* positum videtur) „iis quos condemnabat persuadere solebat accipere eos debitum. Etenim, aiebat, non tamquam hostis vel praedo gravem in eos iniicio sententiam sed tamquam curator vel patronus: sic et medicus aegrum solatur eique persuadet ut secandum se praebeat".

Vides totam hanc fuisse collectionem, quales multas mentium medicum nostrum fecisse consentaneum est.

XIX. *De tranquillitate.* Ex hoc libro quae affert Stobaeus ipsi vitae sunt utilissima plenaque maximae sapientiae. Quare, quo melius legi et intelligi possint, ad paginam illam (plura enim non servavit St.) haec annoto:

„Homines qui semper in magna vivunt urbe *πόσα μὲν οὐχὶ* *** *πόσα δ' οὐχὶ καὶ διακονήματα δεινὰ ἐργάζεσθαι* didicerunt?"

Lacunam explere, quod quidem ad sensum attinet, satis facile est, nam quid hic *malis* rebus recte opponi potest praeter *inutiles* res? Sed ne sic quidem totus locus mihi placet, sententiamque a scriptore ita fuisse formatam suspicor ut *δεινὸς* non de *re*, sed de *homine* (callido, versuto) diceretur.

In locis solis, a tumultu urbano remotis nihil *ταῖς ψυχαῖς ἐμπόδιόν ἐστι τῆς αὐξήσεως, οὐδὲ πρὸς πολλὰ καὶ μικρὰ νόμιμα προσπταίουσαι κάμπτονται εὐθύ, καθάπερ αἱ ταῖς πόλεσιν ἐναπειλημμέναι ψυχαί.*

Vox *εὐθύ*, quae totam sententiam perturbat et ingratissimum efficit hiatum, huc e margine, ubi ad sententiae vocabulum quodpiam fuerit annotatum, irrepsisse suspicor.

Immo vero crescunt florentque *ἀρδόμεναι τῷ διαυγεστάτῳ τε καὶ λειοτάτῳ ῥεύματι τῆς ἡσυχίας, ἐν ᾧ τὰ μαθήματα τοῦ νοῦ θεοειδέστερα καὶ καθαρώτερον ὁρᾶν.*

Ante ultimum vocabulum B. *τὸ* inserit, pro eo Iacobsius *τὸ δρᾶν.* Neutrum placet.

διὰ τοῦτό τοι καὶ θεῶν τὰ ἱερά, ὅσα ἐκ τοῦ πάλαι ἀρχαίου νενόμισται, τοῖς ἐρημοτάτοις χωρίοις οἱ πρῶτοι.

His W. recte *ἐνίδρυσαν* addit, recteque Iacobsius pro *πάλαι ἀρχαίου* legit *παναρχαίου.*

Praesertim eorum deorum in eiusmodi locis posuerunt templa ὅσοι μουσικῆς ἡγεμόνες ... διακρίναντες, ὡς οἶμαι, τὰς παιδείας κατὰ τῶν ἐν ταῖς πόλεσι δεινῶν τε καὶ μιαρῶν τινῶν.

Corruptissima haec. Sensum restituerunt Meinekius pro τὰς παιδείας κατά legendo τὰ παιδείας καλά, et Duebnerus τεχνῶν pro τινῶν reponendo.

XX *Contra voluptatem.* Quinque locos servavit Stobaeus ex hoc libro, quem fuisse opinor contionem ad gregem fidelium habitam. Atque *clausa* his fuisse videtur, nam omnes sat bene cohaerent et ultima egregiam efficiunt „perorationem" dummodo pro αἰῶνα cum Hauptio ἄνοιαν legamus, et ἀργίαν cum Duebnero pro ἔργα. Audite modo: (homines voluptatibus dediti) μεθύουσιν εἰς ἀναισθησίαν, λαγνεύουσιν εἰς ἄνοιαν, καθεύδουσιν εἰς ἀργίαν, οὐκ ἐπιστρέφονται πόλεων, οὐ φροντίζουσι γονέων, οὐκ αἰσχύνονται νόμους.

Qualis tamen tota fuerit contio haud facile dicas; certe non fuit acerba tristisque contra *omnes* voluptates declamatio, quales habere solebant Stoici Cynicique. Lenissimi enim prudentissimique mentium medici haec sunt:

τὰς μὲν οὖν δικαίας ἡδονὰς οὐκέτ' ἂν ἡδονὰς οὔτε καλέσαιμεν οὔτ' ἴσμεν (?), ἀλλὰ θεραπείας.

XXI *Contra divitias.* Ex eodem genere hi sunt quatuor flosculi, quos idem servavit Stobaeus. Quid sibi voluerit orator statim apparet: Φύσει μὲν δυσχάλινωτον ὄρεξις, λαβοῦσα δὲ καὶ πλούτου χορηγίαν ἀχάλινωτον.

XXII *Mulieres erudiendas esse.* De hoc argumento orationem habuisse Plutarchum libenter credimus, habemus enim eius *praecepta coniugalia*. Sed hic in *titulo* referendo errasse Stobaeus videtur, nam aliena ab eo sunt quae hic dantur dicta et narrationes. Sed sunt lepidissima. E septem prima quatuor de *ebrietate* agunt. Acutum est et minime decantatum quod hic traditur Sophoclis de Aeschylo iudicium.

XXIII *De calumnia.* Quatuor huius libri servavit Stobaeus fragmenta, e quibus luce clarius apparet totum morum emendandorum causa a mentium medico scriptum fuisse. Et fuisse

lepidissimum facetissimumque statim apparet. Quod autem dicit (in initio): *οἱ νεώτητοι δοῦλοι οὐ πυνθάνονται, εἰ δεισιδαίμων ἢ Φθονερὸς ὁ δεσπότης, ἀλλ' εἰ ὀργίλος*, huius sententiae, in libro *de calumnia* positae, hoc esse consilium videtur ut doceatur homines cerebrosos maxime esse calumniae obnoxios.

XXIV *Contra vires corporis.* Quod hinc nobis tradidit fragmentum Stobaeus, *doctam* magis decet disputationem quam orationem ad vitam prudenti consilio monendam scriptam. Est tamen lepidissimum.

XXV *De amore.* Multo longius huius libri fragmentum laeti lubentesque a Stobaeo accipimus. Est enim praestantissimum. Quapropter totum eorum causa qui librum meum vernacule scriptum lecturi essent in nostrum transtuli sermonem. Hic ad pauca quaedam eius verba haec annoto:

p. 130, 5 „Philosophice de amore *nugatus est* Menander" sic credo hic Plutarchi verba esse accipienda, non ita ut secundum pravam serioris aetatis consuetudinem *λελάληκεν* idem sit quod *εἴρηκεν* vel *διείλεκται.* Atque hoc de Menandro iudicium sic Pl. confirmat; *ἄξιον γὰρ εἶναι θαύματος Φήσας τὸ περὶ τοὺς ἐρῶντας, ὥσπερ ἔστιν, ἅμα λαλεῖ, εἶτ' ἀπορεῖ καὶ ζητεῖ πρὸς ἑαυτόν* (sequuntur Menandri versiculi venustissimi): Verbis *ἅμα λαλεῖ* quid faceremus nemodum vidit. Si delemus nil desideratur, sed unde irrepserunt?

p. 131, 22 *τὸ συνουσίᾳ τὸν ἔ ρ ω τ α μὴ κρατεῖσθαι ... τοιοῦτόν ἐστιν ...*

Immo *ἐρῶντα* cum Meinekio.

p. 132, 12 *ε ὐ σ τ ο χ ί α ἐστι καιροῦ κτἑ.*

Sic cum Cobeto legendum pro *εὐστοχίας.*

p. 133, 6 *τοὺς δι' ὀργὴν ἢ πλεονεξίαν ἁμαρτάνοντας ἀνακόπτειν τῇ παρρησίᾳ δεῖ καὶ κωλύειν.*

Pro ultimo vocabulo B. *κολούειν* coniicit, falso, ut opinor. Optime enim inter se *repellere* et *retinere* coniungi videntur.

p. 133, 25 *εἰ βούλοιτό τις προτείνειν τί μισεῖ καὶ Φιλεῖ, τί*

φεύγει καὶ διώκει, τί ἀπειλεῖ καὶ ἱκετεύει, τί βούλεται παύσασθαι καὶ οὐ βούλεται, τί χαίρει τῷ αὐτῷ μάλιστα καὶ ἀνιᾶται, τ ο ῦ τ ο λ ῦ σ α ι κ α ὶ θ ε ρ α π ε ῦ σ α ι.

Ultimis vocabulis quid faciam non video, et, ut recte B. observat, deest aliquid unde hi infinitivi pendeant.

p. 134, 9 *τὰ δὲ τῶν ἐρώντων πάθη πάντ' ἀληθῆ.*

Recte istud *πάντ'* addidisse Picolos videtur.

p. 135, 3 *ἂν δὲ καὶ λήξῃ (ὁ ἔρως) καὶ διαλυθῇ, χρόνῳ μαρανθεὶς ἢ λόγῳ τινὶ κατασβεσθείς, οὔπω παντάπασιν ἐξαπήλλακται τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ἐναπολείπει περίκαυτον ὕλην καὶ σημεῖα θερμά, καθάπερ οἱ κεραυνοὶ τυφόμενοι.*

Ultimum vocabulum aptum non praebet sensum. Puto Plutarchum scripsisse *καθάπερ οἱ κεραυνοί τυφόμενα* et ad ultimum vocabulum in margine *θερμά* esse adscriptum.

XXVI *Pro pulchritudine* fragmentum lepidissimae disputationis qua pulchritudo corporis defenditur (contra Stoicorum, ut opinor, nimis rigidam sapientiam). Conceditur tamen ex ea, non ex animi pulchritudine, pericula nasci.

c. 1 nihil deest, si verum est quod dicit B. *ὥσπερ* ibi esse *tamquam*, Belg.: „als het ware". Neque verum esse nego, sed vellem B. disertum dedisset exemplum.

c. 3 *τὰ μὲν γὰρ τῆς ψυχῆς κάλλη (καὶ) σωτηρίας ἐλπίδες εἰσί, φρόνησις κτέ.*

Deleatur vox inclusa.

XXVII* *De ira.* Fragmentum huius libri (apud St.) multo quidem minus est lepidum quam illud e libro *de amore,* est tamen ei subsimile et cognatum. Uterque autem liber, quamquam ad mores suos emendandos inde homines fructum aliquem possunt percipere, non tam contio fuisse videtur quam praefatio ad doctam cum doctis disputationem de quaestione philosophica. Quid quod in hoc quam maxime philosophico argumento Peri-

pateticorum refellitur sententia de irae *utilitate*. „Hoc si verum esset" noster ait philosophus „colenda esset ira quam compescendam esse concedunt omnes."

[Laboribus, quos vita exigit, fungi oportet τὰς ἑκάστοτε προσπιπτούσας ὀργὰς διωθούμενον καὶ διανεύοντα.

Optime ultimum vocabulum διανέοντα legendo Büchelerus correxit: apparet enim e sequentibus comparationem *cum nauta* institui.

Sic plane refelluntur οἱ παραδεξάμενοι τὸν θυμὸν ὡς σύμμαχον ἀρετῆς, ἀπολαύειν κελεύοντες ὅσον αὐτοῦ χρήσιμόν ἐστιν ἔν τε πολέμῳ κτέ.

Optima haec correctio traditi ἀπολαύοντες eidem debetur egregio critico.

Optime huius rei fit meditatio πόρρωθεν ἡμῶν προμελετώντων καὶ προαπολλυόντων πλεῖστον οἷον ἐν οἰκέταις κτέ.

Pro καὶ προαπολλυόντων W. coniecit ἐν οἷς προσομιλοῦμεν, quod aptissimum sententiae est. Praeterea hic quoque illud Plutarcho dilectum πόρρωθεν notetur.

Sic domi suae quisque fit τῆς αὐτοῦ ψυχῆς εἶναι ἀγαθός. Hic quoque sensum restituit W. παιδαγωγός legendo.]

XXVIII et XXIX. Facessant hinc „fragmenta" haec. Sunt enim e libris *de Timaeo Platonis* et *de Stoicorum repugnantiis*.

XXX *De diebus*: loci e vita Camilli huc translati certissimum praebent documentum hunc quoque librum esse unum e Plutarchi scriptis *moralibus*.

XXXI *De venatione*. Quorsum hic ponitur locus ille e libro *de sollertia animalium*?

XXXII Hic vero minus etiam fragmentis erat addendus. Sunt enim Iuliani verba, quibus demonstrat quibus modis Plutarchus mythis utatur. Sed est ille locus maximi momenti, utpote e quo appareat in quanto etiam tum honore Plutarchus fuerit.

XXXIII E *deperditarum vitarum* fragmentis maximi mihi momenti videtur illud quod ad Tiberium pertinet, quod nobis „e silentio" certissimum praebet indicium nunquam de *malo* imperatore Tiberio vel inaudivisse Plutarchum.

XXXIV E *fragmentis incertis* haec excerpo:

4 Lepidissimum hoc quod dicitur de nuptiarum tempore tantum esse detrahendum quantum uxores λυπῶσι τοὺς ἄνδρας ἢ ζηλοτυπῶσιν ἢ διαφέρωνται περὶ χρημάτων ἢ κακῶς λέγωσι ἢ φεύγωσι θρυπτόμεναι τὰς φιλοφροσύνας καὶ συνδιαιτήσεις. Incipit locus, quam maxime Plutarcheus, a commemoratione mariti qui μάλιστα διψῶν ἀπέθανε τῆς γυναικός . . . οὐδὲν εἰπεῖν οὔτε ποιῆσαι πρὸς αὐτὴν ἰταμὸν ἐ τ ό λ μ η σ α ν. L. cum Meinekio ἐτόλμησεν.

7 Non est *fragmentum* sed locus e libro *de tranquillitate animi* c. 9.

22 Pulcherrima et sine dubio a Plutarcho profecta comparatio eorum qui turpi lucro utuntur ut de populo bene mereantur cum iis qui sacrilegia in sacrificia convertunt.

25 Iam alibi apud Plutarchum legitur (*ad princ. incr.* 780 B).

87 ἐκ χρυσοῦ ποτηρίου πίνειν φάρμακον καὶ παρὰ φίλου ἀγνώμονος συμβουλίαν λαμβάνειν ταὐτόν ἐστι. Quid Naberum moverit ut pro ἀγνώμονος mallet εὐγνώμονος prorsus me latet.

103 Est quod mireris id quod ubique terrarum est in proverbio:

insidians muscis quam tendit aranea telam
  pervolitant magnae, parvula praeda manet

etiam apud Plutarchum inveniri. Phaedrum illud aliosque querulos magis decet quam placidum philosophum laetum securitate et aequitate quae toto regnet imperio Romano.

115 πλούσιον δ' ἄσωτον θεασάμενος ἐλαίας ἐσθίοντα καὶ ὕδωρ πίνοντα ἔφη „εἰ οὕτως ἠρίστας, οὐκ ἂν οὕτως ἐδείπνεις".

Obscuriora haec, quia non sunt integra: sciendum enim praeterea est iam *senem* esse qui hic vituperetur. Metaphora omissa haec est sententia; „si, iuvenis, fuisses parcus sobriusque, nunc, senex, genio indulgere posses".

120 Pulcherrima et ex ipsa animalium vita sumpta est comparatio avarorum cum avibus quae suffocari malint quam quidquam cibi aliis avibus relinquant.

140 Narratio est quam maxime Plutarchea qua vaticiniorum veracitatis et animorum immortalitatis citatur testis.

145 β Fortasse locum suum hoc fragmentum habuit in alterutra *de esu carnium* oratione.

145 γ Improbum refertur Stoicorum dictum sues tantummodo ut comedantur natos esse, quorum carni ideo mentis paululum sit admixtum ne putrescat illa. Quod licet Lampriae avo admodum facetum visum sit, Plutarchum, animalium amicum et patronum, abominatum esse constat. In eodem capite praeclare refutantur illi qui *utilitate* metiantur omnia; praeclare enim et alia hic philosophus noster dicit et haec: *τῇ χρείᾳ τὸ πρὸς ἡμᾶς ὁρίζοντες οὐκ ἂν φθάνοιμεν ἑαυτοὺς ἕνεκα τῶν ὀλεθριωτάτων ζῴων, οἷα κροκόδειλοι καὶ φάλαιναι καὶ δράκοντες, γεγονέναι συγχωροῦντες.*

XXXV *Institutio Traiani.*

XXXVI *Pro nobilitate.* Plutarchi vitam philosophiamque enarrans si quidquam de duobus hisce annotarem libris, operam oleumque perderem.

XXXVII *De fluviis.* Operae pretium sit „psychologice" et „psychiatrice" explorare quo mentis morbo laboraverit qui has ineptias chartae mandaverit. Nihil usquam terrarum unquam est prolatum quod tam esset insanum insulsumque. En quorsum tandem aliquando istud sit prolapsum *αἰτιολογίας* studium. Nam excerpta haec sunt ex epylliis narratiunculisque aetiologicis, sed carent omni delectatione omnique *varietate.* Ab initio ad finem sic iste homuncio nugatur: „fluvius ille hanc ob causam nomen suum accepit: quidam (hac illave causa motus) in eum insiluit, nomenque suum dedit fluvio". Vel: „in illo fluvio, vel prope eum invenitur planta cuius haec est vis . . .". Atque de illis quoque viribus insanissima narrantur:

(apud B.) p. 307, 14 legimus de planta quae tutos *a novercis* homines reddat:

ἣν οἱ πρόγονοι κρατοῦντες οὐδὲν ὑπὸ μητρυιῶν ἀδικοῦνται.

(Nonne pro *πρόγονοι* legendum est *ἐγχώριοι*, ut saepe alibi?).

p. 311, 9 de lapide (vel genere lapidis) in Eurota, qui cum canit classicum prodit, sed nusquam comparet cum vox „Athenienses" editur.

p. 324, 21 de lapide, e quo Mithras filium procreaverit.

Sed nescio an argumento ineptior etiam sermo sit. Sic quavis pagina identidem recurrit ὁ προειρημένος ubi nihil dicatur nisi „is". Scio id et in melioribus libris nonnumquam evenire, sed raro et ita ut is ad quem respiciatur satis longe absit. At in hoc libro in hunc modum *semper* narratur (p. 305, 8) Ἴδης ἐρασθεὶς συνῆλθε τῇ προειρημένῃ.

Si quis de aliqua re *certior factus esse* dicendus est, κατηχηθῆναι dicitur (p. 296, 20 et saepissime).

p. 299, 16 praeclaram habes locutionem βρόχῳ περιέγραψε τὸν βίον hoc sensu: „suspendio vitam finivit".

p. 317, 11 ἀφορμῆς δραξάμενος occasionem *nactus*.

Ohe iam satis est!

De metris. Tres sunt disputatiunculae, minime ineptae et Plutarcho haud indignae. Quidni tales libros scholarum in usum ille scripserit? Et alia multa accurate observata hic leguntur et p. 471, 1 non ignarum fuisse scriptorem apparet in hexametro vitandas esse caesuras κατὰ τέταρτον τροχαῖον.

Ultimo loco reservavi disputationem de gravi admodum re. Agendum enim est de duabus illis dissertationibus περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου.

Magnopere hae inter se discrepant. Prior est libellus septem paginarum, utique Plutarcho est abiudicanda, neque quidquam fere habet quod alicuius sit momenti. At altera admodum longa est et rerum cognitu dignissimarum plena. Haud dubie, ut hinc faciam initium, scripta est a viro qui Homerum suum penitus cognitum habet; accurate eum legit, lectumque ab omni parte consideravit, qua in re haud spernendi dedit acuminis documenta atque ... praecipue operam dedit ut tam sibi quam aliis quam maximos inde perciperet fructus sapientiae et pietatis.

Iam diligentia auctoris inde apparet quod quid inter verba δέμας et σῶμα, quae facile confunduntur, intersit probe novit, quod vs. θ, 526 recte, id est ita ut literae Aeolicae locus sit, citat, quod nusquam apud Homerum vocabulum νόμος, *legem* significans, inveniri eum non fugit, denique ... id quod multo

maius, quae totam Iliadem premeret *ἀπορία* bene intellexit, eamque satis acute solvere conatus est.

Anno 1906 Mnemosynae paginis 193 sqq. van Leeuwen demonstrare conatus est, exceptis quibusdam locis postea additis vel corruptis, in Iliade *non* agi de rebus sub finem belli gestis, sed proponi nobis Argivos modo e navibus egressos. Sitne vera ea opinio nunc non disputo, sed satis mire in aliquo carmine heroico de novem prioribus belli annis sileri, sed ab eo incipi tempore quo illi iam effluxerint negare non ausim. Non fugit hoc nostrum grammaticum qui sic disputat (p. 427):

„in arte Homeri primum locum tenet Oeconomia, cuius artis quam sit peritus cum toto demonstrat carmine tum praesertim eius initio. Non enim Ilias incipit ab aliquo remoto tempore sed ab eo, quo iam geri res coeptae sunt maioris momenti animisque commovendis aptiores. Quaecunque leviora antea evenerunt ea breviter obiterque tantummodo commemorat".

Atque in eandem sententiam et disputat prioris commentarii scriptor, sed pluribus verbis atque ita ut secundum illustret: ait enim antequam iurgium illud esset exortum, quod Achillem e proelio removit, non ausos esse Troianos prodire extra urbem, sed illo demum absente impetus in hostes fecisse.

Uterque, ut opinor, melius quam Thucydides, qui illo silentio utitur tamquam argumento pristinae paupertatis: *Φαίνονται δ'* (ait) *οὐδ' ἐνταῦθα* (sc. exstructo vallo) *πάσῃ τῇ δυνάμει χρησάμενοι, ἀλλὰ πρὸς γεωργίαν τῆς χερσονήσου τραπόμενοι καὶ λῃστείαν, ᾗ καὶ μᾶλλον οἱ Τρῶες αὐτῶν ἐσπαρμένων τὰ δέκα ἔτη ἀντεῖχον βίᾳ.*

Delectant me isti urbium oppugnatores qui per *novem* annos praedando et *agro colendo* (?) paupertati suae subvenerint, deinde, cum satis frumenti in horrea congessissent, decimo demum anno opus suum sunt aggressi; et quid illo frumento per novem annos fiebat? An quotannis placidum rusticorum opus exercebant donec hiems eos inde advocaret et belli admoneret? An denique ceteris profectis parva pars, urbique expugnandae non idonea, remanere solebat? Nunc *breve* nobis videri debet illud decem annorum spatium.

Hercle non de vulgo hominum fuit hic lector qui talia in Iliade et Odyssea observaret, neque erat cur celaret nomen suum. Iam enim de solo secundo ago commentario.

„Laudes tuas tibi habe" dixerit Volkmannus „dummodo ne Plutarcho eum vindices". Nam sit etiam posterioris aetatis prior, ne secundum quidem a Plutarcho scriptum esse res est certissima. Lubet Volkmanni argumenta paulo accuratius considerare: specie sunt gravissima, me tamen non plane convincunt:

„ihr Verfasser" ait „geht darauf aus den Beweis zu führen, dass schon in Homer die Keime aller späteren Künste und Wissenschaften enthalten sint, und wendet dazu die bei den Stoikern beliebte Art der allegorischen Erklärung an, welche von Plutarch in der schrift *de audiendis poetis* ausdrücklich verworfen wird".

Mox videbimus totum consilium commentarii sic parum accurate referri, atque adeo non esse eius unum certumque consilium. Et quod ad illud *allegoriae* pertinet artificium — numquam toto commentario invenire illud potui. Certe id quod in libro *de audiendis poetis* tam severe damnatur longissime distat ab iis in commentario interpretationibus quas *utcunque* allegoricas dicere possimus. Legimus enim ibi hanc fere disputationem de narrationibus descriptionibusque Homericis quae nocere moribus videri possint:

„nemini nocebunt illae qui quidem quid sibi Homerus voluerit bene intelliget: perspiciet enim tantum abesse ut corrumpant mores ut emendent potius: aut enim diserte, atque saepe in ipso exordio, declarat poeta se vehementer id quod narret describatve improbare, aut sponte apparet exemplum dari legentibus quod eos a prave agendo deterreat. Sic adolescentes Homerum legere discant: magis hoc iis proderit quam allegoricae istae interpretationes quibus alii utuntur dum quae lasciva apud poetam inveniuntur ad siderum trahunt concursiones aliaque ex eo genere".

Nusquam toto commentario *eiusmodi* inveniuntur allegoriae. Nam quod narratione de Marte et Venere utitur ad demonstrandum iam Homero notum fuisse Empedocleum dogma de amore et odio primariis rerum causis, allegoria quidem est sed ab illa diversissima.

Diversa quoque inde artificia quibus utitur ad demonstrandum artis medicae, vaticinationis, oratoriae aliarumque artium liberalium peritos fuisse heroes Homericos. Non sunt haec longe

arcessita, immo vero nihil illa demonstrant quod non ipse Homerus demonstrari voluit.

„Er" (commentarii nostri scriptor) „war ferner ein Grammatiker und Rhetor von Profession, wohl bewandert in dem Detail der Terminologie. Die rhetorische Terminologie, die er zu Grunde legt, ist die in der Schule des Hermogenes übliche, wenigstens bedient er sich des Begriffs *politikos logos* in dem Sinne, wie ihn Hermogenes fixiert hat, wie er aber dem Plutarch fremd war (s. *praec. reip. ger.* c. 6)".

En recurrit funesta illa „loculorum philosophia" (sic enim appellare lubet), quae sic ratiocinatur: „in loculo A invenitur aliquid, idem in loculo B iacere non potest; hoc dicit Hermogenes ... ergo dicere non potest Plutarchus".

Revera non ita res se habet in literarum, atque omnino mentis humanae republica. Nemo sibi scriptor tam arctos posuit fines quos nunquam esset transiturus. Omnino non solet esse totus in arte oratoria Plutarchus, at quidni hic paulo magis quam in aliis libris ei dederit operam? Et quod ad locum illum in libro *de praec. reip. gerendae* attinet, libenter concedo alia in hoc alia in nostro legi commentario. Hic *πολιτικὸς λόγος* est *ars reipublicae gerendae* („theorie der staatkunde"), at illic orationis genus quo viro rempublicam capessenti utendum est („stijl der staatkundige redevoering"). Et cui, obsecro, qui Graece scribit, *non* licet utroque sensu iis vocabulis uti?

„Mit Vorliebe" sic Volkmannus pergit „weist er gerade stoische Philosopheme im Homer nach. Man sehe c. 119, 127, 130, 134, 136, 143, 144, 212. Das würde Plutarch, ein entschiedener Gegner der Stoiker, nun und nimmer gethan haben".

Verissimum est omnibus illis locis Stoicos appellari. At quo modo appellantur? „Stoicorum dogma istud" 119; „Stoici hanc dant definitionem" 127; „Stoici iudicant" 130; „Stoici statuunt" 134; „Stoici putant" 136; „Stoici declarant" 143; „eorundem philosophorum dogma" 144; „Stoici aiunt" 212.

Eius equidem dixerim verba illa esse qui quam disertissime declaret se *nolle* adnumerari iis philosophis quorum refert sententies. Prorsus eodem modo c. 135 Peripateticos nominat nisi quod sententiam quandam eorum sibi arridere declarat, Stoicorum vero opiniones ita refert ut utrum iis assentiatur an non in

medio relinquat. An ergo et Peripateticus commentarii scriptor dicendus est? „Peripatetici" ait „ad *ἀπάθειαν* pervenire non posse homines opinantur, pro ea ergo *μετριοπάθειαν* quandam introducunt; ita nimiis affectibus sublatis hic quoque virtutem sic definiunt ut sit: modum tenere". Haec certe ipsius quoque Plutarchi est sententia. Sed praeterea semper noster „grammaticus" sic loquitur tamquam qui sit „nullius addictus iurare in verba magistri", uno loco excepto ubi Academiae se addicit, cuius fidelem fuisse Plutarchum defensorem novimus, utpote qui omnem vitaret cupiditatem et de gravissimis controversiis nihil mallet quam „non liquet" pronunciare.

Et quod Volkmanno Plutarchus est „ein entschiedener Gegner der Stoiker" distinguendum censeo. Unam tantum *philosophiam* impugnat Plutarchus... Epicuream et praesertim dogmata eorum *ἡδονὴ τέλος* atque illud quo *providentiam* esse deorum negant. Haec ei philosophia *levitatis* et *impietatis* videtur commendatio. Quid *potest* ei opponere praeter *gravium morum* et *pietatis* defensionem? Quid ergo mirum multas apud eum inveniri sententias quibus suus sibi locus est in scholis eorum philosophorum qui illius gravitatis illiusque pietatis susceperint patrocinium, sive ut accuratius dicam eorum qui miracula fieri et deos suam voluntatem aperire hominibus declarant? Et multae ex hoc genere apud Plutarchum inveniuntur; quid quod praeter Platonem et Pythagoram Stoicorum principes praecipuos habet auctores. Sed molesti ei sunt Stoici modum excedentes, odio ei est eorum duritas quae interdum a crudelitate parum distat, *homines* denique Stoicos (id quod saepe iam dictum) ferre non potest. Nam si quis revera secundum praecepta Stoica vixit, eum maximi facit, neminemque fere admiratur magis quam Stoicorum deum illum Catonem Uticensem. Non hercle negaverit Plutarchus Stoicorum philosophiam moralem esse gravissimam et ad vitam recte instituendam utilissimam. Quid ergo mirum eum docentem *bonos* ab Homero tradi *mores* frequenter sententias edere quae ex ore Stoici alicuius exceptae videntur? Non enim solum summam morum puritatem Stoici commendant sed etiam ad eam rem sententiis utuntur quae commovendis animis sunt aptissimae. Sed eiusmodi locis exceptis, vix in ipsis libris, quos data opera *contra* Stoicos scripsit, tot tamque gravia in

Stoicos inveniuntur crimina quot et quam in hoc commentario. Ut minimum sexies Stoica hic corrigitur et mitigatur philosophia, atque praesertim eorum de iis rebus sententiae quae in illa praecipuum tenent locum: de providentia et libero arbitrio, de fato hominumque auctoritate, de virtute perfectam praebente felicitatem, de contemnendis doloribus, *de mente animalium*. De hac quid sentiat scriptor noster legite (apud B. p. 399): ipsum, ut opinor, agnoscetis Plutarchum, statimque vobis in mentem et alii venient loci et ille omnium lepidissimus in libro *de sollertia animalium* (968 A), ubi declarat nescire se malle quomodo sit constructus formicarum nidus, quam bestiolas istas vexare vel uno nido dissecando. Et fuit vir doctus qui *Stoicum* fuisse commentarii auctorem contenderet eique addictum sectae, quae et alia crudelissima docuit, et illam omnium dirissimam defendit sententiam cui vix subscripturi sunt ipsi illi viri docti qui horrendum istud nefas, quod barbaro, ut par est, *vivisectionis* vocabulo appellare solent, habent in deliciis: *„τὰ ἄλογα plane* ratione carent; nihil ergo cum homine habent commune, sed licet homini iis uti, ut ipsi lubet"!

Eodem nos ducunt quae p. 444 leguntur de funeribus luctuque: *„ἀπάθειαν"* ait „inhumanam rem esse sensit Homerus: ergo luctum et parentalia non proscribit". Affertque ad id demonstrandum versus Homericos, qui sunt de ea re disertissimi additque: „sed quidquid *modum excedit* improbat, ergo narraturus de Achille in Patrocli tumulo homines equosque immolante haec praemittit:

κακὰ δὲ φρεσὶ μήδετο ἔργα".

Quantopere haec ipsam Plutarchi redoleant mentem et alii loci multi docere possunt et ille *in praeceptis coniugalibus* c. 19 ubi discipulam suam Eurydicem monet ut semper fores suas clausas habeat *περιέργοις θρησκείαις καὶ ξέναις δεισιδαιμονίαις*. Utrobique *αὐτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον* agnosco Plutarchum.

Neque hoc negligendum: item ut Platoni persuasissimum fuit Plutarcho *natura* res sua habere vocabula. Sed ubi disertissime illa sententia pronunciatur? In nostro commentario, ubi vocabulo quod est *δέμας* utitur ad illam omnium sententiarum maxime Plutarcheam: „corpus animi carcer" defendendam et in illo *de anima* libro, quo nihil unquam Plutarchus praestantius scripsit.

Ecce iterum Volksmannus:

„Wenn" ait „als die drei Grundformen der Staatsverfassung in c. 182 Königsherschaft, Aristokratie, Demokratie, als ihre Parekbasen Tyrannis, Obligarchie, Ochlokratie aufgestellt werden, so will auch das nicht recht zu Plutarch stimmen, welcher Monarchie, Oligarchie, Demokratie als die drei Grundformen, als ihre Entartungen Tyrannis, Dynastenherrschaft und Ochlokratie beseichnet".

Ita est: in libro *de monarchia* c. 3 nobis hae praebentur reipublicae constitutiones sincerae:

monarchia, oligarchia, democratia

quibus vitiosae hae respondent:

tyrannis, dynastiae, ochlocratia

sed in commentario sincerae hae:

regnum, aristocratia, democratia

vitiosae:

tyrannis, oligarchia, ochlocratia.

Iam concedam genuinum esse Plutarchi opus *de monarchia* cett. libellum. Quodnam ille Volkmanno praebet argumentum? Tria faciamus paria, quorum singula singulas habent constitutiones, sinceras depravatasque. Habebimus in libro de *monarchia*:

a. monarchiam — tyrannidem
b. oligarchiam — dynastias
c. democratiam — ochlocratiam.

At in commentario:

a. regnum — tyrannidem
b. aristocratiam — oligarchiam
c. democratiam — ochlocratiam.

Quoniam nihil interest inter *regnum* et *monarchiam*, duo paria (*a* et *c*) prorsus inter se sunt similia, sed brevis est discrepantia in *b*:

oligarchia — dynastiae (in libro *de monarchia*)
aristocratia — oligarchia (in commentario).

At, per deos immortales, adeone nos verbis inservire oportet, ut si semel paucorum potentiam etymologiae convenienter *oligarchiam* diximus, nunquam posthac nobis liceat eam, quamvis ad sensum rectissime, *aristocratiam* appellare? Et qui *in bonam partem* vocabulo quod est *oligarchia* usus est, si depravatam

vult significare oligarchiam, nonne ei novum est excogitandum vocabulum (dynastiae)? Et nonne ea vox *oligarchia*, si aristocratiae *opponitur*, sponte in deteriorem accipitur partem? Ergo re bene considerata, vix ulla superest discrepantia, neque, si tamen aliqua restaret, unquam ego concederem eiusmodi minutiis cogi nos posse ad certam de re gravissima pronuntiandam sententiam.

„Was endlich" sic paulo post pergit, „am Schlusse der Schrift über die Verwendung von Homerversen zu Orakeln und über Homercentonen gesagt wird, weist doch wohl auf eine spätere Zeit als die Plutarchische hin".

Legimus enim sub finem commentarii:

„Quidni quidquid est praestantiae Homero tribuamus, cum etiam ea quae ipse non cogitaverit a posteris in eius versibus deprehendantur? Alii enim eius versibus tamquam oraculis utuntur, alii, dum alia tractant argumenta, iis versus Homericos transponendo et conserendo aptos reddunt".

Eiusmodi observationem certi cuiusdam esse temporis non video; semper, ut opinor, valuit mos ille quidvis ex Homero petendi et in omnes Homerum partes torquendi; diu ante Homerum eum valuisse testes sunt Plato Aristophanesque.

„Dazu komt dass die ganze Darstellung der Schrift mit ihrer knappen Nüchternheit in gar nichts an die behagliche Breite der Plutarchischen Ausdruchsweise erinnert".

Hoc verissimum et . . . omnium quae observavit Volkmannus gravissimum. Oratione commentarius longe recedit et ab aliis Plutarchi scriptis et a *Vitis* praesertim. Sed est et argumentum diversissimum. Unane ergo semper singulis scriptoribus data et concessa est oratio? Quis dubitat quin *Dialogus de Oratoribus* a Tacito scriptus sit? Atqui, si a Tacito scriptus est, maturus iam vir eum scripsit cum totus esset in Historiis. Et quanta hic est discrepantia? Contrarium si factum esset, si, non Tacito, intricatissimo et acerbissimo scriptori limpidissimus et placidissimus ille tribueretur Dialogus, sed puta Herodoto aliquis libellus contorte scriptus et plenus mordacitatis, iure nostro dubitaremus. At nunc! Solet esse Plutarchi oratio eiusmodi ut legentibus plurimas exhibeat molestias. Sed et sibi ipsi, sic scribendo, Plutarchus exhibuit molestias. Quid mirum eum a gravi hoc labore requiescere voluisse, commentario scribendo

cuius vel primaria virtus est perspicuitas et sermo limpidissimus?

Nam quod de toto commentarii consilio Volkmannus iudicat id ut accurate dictum sit vereor:

„der Verfasser geht darauf aus den Beweiss zu führen dass schon in Homer die Keime aller spätern Künste und Wissenschaften erhalten sind".

Quodsi esset quam verissimum, quid doceret? Revera enim haec est ipsius Plutarchi opinio et multo ante Plutarchum fuit Platonis: certe sic Plutarchus censebat quo nemo ab aequalibus in Platone versatior habebatur. At mihi commentarius compendium potius videtur scholarum in usum factum, quo apte sint congesta omnia quae pueris de Homero innotuisse cuperet scriptor qualis fuit Plutarchus, cui omnis sapientiae Homerus fons esset. Atque haec est compositionis dispositionisque virtus quod quaecunque hic traduntur omnia sunt referenda ad unam sententiam, quam suam esse nunquam dissimulavit Plutarchus: „*Sacri* sunt illi Illiadis et Odysseae libri quibus *omnis* contineatur sapientia".

Et est commentarius copiosissimus: 125 implet paginas Teubnerianas. Insigni apud omnes aequales laudi decorique esse poterat scriptori, atque propriam quandam et peculiarem spirat indolem. *Potuitne*, paene rogaverim, eiusmodi liber aberrare ab auctore suo seque alienae committere tutelae? An non dedisse operam censeamus scriptorem ut *sua* constaret auctoritas? Quae ergo illa fuit perversitas crudelitasque quae unicum ovem adimeret pauperi et divitis adderet gregi? Quid vero si haud pauca in eo observantur quae statim nobis Plutarchum ponant ante oculos? Quale est illud quod p. 399 sq. legimus de animalibus homini cognatis?

Una tantum res est quae dubitationem mihi moveat: quod nulli rei magis quam arti oratoriae dat operam scriptor, quodque sub finem inde a verbis *ἐνταῦθα καιρὸς καταπαύειν τὸν λόγον* perfectus fit rhetor s. sophista, Dionis Chrysostomi similior quam Plutarchi, nisi quod inepti illi flosculi quibus abundat Dio plane desunt, quodque verbis ultimis *πῶς δ' οὐκ ἂν πᾶσαν ἀρετήν κτέ.* ipsa nota nobis dilectaque redditur Plutarchi facies.

Denique Volkmanni argumenta minime contemno, dubitare eum non minor et tamen quo magis eius disputationem ad

ipsius commentarii lucem contemplor, eo minus illum Plutarcho abiudicare audeo. Sed aut Chaeronensi eum vindico aut meam facio sententiam Roberti Jeuckensii, prudentissimi mortalium:

„das zweite Buch *de vita et poesi Homeri* rührt in der erhaltenen Fassung nicht von Plutarch her, enthält jedoch Plutarcheische Ansichten" (Plutarch und die Rhetorik p. 6),

dummodo illud *in der erhaltenen Fassung* quam clarissima voce pronuntietur et pro simplici *Plutarcheische* legatur: *recht viele durchaus Plutarcheischen.*

CAPUT XXII.

EPILOGUS.

„Apud Romanos nullus erat certus ordo sacerdotum, non ergo poterant existere lites et controversiae de religione: qui praeerant reipublicae iidem praeerant religioni, sed erant sacerdotes nomine; sacra procurabant pontifices minores, cives honestissimi sed nunquam ex ordine amplissimo; **praecepta moralia tradebant philosophi.**"

Verba haec sunt Cobeti, a quibus ordiri solebat Antiquitatum Romanarum caput *de re sacra.* Quae nobis in mentem revocantes ipsam illam claram sonoramque audimus vocem dilectissimi magistri, videmusque vultum viri summi quo tamquam splendidissimo decore semper gloriabitur respublica nostra.

Praecepta moralia tradebant philosophi. Quantum in paucis hisce insit verbis probe intelliget quicunque paulo interiorem contraxerit familiaritatem cum scriptoribus Graecis Romanisque quorum, praesertim aetate imperatoria, toto imperio Romano summa fuit auctoritas. Is enim illa verba sic interpretabitur: erat tunc genus hominum qui philosophi dicebantur sed revera erant sacerdotes, at sacerdotes quibus nulla incumbebat sacrificiorum, caerimoniarum quaeque alia sunt ex eo genere cura; docere homines, monere, vituperare si opus erat, in re adversa solari, sursum eorum attollere mentes, sanare morbos doloresque quibus vexabantur, et, sive vocati sive non vocati essent, laborantibus vel commendare vel afferre remedia, hoc unicum eorum erat officium. Quare summa laude dignus

Lévèquius qui primus nomen protulerit [1]) *mentium medici*, quod quamquam totum illud hominum praestantissimorum genus optime describit, tamen nostrae aetatis hominibus rem nondum in satis clara ponit luce. Quapropter libellum Lévèquii separatim edens [2]) disputatiunculam quandam praemisi, qua mentium medicos illos cum „pastoribus" comparavi, non vero cum catholicis sed cum illis mihi a prima pueritia notissimis „protestantibus" quorum et ipsorum tantum non omnis vita tribus hisce impenditur curis: publice contionandi, pueros docendi quaecunque ad religionem pertinentia tenerae aetati sunt apta, privatim cum hominibus sibi commissis colloquendi. Cuius libelli censuram agens vir doctissimus *Max Pohlenz*, cum totum eius consilium magnopere probasset, de praefatione illa sic disseruit:

„einen eigentümlichen Reiz gewährt es nun, zu beobachten, wie Plutarch auf diese beiden so verschiedenen Völkern angehörigen Männer (me dicit Lévèquiumque) wirkt. Wenn Hartman an Plutarch denkt, so tauchen vor seine Augen unwillkürlich patriarchalische Gestalten seiner Jugendzeit auf, die in einfachen Verhältnissen lehrend, mahnend, versöhnend eine segenreiche Wirksamkeit entfalteten. Für Lévèque ist Plutarch der geistvolle Sittenschilderer, der mit scharfer Beobachtung das treffende Wort verbindet, der Mann vor untrüglichem ethischem Takt, vor allem aber ein Genie practisch-moralischer Wirksamkeit, das in einem verfallenden Zeitalter es sich bewusst zum Berufe gemacht hat, die sittlichen Schäden zu heilen und der Seele durch die Weckung des Vertrauens auf die eigene sittliche Kraft den Weg zur Besserung zu zeigen."

De *labente* illa aetate imperatoria possunt multa in contrariam partem dici. Sed omnino Pohlenzio satis illam meam comparationem probari ex ipsius elucet verbis. Neque est tanta inter me Lévèquiumque discrepantia quanta videtur. *Magnus* Lévèquio vir Plutarchus videtur: magnum autem virum esse posse eum qui, ut Plutarchus, in remoto aliquo terrarum angulo vivens

---

1) *Protulerit* aio tamquam „terminum technicum", nam eius temporis philosophi et alii et Seneca de sua arte loquentes saepe *metaphoris* utuntur e medici officina desumptis.

2) Caroli Lévèque libellum aureum de Plutarcho mentis medico denuo edendum curavit J. J. Hartman. Lugduni Batavorum apud A. W. Sythoff 1908.

nullo splendore nullaque magnificentia hominum oculos in se convertat, et qui ipsius libros diligentius perscrutabitur facile intelliget, et ipse identidem observavi ad eos locos unde illud praesertim mihi apparere videretur. Et *mihi* vir *magnus* est Plutarchus.

Sed nemo est tam durus tamque ab omni humanitate alienus, qui lectis Plutarchi libris eum non habeat in deliciis. E quavis enim pagina prodit vir comis, placidus, amabilis denique et plane humanus, cuius magnam fuisse inter aequales auctoritatem minime miremur maximeque gaudeamus.

Quapropter haud abs re videtur paucis verbis quae illa eius aetas fuerit describere.

Natus ergo Plutarchus est a. 47. Pro certo fere hic annus constat ex iis quae in libro *de E Delphico* legimus: habitum est illud colloquium cum Nero in Graecia versaretur (a. 66), et quaecunque in eo ipse profert Plutarchus iuvenis fere 20 annorum esse ex ipsis apparet verbis, clariusque etiam, si fieri potest, apparet, si observamus quae dicantur a fratre eius Lampria et quo modo ea a senioribus accipiantur.

Adolescentiae haud parvam partem Athenis degit. Nam huius urbis quam bene omnes ei noti fuerint loci et alibi videmus et *v. Dem.* 31 et *v. Phoc.* c. 22.

Et verisimile est semel tantummodo eum illuc esse profectum, neque praeterea omnino multum esse peregrinatum. Sed Alexandriam ei esse cognitam docet Q. C. libri V Pr. 5 initium.

Aetatis anno 30 Romam se contulit ibique permansit usque ad aetatis annum 45 (77—92), nisi quod iam anno fere 80 in aliquod tempus patriam suam repetivit, v. *Q. C.* VIII, 7, 1, *de curiositate* c. 15, *Numa* c. X.

Iam si quaeritur quid illo tempore Romae egerit, in promptu est responsum. Cum primariis viris contraxit familiaritatem. Qui illi fuerint rogas? Iidem fere quibus Tacitus amicis usus est, cuius rei hoc vel disertissimum testimonium quod Plinius ille intimus Taciti amicus causam egit Aristyllae, quae nupta fuit Timoni Plutarchi fratri (v. Plin. Epl. I, 5). Sed nominandi hic praesertim sunt Sossius Senecio, Mestrius Florus, eiusque filius Lucius, Arulenus Rusticus, Sextius Sulla, natione Poenus, Minucius Fundanus.

Et quo modo se illis viris amplissimis commendavit? Hoc quoque paucis dici verbis potest: orationibus habendis de omni rerum genere. Nam ut in eorum familiaritatem reciperetur atque — nam hoc praesertim agebatur — ut ipsorum fieret „philosophus" (i. e. mentium medicus), puerorumque ingenuorum praeceptor, documenta dare debebat se et eleganter Graece loqui posse et magnam sibi variamque parasse doctrinam. Ex hoc genere oratiuncularum, quas „sophisticas" appellare possumus, et aliae Plutarchi supersunt et prae ceteris nominandi videntur libelli *de Fortuna Romanorum* et lepidissimus ille *de sollertia animalium*.

In patriam reversus et alios obtinuit honores et sacerdotium Delphicum. Nisi me fallunt omnia, Theoni successit, cui antea in oraculo melius ordinando egregiam navaverat operam.

Sed et praeterea non abundavit otio in patria sua placidissima. Quid quod iam seni ei necessario etiam latina fuit addiscenda lingua, cuius satis imperitus Roma redierat. An *non* legere potuit Taciti Historias, quo libro enarrabantur res quae tantopere animum eius commovissent quemque scripserat amicus ille quem olim tamquam summum oratorem suspexerant, tunc tamquam optimum scriptorem admirabantur quotquot toto orbe terrarum erant viri feminaeque cultiores?

(De Plutarchi studiis latinis separatim egi Mnem. 1906 p. 307 sqq.).

Atque omnino Chaeronense illud „philosophi" nostri otium tantum non omne studiis fuisse dicatum quid demonstrem? Nullam enim disciplinam a se alienam Plutarchus ducebat, sed omnibus dabat operam — ut, si ita res ferret, de omnibus scribere posset. Hinc illa „librorum infinitas", quam, teste Suida, Favorinus, Plutarchi aequalis [1]) et amicus est aemulatus. Quorum quamvis multa perierint — vix tertiam superesse partem contendit Wyttenbachius; sed hic vir ille de Plutarcho praeclare meritus modum excedere videtur — et quamvis quaedam scripta Plutarchea *iuvenilem* prodant aetatem, tamen multo maiorem partem *a sene* scriptam innumeris apparet locis: mirum dictu

1) Aliquot tamen annis Plutarcho minor fuisse videtur Favorinus, quem etiam cognitum habuerit Lucianus (n. a. 115).

est quam saepe in computationibus nostris de alicuius e „Moralibus" libri aetate in annum 107 incidamus. Et licet omnium unum sit consilium, hominum mores emendandi, ipsorum hominum, quibuscum vivebat quibusque amicis utebatur Plutarchus, commoda modo hunc modo illum provocarunt. Alium librum in maiore pronuntiavit contione, alium discipulis collegisve recitavit, alium per totum spargendum curavit imperium Romanum, alium certi alicuius amici causa composuit. Sed de hac re accuratius nobis erit disputandum ipsum philosophi et mentium medici officium explicantibus. Hic unum hoc dixisse sufficiat, certo tempore „Moralia" i. e. varia scripta in lucem edere desiisse Plutarchum [1]) et ad illud omnium limatissimum exactissimumque *Vitarum* opus transisse: illis se ad has paravit, primumque ut quidque ei in mentem veniebat chartae mandavit, tum ad severae illud artis transiit genus unde summam eamque immortalem gloriam apud posteros, atque adeo apud seram posteritatem, optimo est iure nactus. Res tamen ipsa loquitur identidem, cum iam in mediis esset *Vitis*, eum ad Moralia rediisse sive ut novum iis adderet libellum sive ut libellum antea scriptum retractaret. Sed *certa* eius rei admodum pauca deprehenduntur indicia. Vitae autem quo ordine scriptae sint editaeque *aliquatenus* pro certo constat. Qua de re supra egimus.

In libris autem qui Plutarchi feruntur quosdam immerito ei tribui quis miretur? Sed ad eam fraudem certo deprehendendam, unum tantummodo nobis praesto est argumentum. Spurius ille dicendus est liber quem a Plutarcho scribi non potuisse is *sentiat* qui per multos annos amico Plutarcho usus sit. Nam ad illud hiatuum vel vitatorum vel non vitatorum argumentum, quod primus protulit Benselerus, quod attinet, sic se res habet (et quodammodo atque ut aiunt, „mutatis mutandis" idem de omnibus, quotquot sunt, argumentis „lexicographicis" dici potest):

---

1) Multis demum post Plutarchum saeculis ea ita sunt collecta et disposita ut nunc habemus; sed hic illic apparet eius negotii iam ab ipso Plutarcho factum initium: ipse Plutarchus librum *de Superstitione* statim post *Septem Sapientium Convivium* posuit, ipse libros data opera in Epicureos et in Stoicos scriptos in duo collegit ternorum librorum corpuscula. Loci ubi iam antea in hoc libro de ea re egi in indice inveniuntur s. v. *ordo librorum moralium.*

aliis argumentis additum magnum interdum habet momentum, si solum affertur parvi est ponderis. Ineptus sit si quis librum ceteroquin Plutarcho non indignum ideo ei abiudicet quod hiatus in eo non vitentur, ineptior tamen etiam si librum absurdum insulsum insanum Plutarcho vindicet quoniam in eo hiatuum vitandorum appareat studium. Et alibi hoc tenendum et in illis collectionibus compendiisque, quae tamquam Plutarchea ad nos pervenerunt. Serione credamus in eiusmodi scribendis libris sedulo vitasse hiatus Plutarchum, cui nihil unquam visum sit ineptius quam istius diligentiae *semper* esse memorem? Atque eiusmodi docendi discendique instrumenta a praestantissimo omnium magistro composita, per manus philosophorum et philosophantium esse tradita et sic labentibus annis omne contraxisse vitiorum genus nonne res ipsa loquitur? Denique quid scripserit quid non scripserit ipsum rogemus Plutarchum!

Et qui erant illi homines quibuscum Chaeroneae vivebat Plutarchus? Hic primum nobis ipsi eius cognati affinesque sunt nominandi: Lamprias avus, senex ille omnium lepidissimus, Autobulus pater, quem saepe filius loquentem pro se inducit, quo maiorem sua habeat oratio auctoritatem minusque arrogantiae: atque eodem consilio aut Theonem, decessorem suum in sacerdotio Delphico, aut illum quem dei instar colit magistrum Ammonium ea fingit defendentem quae ipsi sunt persuasissima; tum Lamprias Timoque fratres, Patrocleas affinis, Aristobulus Plutarchusque filii. Ipsorum Chaeronensium, qui se illi commiserant pastori, silentur nomina, sed inter eos quoque unum et alterum fuisse haud spernendi ingenii atque acuminis lubenter credimus. Denique Chaeroneam ex omnibus provinciis atque ex ipso imperii capite confluxisse haud paucos praestantissimi clarissimique philosophi videndi cognoscendique cupidos et sponte intelligimus et ex ipsis saepe Plutarchi verbis efficimus. De his nunc separatim agendum: videndum enim de ipso Plutarchi eiusque collegarum munere.

De philosophis loquimur, de mentium medicis, de pastoribus fidelium. Sed quales hi fuerint homines nunc ad ipsam illius temporis lucem considerandum videtur.

Primum omnes sunt Γραικοὶ καὶ σχολαστικοί, quo nomine appellari solent a tota τῶν βαναύσων plebe (v. Cic. c. 5) cuius

plena est tota urbs Roma. Bene factum quod in eadem urbe tam multi vivunt homines nobiles opulentique qui literas et omne doctrinae genus magni faciunt. Eo ergo Graeculi isti confluunt ut patronos inveniant fautoresque, ut privatas publicasque perscrutentur bibliothecas, ut contemplando orbis terrarum capite maiorem aliquem acquirant vitae usum. Sed ante omnia opus est ut suae doctrinae, elegantiae, eloquentiae dent documenta, ergo Romae orationes oratiunculasque habent de omni argumentorum genere: nam patent iis senatorum auditoria, qui semel eos ad se admiserunt: sperant enim illi neque sine idonea causa sperant ad ipsos quoque e Graeculi istius successu redundaturum aliquid gloriae. Graeculorum vero alii sunt philosophi alii sophistae. Qui licet inter se internecivum gerant bellum, tamen (ita eo tempore permixta et confusa erant omnia quae quidem ad animi mentisque pertinerent regionem), nemo „philosophus" plane sophistam exuit, nemo sophista sibi non videtur aliquantulum philosophiae libasse. Ipse Lucianus, quamvis omnes contemnat derideatque philosophos, minime tamen ipsius philosophiae ignarus haberi velit. Quid quod philosophi alii se Epicureos dicunt, alii Stoicos Academicosque sed vix quisquam eorum se continet intra terminos quos sibi statuit ipse. Tamen iure et olim inter se sophistae et philosophi opponebantur et nunc quoque opponuntur sed ... inter se partes mutarunt. Socratis tempore sophistae se *vitae* parare cives clamabant, philosophi e media luce abstrahebant discipulos in scholae umbram ubi deliberare discerent de rebus summis quidem et gravissimis sed e quibus nullum essent percepturi fructum quem in vitae possent convertere usum. At nunc philosophi quomodo sit *vivendum* docent et, quod multo gravius multoque illa certe aetate maioris momenti, quomodo recte sit *moriendum*; sophistae elegantiam orationis tradunt, quae ornamenti quidem et delectationis habet multum sed vix quidquam utilitatis. Plutarchus vero nihil humani a se alienum putat: intricatissimas quaestiones philosophicas non reformidat, neque tamen levius illud et amoenius eleganter et venuste declamandi contemnit artificium. Sic factum est ut inter eius „Moralia" scripta quaedam inveniantur „sophistici" generis, quae tamen pleraque iuvenis scripsisse videtur. Interdum tamen eum metuisse dicas ne sophistis adnumeraretur

ipse, ideoque aliquid conscripsit quo se plane illi eximeret turbae, e quo genere est libellus *de gloria Atheniensium* cuius hoc est argumentum: „non artibus literisque praesertim sed strenue bello gerendo ad illud sunt evectae Athenae fastigium".

Nullum literarum genus Plutarchus contemnit fastiditve. Et post ipsam philosophiam nullum est studium cui magis sedulo dederit operam quam *historiae.* Neque mirum: qui enim monere homines, a male factis retinere, in re adversa consolari, in secunda ad novum incitare laborem vult, ei non tam praeceptis est agendum quam exemplis. Et illa unde petat nisi e praeteritorum saeculorum historia? Noli tamen putare historiam Plutarcho nihil aliud fuisse quam artem in horrea condendi rerum nominumque copiam: non tamquam ministra solum ea vult uti sed etiam tamquam magistram ea colere reverentia qua digna est. Ipsam enim aequalium vitam contemplatus est, viris qui summum in re publica tenebant locum amicis et usus est et utitur per eosque etiam ipsi innotuit imperatori; totius imperii Romani statum bene habet cognitum ... et nunquam rerum specie fuit contentus: nonne ei, ut ipsam imperii rationem penitus cognosceret, tota eius historia sedulo erat perlustranda ita ut non res gestas solum sed etiam earum auctores tamquam in tabula pictos haberet ante oculos? Accedebat eo quod ipsa patria philosophi per multa saecula historiae quodammodo fuit theatrum atque eius historiae quae caede et sanguine totius orbis terrarum mutavit conditionem quodque a puero seniores audiverat narrantes de rebus gravissimis quarum fuerant testes, deque magnis imperatoribus quos suis adspexerant oculis. V. Ant. 28, 68 innumerosque alios locos. Ergo ut quam solidissimam sibi historiae compararet notitiam primum libris sibi opus esse intellexit: et aliae res eum Romam trahebant et ingentes illae bibliothecae publicae. Quot et ibi et aliis in urbibus libros pervolvit! Paene dixeris eum *nimis multa* legisse (v. v. Thesei passim). Et quam sano sobrioque eos legit iudicio! An hoc aegre feramus quod tanti faciat Xenophontem quem hodierni historici contemnere et fastidire soleant? Lege ergo quid in Xenophonte laudaverit potissimum: concedes meritam eam laudem esse (Artax. 8). Et quis Plutarcho magis in succum et sanguinem vertit eos quos tamquam summos auctores omnis

semper suspexit aetas, Thucydidem Polybiumque? Sed hoc gravius quod maturo subactoque iudicio opus esse ei qui historici nomine dignus esse vellet penitus perspexit. Confer nunc eius de Cicerone iudicium cum severa scilicet ista recentiorum condemnatione; quae vera sit gravitas et quae sit levitas dicenda cognosces. Quot quam graves de omni historia apud Plutarchum inveniuntur sententiae: saepe mirari subit tam multa eum iam perspexisse quae nostra demum aetate in clariore videantur esse luce posita. (Ti. Gracchus 9; Coriol. 14; Brutus 48). Quam salse deridet sophistas qui gravissima historiae arte pueriliter sunt abusi, et quam prudenter illis ipsis utitur ut tamen inde protrahat si quid habent boni (Dio XI, XXXV sq., Arat. 28). Quanta arte depingere hominum mores didicit. De *arte* Plutarchi loquor: ubinam unquam vidisti praestantiorem rerum gestarum pictam tabulam quam in vita Crassi capitibus (17—33) ubi tristis illius ducis narratur exitus? Ad hanc artem et ad hanc sapientiam ipsi mores innati Plutarchum aptum reddebant, nam „amat Graecos admiratur Romanos odit neminem": aurea sunt haec Cobeti verba quae spissos loquuntur libros, quaeque cuivis Plutarchi praefigenda censeo editioni, nam in his totus Plutarchus inest; res humanas ita contemplatur ut vere admirari possit quae sint admiratione digna, ab omni odio, ab omni iniquitate abhorret, sed habet molle et inflammabile pectus ita ut et legentibus amorem incutere possit eorum quos amet ipse. Denique nullam artem ipsius causa coluit Plutarchus colendamve arbitratus est, nisi forte idque invitus (nam historicum eum creaverat natura ipsa) historiam. In ceteris omnibus altiora spectavit nihilque magni fecit quod non ad aeternam hominum pertineret salutem et felicitatem.

Habemus virum doctum et tantum non plena perfectaque praeditum sapientia, ipsum philosophum atque mentium medieum nondum habemus. Quaeritur enim etiam — et huc tota nostra redit disputatio — quomodo ille vixerit, officio suo functus sit, denique, ut simpliciter dicam, quo modo quibusve modis *victum* quaesierit.

Romae suos sibi habet amicos, homines potentes opulentosque: iam hoc qui assecutus est non habet quod inopiam metuat ... dummodo scribat libros. Miram rem narrare videbor aequalibus

nostris, qui sciunt quantillum emolumenti redire soleat ad ipsos „chartaceorum liberorum" patres. Et tamen ita se res habet: philosophus si quid composuit quod ipsi satis placeat, id patrono suo dedicat eumque in exordio libri alloquitur. Parvone illum sibi honore affectum videri putas? Immo vero quanto magis ei liber placuit, quoque clarior est scriptor eo gloriabitur magis, libenterque in se ipsius libri recipiet patrocinium: habet enim agmina servorum literatorum qui eum in multa exemplaria quam maxima describent cura, sic ille in multorum mortalium perveniet manus et non solum scriptoris sed etiam patroni laudem per totum sparget imperium Romanum. Immunemne ab eo scriptorem abiisse censes? Accedit res quae ab hodierno usu plane recedat. Olim si quis vir opulentus de aliquo argumento legere aliquid volebat, de quo nondum id ipsum scriptum esset quod maxime expeteret, novum de eo librum scribendum curabat, „ad scribendum ponebat" philosophum quem huic negotio aptissimum esset expertus. Sic non soli delectationi suae consulebat neque laudi (licet sciret in prima novi libri pagina suum lectum iri nomen), sed saepe etiam utilitati. Nam qui se aliquo mentis morbo laborare sciebat, qui metu aliquo vel anxietate vexabatur, quem macerabat invidia, cui non corporis sed animi dolores somnum rapiebant, aut mentis medicum adibat, aut si procul ille habitabat per nuntium literasve eum precabatur ut libro aliquo scribendo sibi pararet medicinam. Insigne nobis praebet exemplum Paccius ille qui vitae munerisque molestiis ad incitas redactus a Plutarcho opem petiit et sic praestantissimum illum atque omnibus hominibus, non Paccio soli eiusque aequalibus sed nobis etiam posterisque nostris, utilissimum *de tranquillitate animi* elicuit librum. Sed hic mihi occurrendum crimini videtur quod in promptu est. „Utilemne" roget quispiam „eum vocas librum qui non tam quo modo *vivendum* quam quo modo *moriendum* sit doceat? Omnis enim illa Plutarchi sapientia hic quoque redit ad illud ἐγγὺς λιμήν Stoicorum, quod suum fecisse omnes illius temporis videntur philosophi". Non nego Paccio quoque tamquam extremum perfugium commendari mortem voluntariam. Sed vide quam sit hic quoque cautus et circumspectus Plutarchus: revera *extremum* ei est illud perfugium quo aut nunquam sit utendum aut vix unquam. Atque novicium

illud „suicidii" vocabulum in Stoicam illam mortem vix convenire videtur: non enim perfectus sapiens manus sibi infert ipse, non cum sanguine efflat animam, non veneno laqueoque sibi intercludit spiritum sed „deliberata morte" vivere desinit, similiorque aegri est qui postquam diu cum morbo suo est luctatus, tandem aliquando voti sui compos factus omnem vitae amorem abiicit et laetus lubensque mortem exspectat iamiam sponte venturam.

Sed ut missam faciam tristem illam difficillimamque quaestionem, Pacciumne non paratos habuisse censeamus nummos quibus medici sui curam diligentiamque remuneraretur?

Est et aliud munus quod suis debeant patronis philosophi, idque lucri feracius etiam. Novimus Ovidianum illud

et vos turba fere censu nudata magistri.

Sed illa „labente" aetate imperii Romani mutati erant in hac quoque re mores. Erant magistri qui abundantia potius quam inopia laborarent. Plutarchus certe in re admodum lauta vixisse videtur: ea est librorum eius hilaritas amoenitasque. Neque mirum hoc videri potest. Senatores enim Romani, illi praesertim quibuscum familiaritatem Plutarchus contraxerat, cum in summo viverent otio et tranquillitate, veram non spernebant dignitatem sed literas, doctrinam, philosophiam aut sibimet ipsis appetebant aut omnes qui aliquid in eo genere profecerant felices praedicabant; certe suos ipsi liberos earum rerum expertes esse nolebant, sed cum satis solida iecissent literarum fundamenta eos philosopho tradebant excolendos. Et quis huic muneri aptior unquam Plutarcho iuventus est? Lege mihi hosce locos: Cato min. 1, Alex. 5, Thes. 4, statim apparebit etiam illos viros magni fecisse Plutarchum, qui *parvis* erudiendis darent operam pueris et efficere studuisse ut et alii, a quibus paedagogi et ludorum magistri vulgo contemnerentur, perspicerent quanta esset eorum in civitate utilitas. E schola ludoque literario lepidissimas sumit imagines narratiunculasque quibus Vitas et Moralia illustret: reputate modo quam lepide Coloten ludibrio habeat (*adv. Col.* c. 25 in.), quem fortasse eam ob causam vel maxime despicit quod in ipsis grammaticae elementis hospes sit (ib. c. 12), in mentem vobis revocate aptissimam illam imaginem e ludo literario translatam in adultorum auditoria (*de audiendo*

c. 2 medio), et quid in Anaxagora prae ceteris laudaverit Plutarchus mementote (praec. reip. ger. c. 27 medio). Tum relegite Them. c. X, Cato minor 1 sq., Cam. c. X, XXXVII, XXXVIII, Sert. XIV, videbitis haec omnia eius esse qui ludum literarium in deliciis habeat, nullosque apud eum homines in maiore fuisse honore quam ipsos illos viros humiles tenuesque qui puerorum educandorum in se recepissent curam, neque mirabimini ipsum illum Ammonium quem dei instar Plutarchus venerari soleat „inspiciendarum scholarum" (sic enim nos nunc loquimur) honorem non respuisse (Q. C. L. 1 pr. A in.), examina puerorum esse moderatum et praeceptores, quorum maxime esset probata opera ... ad coenam invitasse (cff. quae de se narrat Plinius Epl. I, 8).

At enim qui potest „philosophus" in remoto Boeotiae angulo aliisve Graeciae oppidis vicisque illud docendi educandique exercere munus recte atque ... cum suo emolumento? In promptu est responsum. Relegite mihi Luciani *Nigrinum*, intelligetis cum totam Graeciam tum ipsas Athenas omnibus hominibus otii atque sapientiae studiosis perfugium quoddam visum esse quo si ipsis prae urbanis negotiis se recipere non liceret at liberos suos poterant mittere ut tenera eorum aetas quiete confirmaretur et omni doctrinae genere aleretur. In aedes suas inque suae familiae sinum ingenuos adolescentes recipiebant philosophi, ubi quo modo eos docuerint educaverintque et aliunde cognoscimus et e Plutarchi Quaestionibus Convivalibus, praesertim ex eo capite ubi sermones *Aedepsi* [1]) habiti referuntur: eo enim *feriarum* tempore philosophi nostri excurrere solebant secumque suos ducere discipulos ... atque discipulas nam quin ingenuae puellae omnium artium, etiam difficillimarum, ut mathematices, aeque peritae atque pueri esse debeant possintque neque dubitat Plutarchus neque dubitant, ut opinor, collegae eius. In earum numero illa Eurydice fuit cui nuptae iam Polliano, iuveni Romano nobili, illa conscripsit *praecepta coniugalia* in quibus maiorne sit verecundia an sapientia cum venustate mixta haud facile diiudices. Illorum autem, quos curae suae commissos domi rurique

1) De amoenissimo illo loco videatur LANDERER „über die Thermen von Aedipso auf der Insel Euboea" in „Buchners neues Repertorium für Pharmacie Bd. VIII, 1859 p. 289—294". Plut. Q. C. IV, 4. Sulla 26; de Frat. Am. c. 17; Ath. (apud Mein.) vol. I p. 134.

habebant philosophi, *quidam* ἐν φιλοσοφίᾳ παρατρεφόμενοι dicti esse videntur, ii nimirum qui non τέχνην τὴν φιλοσοφίαν postea essent habituri sed tantummodo aliquid inde iam nunc libaturi quod in vitae essent conversuri usum. Sed in *omnes* quodammodo illud convenit nomen, nam praecipua pars educationis haec est quod senioribus docte graviterque disputantibus assident iuniores iisque interdum et suam proferre licet sententiam si res tractatur cui illorum est aetas idonea. Et quanta diligentia hos audiant magistros iuvenes quamque eos venerentur et aliunde discitur et ex hisce locis Quaestionum Convivalium: L. III pr. 7; L. IV initio, L. III pr. 1 (ubi iuvenes, postquam Ammonius sat gravi oratione coronarum in epulis usum vituperavit, omnes coronas quas iam capiti habent impositas deponunt). Et ut scias ibi utile dulci fuisse mixtum lege L. IX probl. 15, ubi placentas saltandi praemia proponit Lamprias Plutarchi frater, saltandi peritissimus et ipse. Quid quod ipsa philosophorum convivia non delectationis tantummodo liberalis causa habebantur, sed etiam magistrorum inserviebant utilitati et emolumento: his enim novos ad se allicere solebant discipulos quemadmodum hic docet locus Q. C. L. V, pr. 3 sub finem capitis 2: ἐκίνησεν οὖν τοὺς νέους κτἑ.

Quin etiam *mentium medicus*, quod nomen nunc arctiore sensu est accipiendum, egregie munus suum in sua poterat exercere patria. Romae quotidie sedet paratus ad varias variorum audiendas querelas, nam hac re a nobis differebant veteres, et fortasse nobis praestabant, quod qui se mentis aliquo laborare sentiret putaretve morbo non minus consulebat medicum quam qui nunc corpore aegrotant. Quodsi fama ille medicus inclaruerat, mirandum non est iam primo mane atrium eius plenum fuisse hominum auxilium ab eo petentium consiliumve. Et varias eorum fuisse querelas iam dicebam: portentorum metu torquebatur hic at ille mortis; hunc muneris suscepti premebat pondus illum macerabat invidia; cum cognatis affinibusque hic in perpetuo vivebat bello, suos ipse filios ille frustra reconciliare studebat: οἶδα (ait Plutarchus in libro *de fraterno amore* c. 4 in.) ἐμαυτὸν ἐν Ῥώμῃ δυοῖν ἀδελφῶν ἀναδεξάμενον δίαιταν. Num aliis uti verbis solet corporis medicus cum de sua loquitur „praxi”? Nunc demum intelligimus quid nota illa in *vita Demosthenis*

(c. 2) verba significent et quam sint vera: „Romae non vacavi Latine discendo et alias ob causas et propter multitudinem eorum qui philosophiae meae causa quotidie ad me venire solebant''. Denique nosocomii cuiusdam instar fiunt mentis medici aedes, certe Plutarchi factae sunt, neque deserebantur cum ipse urbanum strepitum Chaeronensi mutasset otio. Scimus enim Timonem fratrem eius Romae remansisse, quidni ad fratres hos Chaeronenses convertamus verba illa quae in eodem *de fraterno amore* leguntur libro p. 478 F: „possunt fratres pro fratribus domi manere et peregre ire, rem publicam administrare et agrum colere''? Timonem equidem credo pro fratre absente nosocomium illud administrasse, quod tamen de fratre conditore nomen suum retinebat, Timonem aegrorum audiisse querelas et aut ipsum eos curasse aut pro iis fratrem suum clarissimum illum medicum consuluisse. Sed hoc non ego credo sed pro certo scimus omnes, illos medicos et literis sanare aegros esse solitos et eiusmodi literas frequenter ab iis esse expetitas. Idem ille Paccius, qui a Plutarcho commentarios ad quosdam Timaei locos exspectat, librum ab eo petit quo sua sanetur anxietas et sollicitudo. Quid quod et *vicarios* suos medici illi habent per quos cum aegris exerceant commercium. Denique sat bene iam nobis patet id unde sumus profecti quo modo quaestum fecerint victumque invenerint antiqui mentium medici. Quibus fortasse ne tertia quidem aegrorum curandorum ratio, quae apud optimum quemque semper in summo fuit honore, sterilis fuit: non enim solum singulis dabant consilia neque singulis scribebant epistolas sed et in maiore hominum conventu contionabantur, quae res saepe Chaeroneam aliaque in oppida Graeciae permultos attrahebat viros nobiles opulentosque, et praeterea e contione liber nasci solebat Romano alicui senatori dedicandus.

Sed et publicis in suo sibi oppidulo fungitur muneribus philosophus. Ad Plutarchum vero et sacerdotium delatum est Delphicum, quod quanti fuerit momenti inde apparet quod iam antea Plutarcho primario adiutore usus est in oraculi ordinando statu Theo, cui ille successit. In ipsa autem patria civilium honorum omni genere functus est Plutarchus etiam humillimis: nam civibus suis perfecti volebat dare „viri politici'' exemplum qui, quoniam a civibus honoribus amplissimis sit dignus habitus,

pro illis lubenter etiam inferiores, quamvis multum afferant laboris et molestiae, sustineat. Artem politicam docere aequales civesque studebat, eam dico quae sola tunc Graecis — an Graeculis mavis? — patebat. Hoc consilio et alia scripsit et illa *praecepta reipublicae gerendae* quibus nescio an nullus fideliorem nobis imperii Romani exhibeat imaginem. Hunc legat qui quae tunc, illo „labentis" imperii tempore, provinciarum fuerit condicio cognoscere cupit. Hic enim qua ratione Graecis utendum sit libertate, quam iis domini reliquerunt, Plutarchus demonstrat, hic dat praecepta quibus observandis etiamnunc de suis bene mereri possit civibus is quem sibi praefecerunt illi. Serviliane ea praecepta vocas? Decipit te species, ut opinor. Amat Graecos Plutarchus, admiratur Romanos, sed quamvis sit sincerus amor ille, non est minus sincera haec admiratio. Penitus sentit haud male a dis immortalibus consultum esse Graecis, quibus domini illi severi iustique cum securitate nunc pacem praebeant qua antea caruerint semper. An despiciamus contemnamusque Plutarchum quod non contra legiones Romanas eorum Graecorum armaverit progeniem, quos olim barbaris opposuerunt Miltiades Leonidasque? Immo prudenter, ut opinor, sapienterque magna illa Sophistis relinquit nomina, potiusque operam dat ipse ut a proconsule atque ab ipso imperatore Romano veniam impetret illis qui aliquid deliquerunt civibus, ceteris vero omnibus quam plurimum libertatis emolumentique. Nam si illa *praecepta* recte et accurate legimus, atque ita ut nobis scriptor ipse vivus stet ante oculos, minime spernendum tunc in republica Romana genus hominum fuisse „philosophos" illos intelligimus, sed haud dissimiles Iesuitarum aliorumque eiusmodi sacerdotum, qui licet neque rempublicam capessant neque ullo in se convertant ora hominum splendore, tamen dignitate sua sapientiaque, sobrio victu morumque castitate ubique terrarum atque etiam apud ipsos reges imperatoresque magna fruuntur auctoritate.

Et quo modo praesertim civium suorum commodis et utilitati Plutarchus consuluit? Non potuit melius: consuluit enim paci, lites et discordias tollere et dirimere studuit, quidquid mores efferaret — ut illa gladiatorum et beluarum certamina — damnavit proscripsitque, pro patriae suae pugnavit gloria et dignitate, iis armis usus quibus tunc Graeci uti poterant, ne illis

quidem spernendis: contra levitatem et fastidium iuniorum poetam Boeotum defendit, omnis poesis patrem verae virtutis pietatisque optimum esse demonstravit auctorem, Herodoti vero perstrinxit maledicentiam, non hercle ut suavissimo illi narratori malediceret ipse, sed ut tandem aliquando *abuti* illo auctore Graecos dedoceret, qui hactenus ex hoc praesertim armario bellorum civilium, quae tunc etiam geri possent, petivissent instrumenta. Nam in omnibus illis scriptoribus poetisque, et in quibus non?, est versatissimus neque versatus minus in ipsa *arte* politica. Hanc non minus bene quam ipsi Thucydides Polybiusque callet: admiratur Periclem, abominatur Cleonem, de *malo* imperatore Tiberio vel Domitiano neque audivit unquam neque somniavit, certe hic ne ab aequalibus quidem historicis se in errorem induci passus est. Sed ante omnia, ut iam dixi, consuluit paci, neque ullam esse pacem perpetuam firmamque posse intellexit hominum nimis severorum tetricorumque: hilaritatem non solum amat ipse sed etiam patriae utilem esse censet et iure, ut opinor, censet.

Sed redeamus ad Plutarchum literarum, doctrinae, denique philosophiae cultorem.

Quid eo interesset tempore inter sophistam et philosophum iam vidimus, Plutarchumque anxie metuisse ne unquam „fucis sophisticantibus" adnumeraretur intelleximus, ideoque et alias scripsisse et pronuntiasse declamationes quas „anti-sophisticas" dicere possimus et illam *de Fortuna Romanorum.* Sed rerum ad mentem humanam pertinentium non tam certi sunt termini quin saepe fiat ab alia ad aliam transitus.

Sic nemo sophista tam fuit elegantiae et limatae orationis studiosus quin tamen simul et scriptor de rebus gravioribus minime spernendus haberi cuperet, nemoque adeo dedit operam moribus emendandis hominibusque docendis ut nihili faceret orationis venustatem: nullus philosophus tam plane sophistam exuit ut prorsus mutatus videretur ab eo quem iuvenem cognoverunt auditores: sophistae enim quam philosophi fuit similior Plutarchus cum prima dedit artis suae doctrinaeque specimina. Possum rem exemplo e nostra aetate petito illustrare quod hic quam maxime appositum videtur. Cum nostris „pastoribus protestantibus" comparabam philosophos Plutarcho aequales: quot quam lepidos at-

que etiam iocosos illis ipsis viris gravibus debemus versiculos, quam multas narrationes narratiunculasque, quae licet et ipsae bonae frugis sint plenae et omne virtutum genus commendent legentibus, tamen eo potissimum consilio scriptae videntur ut delectent eos suaque detineant suavitate. Sic Plutarchus numquam fuit immemor artis oratoriae atque venustatis literariae. Quid quod quo gravior liber eius est, quoque magis recondita et intricata in eo tractantur argumenta, eo magis gloriolam illam appetit quam scriptori affert artificiosa libri dispositio et facunda enuntiatio.

Iuvenis Plutarchus ea scripsit quae nobis interdum *Lucianum* in mentem revocent: nonne enim satyriola Luciani ille *de sollertia animalium* videtur libellus? Neque postea plane illud scribendi genus omisit. Nonne enim Lucianeo more Stoicos ludibrio habuit, malos historicos totumque τῶν Ἰσοκρατιδέων genus? At ubi opus exigit quod sit aere perennius futurum, sublimius quoddam sibi exoptat decus, illud tamen et ipsum prorsus „literarium": Platonem, Platonem inquam, aemulatur, illum *dramatis* componendi artificio vincere et superare studet. Quanta est τῆς τοῦ δράματος σκηνῆς varietas in *Septem Sapientium Convivio*, de cuius auctore esse unquam dubitatum nunc non sine aliquo risu miramur et mirabuntur posteri; quanta arte in *Amatorio* Thespiis in Heliconem transferimur et Thespias inde reducimur. Quam lepide in utroque libro ab alia ad aliam transitur disputationem. Sed ceteris omnibus hac laude praestat liber quo prae ceteris gloriatum esse Plutarchum suspicor tamquam opere „oratorio maxime", illum *de genio Socratis* dico: graviter ibi, docte, sapienter disputatur, sed summa haec libri laus quod eodem nos detinet commovetque modo, quo narrationes illae, plenae vicissitudinum, quas ut e manibus deponamus vix a nobis impetrare possimus: tam sumus cognoscendi quis tandem sit futurus rerum exitus cupidi. Neque in ceteris Plutarchi libris, in quibus *de immortalitate animi* aliisque ex eo genere rebus, quibus maxime legentium animi in editos attolluntur locos, disputatur desunt illa artificia quibus praestantissimos suos libros variavit ornavitque Plato.

Numquam tamen vel fuit vel factus est Plutarchus, ut ita dicam „purus putus" sophista. Quod vel maxime perspiciemus,

si reputabimus quid ille iudicaverit de eo artificio in quo tunc, et iam multo antea, fere omnis inerat ars poetica atque literaria: aetiologiam dico. Non eam spernit Plutarchus, immo delectatur ea sed ... nusquam melius quam hic apparet quam verum sit illud quod modo dicebam: „philosophi et sophistae partes inter se mutarunt". „Ars politica ad quam nos formamus homines" Gorgias aiebat „virorum est; tua, o Socrates, philosophia, haud ingrata est delectatio, sed quae solos deceat adulescentulos". Plutarchus eiusque collegae: „nostra" clamant „philosophia cives alit bonos strenuosque; vestra, sophistae, artificia pueros delectent".

Nusquam quidem hoc disertis dicit verbis Plutarchus, sed hanc eius esse sententiam iam inde apparet quod quae ipse scripsit „aetia" (Romana dico, nam Graecorum quam diversissima est ratio) omnia vitae utilitatem spectant et morum emendationem: aetiologia iis nil nisi externam quandam speciem praebet et ornamentum. Sed clarius idem illud elucet e loco in initio libri *de E Delphico*, qui vereor ut unquam suo sit aestimatus pretio. Lepido sane et lepide excogitato, sed tamen aetiolo, illam illustravit literam Lamprias, Plutarchi frater; ipse Plutarchus satis, ut adolescentulus et ipse, docte eam explicat. Hanc explicationem dignam certe Ammonius, qui colloquium moderatur, censet cui respondeat at Lampriae artificium ... suavem eius provocat risum, praeterea nihil.

Denique confer summum eius temporis sophistam Dionem cum summo philosopho Plutarcho ... ille interdum ad philosophiam eniti tendit, sed mox ad sua sibi delabitur artificia, hic adolescens strenue arti sophisticae dedit operam et ne senex quidem plane eam reliquit: sed raro tamen ea utitur et brevis tantummodo delectationis ornamentique minime necessarii gratia.

Doctum esse philosophum decet, neque in ulla hospitem disciplina. Huic legi tota sua vita fideliter Plutarchus paruit: nulla antiqua disciplina cogitari potest cui ille non strenue dederit operam, strenue simulque feliciter. Qualis quantusque fuerit historicus iam vidimus. Et artem grammaticam ei et cordi fuisse semper et esse debuisse cum res ipsa loquitur tum innumeri in eius scriptis loci, quorum vel primarius est ille in Quaestionibus Platonicis (Nr. 10) „cur Plato e verbis et nomi-

nibus constare sermonem dixerit". De quo nunc hoc unum tantum dico loqui ibi virum qui sibi sit conscius se inter sui temporis grammaticos, consentientibus omnibus, aut principatum aut certe insignem locum tenere.

Cum grammatica artissime cohaeret „crisis literaria" (ut sic eam appellem disciplinam), quae quam docte quamque eleganter a Plutarcho sit tractata cum alii multi libri locique demonstrant tum suavissima illa *Aristophanis et Menandri comparatio*, cuius fere totum argumentum huc fere redit: magno poetae Aristophani praeferendum esse Menandrum poetam bonum, id est utilem legentibus, prudentem monitorem, mentium medicum et ipsum. Vix dicere opus est me huic non subscribere iudicio, unum hoc dico oratiuncula illa „sophistica" philosophum adolescentem egregie demonstrasse eum se esse cui senatores Romani, elegantiae Atticae studiosi, bene filiolos suos erudiendos possent committere. Quam enim in utroque poeta est versatus, ipsumque illud iudicium, quamvis a nostro discrepet, quam plenum est acuminis et elegantiae et quam lepidis venustisque nititur observationibus!

Sed semper et ubique, atque hic praesertim illud tenendum, de arte quae artis, de disciplina quae disciplinae causa sit exercenda inter antiquos ne somniasse quidem quemquam unquam. Plutarchum vero, si ea audisset vocabula, in risum fuisse erupturum elucet. Huic enim persuasissimum semper fuit quidquid agat homo, cuicunque rei det operam, quidquid discat studeatque, unam semper rem ei propositam esse debere: ut felicior fiat, hoc est melior, ut vitia quibus laboret evellat ex animo, ut licet ad perfectam, vel si mavis absurdam, Stoicorum virtutem sit perventurus nunquam, verae tamen virtutis in dies magis admirari discat imaginem. Hoc est cur tam saepe eius immemor sit *ἀκριβείας*, quae nunc fere sola apud viros doctos est in honore: Thrasybulum inter *τυραννοκτόνους* nominat, cur versus complures Hesiodo abiudicet hoc satis causae ei videtur quod illos aut moribus nocere aut certe non prodesse censeat, Pythagorae Archimedisque inventa tam parum accurate significat ut interdum suspicio nascatur legenti rem sibi esse cum eo scriptore qui quae illa fuerint inventa ipse parum noverit. Quid quod in ipsa arte dialectica interdum eos committit errores qui tibi

in mentem revocent lepidam illam de duobus Iudaeis narrationem quorum alter alterum in ius vocabat quod sibi pertusum reddidisset lebetem quem ei commodavisset. At hic sic semet ipsum defendit: „primum neque unquam iste mihi lebetem commodavit; deinde pertusus iam erat ille; postremo integrum reddidi".

„Dummodo legentium emendentur mores, quid attinet semper et ubique te torquere ut accuratus sis?" Condemnemusne „philosophum" huic uni legi ubique parentem? Equidem omnium iudicum sententiis absolvendum et cum laude gloriaque domum reducendum censeo.

Hoc certum est non indignum parentibus cultioribus visum Plutarchum cui liberos suos educandos docendosque committeterent; utilissimoque huic labori bonam vitae impendit partem atque etiam puerorum gregi qui postea essent daturi operam literis consuluit ... scribendo. Nam ingentem copiam librorum et discipulorum et sua ipsius causa Plutarchus composuit: omne conspectuum collectionumque genus, omnia denique quae prae manibus esse debent docentibus discentibusque. Quare haud immerito plus duobus post Plutarchi obitum saeculis Himerium his verbis usum esse: „Plutarchus ille per quem vos, Attici, totum genus hominum docetis". Quae verba admodum difficilem nobis reddunt diiudicandi rationem quid in eiusmodi libris spurium sit quid genuinum. Licet enim in utramque partem iis uti et sic disputare: „Himerio illi libri etiam genuini visi sunt, ergo et nos eos eidem vindicemus auctori", aut — quod mihi videtur rectius — sic: „mox Plutarchus heros quidam eponymus factus est eiusmodi operum, res ergo ipsa loquitur multa eorum falso eius nomen in fronte gerere".

Hoc unum constat plerisque veri Plutarchi subesse multa, nobisque ea tantum reiicere licere quae a Plutarchi indole abhorre penitus sentiamus.

Sed non solum doctus fuit magister atque praeceptor, sed etiam philosophia illa quam cum aequalibus vel maturioribus iam discipulis tractare solebat solidissimo nitebatur multiplicis doctrinae fundamento. Hic quoque nullam artem, cuius tunc peritus esse philosophus debebat, neglexit. Quantum in quaque profecerit quaeris. Confidenter respondemus: quantum qui illo

tempore esset in singulis versatissimus. Artem ipsam medicam, quae tamen cum philosophia, quae theoretica dicitur, admodum laxo cohaeret vinculo, tam penitus hausit ut multa posset tradere quae ne hodiernis quidem medicis spernenda videri possint, multa quoque quae vel nunc peritissimus quisque eorum maxime consultantibus commendare soleat.

Ipsius vero philosophiae historiam atque omnium, quotquot fuerunt, philosophorum placita et argumenta notissima fuisse Plutarcho quid demonstrem? Sed neminem eorum tam in succum sanguinemque vertit quam Platonem. Omnino in tota hac disquisitione non quid nos nunc de Plutarcho censeamus sed qualis quantusque suis ipse sit visus aequalibus statuendum videtur. Hic omnes qui colloquiorum, quae nobis Plutarchus refert, fuerunt participes eum a se *τὸν κατ' ἐξοχὴν Πλατωνικόν* haberi tam clare testantur ut nullus sit dubitandi locus. Quae vero ad Platonem illustrandum in lucem edidit eiusmodi sunt ut identidem nobis suspicio nascatur iam tum fuisse illas bibliothecas, quibus quotannis vel quotmensibus viri docti suas inserendas curarent commentationes, et alias et unam Platonicis destinatam studiis; Plutarchum certe constat sibi habuisse persuasum quidquid ad Platonem annotasset vel quidquid de Platone scripsisset, quamvis esset exiguum, suos sibi emptores lectoresque inventurum perque totum orbem terrarum sparsum iri.

Sed non solum Platonicam philosophiam, quam admiratur veneraturque, Plutarchus probe cognitam habet sed etiam Epicuream, quam detestatur, Stoicamque quam tot locis leniendam censet mitigandamque, totas ab omni parte diligenter est contemplatus tamque accurate consideravit ut non sit dubitandum quin quidquid ab utriusque philosophiae principibus dictum scriptumque sit fideli tenuerit memoria. In uno libro contra Stoicos scripto (*de repugnantiis Stoicorum*) raro quidem sed tamen oboritur nobis suspicio distraxisse eum quae coniuncta, coniunxisse quae apud illos distracta legerentur, sive, ut nos loquimur, quaedam e suo traxisse contextu, sed si revera illud fecit, neque perfide eum egisse crediderim neque vitium illud ex ignoratione esse natum. Nam quam sedulus fuerit Chrysippi lector, quem tam salse et facete ludibrio habet, longi illi ipsi testantur loci quos ex eius scriptis et alibi affert et in libro *de communi-*

bus notitiis. Et putemus eum quidquam omisisse vel negligentius tractasse quod ab illius philosophiae prolatum esset doctoribus cui se ipse addixerat, Academicam dico, vel non nocturna diurnaque manu Peripateticorum perlustrasse scrinia, uberrimum illum fontem Aristotelicae atque omnino omnis philosophiae?

Non tamen *philosophiae* causa tam sedulo dedit operam philosophiae Plutarchus, sed semper et ubique summa spectavit et philosophiam, iudice Plutarcho, superat theologia. *Φιλοσοφίας τέλος θεολογία.* Huc omnis redit Plutarchi sapientia. Et *verba* quidem illa proloquentem facit alium, Cleombrotum Spartanum (*de defectu oraculorum* 410 B) sed *ἱερός* ei *ἀνήρ* ille est, talemque eum Plutarcho *propter* illa praesertim verba visum esse ipse innumeris testatur locis. Quotiescunque altius tollit vocem Plutarchus, quotiescunque eius mentem in editis versari coeli plagis intelligis, illud *Φιλοσοφίας τέλος θεολογία* tibi in mentem venit tamquam sententia in qua totus ille *αὐτὸς ἑαυτοῦ δεινότατος* inesse Plutarchus videatur.

Et multa quidem dedit praeclarae illius sententiae documenta, sed nullum magnificentius quam spissum illud *de Iside et Osiride* volumen. Quod ut accurate perlegas aliqua, concedo, perseverantia opus est, sed non te eius poenitebit cum ad finem perveneris. Ibi enim leges quaedam quorum sententia quatuor hisce potest comprehendi verbis: „pietas scientia quaedam est''.

„Haeccine tu admiraris?'' quaerat quispiam: „quid tristius abiectiusque cogitari potest, quid magis humi repens atque omnis verae expers pietatis? Sibi habeat magistellus iste tuus suum *pietas scientia est*, nos altiora petamus!'' Inique de Plutarcho iudicet qui sic clamet specieque decipi se patiatur, nam et ipse Plutarchus altissima quaeque petit atque ipsis hisce verbis demonstrat se probe perspexisse verae theologiae rationem atque in intimos eius recessus mente animoque penetrasse. Audi ergo:

„Omnis philosophiae historia errorum historia est'' Bavius ait, succinitque Maevius: „et theologiae dogmatumque historia nihil continet nisi sacerdotum fraudes dolosque''. At qui mente pia atque ita ut doctum decet virum rem consideravit hoc didicit hoc sibi persuasit dogmata formulas esse quibus nullas disertiores accuratioresque summa praediti sapientia potuerunt

invenire viri, de summis rebus quae longo strenuoque mentis labore in suum congesserant pectus enuntiare studentes. Is scit hoc esse veri theologi opus ut semper e caerimoniis et de re sacra narrationibus, quae nostrae aetatis moribus iam non respondeant, ea eruat quae sint divina aeternaque omnis pietatis fundamenta. Talem se Plutarchus esse demonstrat diserte docens: „dira ista et crudelia, quae habet Aegyptiorum religio, sicut sunt tradita accipere impium sit''. Nam licet nusquam id ipsis declaret verbis, hoc totius libri est argumentum: „verae pietatis est recte intelligere atque perspicere pietatem populi, qui suos deos ea colit religione quae nobis saepe absurda videatur insanaque''.

Sic Cleae, sapientissimae mulieri, cui dedicatus est, liber hic egregie prodesse potuit et potest etiamnunc multis hominibus summas res summa tractare pietate cupientibus.

Prodesse docendo vult Plutarchus et docto hoc libro qui primo aspectu nil nisi compendium Antiquitatum Aegyptiacarum divinarum videtur et aliis, quorum nullum aliud esse consilium dicas nisi hoc ut quaestio quaedam intricatissima undique illustretur perpendaturque. Legite mihi, ut e pluribus duos nominem, tractatum *de facie in orbe lunae* atque illum *de primo frigido*: utrobique hominum pietatem veramque felicitatem spectari facile agnoscetis.

Quodsi quis quaerat quam philosophiam ipse Plutarchus profiteatur, pro responso Horatii illum afferrem versum: „nullius addictus iurare in verba magistri", nisi ... vetaret Plutarchus. Saepe enim admodum diserte se Academicis adnumerat. At non una Academia est sed plures quarum ego Plutarcho maxime placuisse eam, quae simul est antiquissima et recentissima, non sine idonea mihi coniicere videor causa. Quem antiquorum Romanorum magis in deliciis habuit Plutarchus quam Lucullum? Nam egregie ille Chaeronensium in gravissimo periculo defendit causam, optimeque meritus est de Graecis studiorum causa Romam affluentibus, munificentiaeque erga illos et benignitatis praeclarum dedit exemplum futurae aetatis viris nobilibus et opulentis, sed praeterea amplexus est illam philosophiam quam tum docebat Antiochus Ascalonita. Sensim enim ad meram scepsin et de omnibus rebus dubitationem delapsa erat Academia;

ad fontem suum atque auctorem, ad ipsum Platonem eam reduxit Antiochus ille. Legite mihi e *vita Luculli* capita XLI et XLII, sentietis hanc Antiochi Academiam eam esse quae ipsi Plutarcho maxime probetur.

Hoc certum est in omnibus rebus et in philosophia vel maxime Plutarchum id solum probasse quod solido niteretur fundamento. Omnino iam non tam facile dictu est cui quisque sectae philosophus sit adnumerandus, ita evanuerant fines quibus hactenus omnes inter se fuerant diremptae. Nam omnes tum philosophi, et Plutarchus omnibus magis, operam dabant ut in vitae usum sua posset converti sapientia. Plutarchus omnibus magis aio, ideoque non solum ea respuit quae falsa sibi videantur sed ea quoque quae ne perturbent animos hominum de vulgo indoctorum terreantque periculum sit, quale est illud de antipodibus et de omnibus rebus in centrum nitentibus, quod vix credere possum ipsi tam insanum visum esse quam dicit (*de facie i. o. l.* 924 A).

Et, ut iam missam faciam Academiam, omnem aversatur oditque philosophiam quae ad materiem brutam refert omnia quaeque hominem facit machinam nulla praeditam mente sed unius materiae legibus obnoxiam.

Supra (p. 558) ex illo *de facie i. o. l.* libro ea quae vel maxime illam Plutarchi illustrarent sententiam excerpsi, nunc hic repetere lubet universum illorum excerptorum argumentum:

Quaecunque hic a doctis astronomis philosophisque demonstrantur, ea omnia eo tendunt ut legentibus illud omnium paradoxorum pulcherrimum inculcetur: „credere nolite, mortales, ideo corpora deorsum cadere quia terra ea attrahat: **quidquid fit ideo fit quia vult Deus Optimus Maximus.**

Et exstitit vir doctus qui mirum quantum sibi supra vulgus sapere videretur quia primus scilicet observasset summi momenti istud: non Plutarchum esse sed Cleombrotum Spartanum qui illud φιλοσοφίας τέλος θεολογία eloquatur!

Stoicorum philosophia multa habet quae Plutarcho, viro lenissimo mitissimoque, nullo modo placere possint: fatum illud durum et inexorabile, Providentia quae et ipsa crudelissimi fati non sit dissimilis, tota humanitas bipartito divisa, in perfectos sapientes et prorsus insanos aliaque nimis rigida et praefracta.

Sed *moralem* Stoicorum *philosophiam* admiratur, Stoicorumque heroem Catonem Uticensem vix ipsis Stoicis minus suspicit veneraturque. Et tamen de Stoa quotiescunque loquitur fit acerbior solito et ad deridendum pronior, quia ipsi qui tunc vivebant Stoici arrogantia sua bilem movebant hominibus urbanitatis et elegantiae studiosis et quia tunc quoque saepe fiebat id quod semper factum est, et nunc quoque fit interdum: ut quo quaeque est severior doctrina eo minus severi sint ipsi qui eam commendant, clamque se iisdem dedant voluptatibus quas in ceteris hominibus tam acriter condemnant.

At in Epicureorum *doctrina* nihil est quod non detestetur Plutarchus abomineturque, nihil quod ei non leve videatur, futile, turpe. Et tamen vix unquam in *ipsos* Epicureos acrius invehitur, et ex antiquorum Epicureorum vita multa profert, quae licet ab ipsis iusto magnificentius exornentur verbis, tamen Plutarcho quoque visa esse bonae indicia indolis, humanae clementisque, quaeque hominem amicum reddat homini sponte apparet. Nam omnium quotquot tunc fuerint philosophorum Epicureos, ne quid dicam maius, minime fuisse absurdos ineptosque et apud Plutarchum et alibi diserta adsunt testimonia.

Φιλοσοφίας τέλος θεολογία. Haec summa semper sit omnis de Plutarcho disputationis. Theologiam semper et ubique ita purgare, ita stabilire nititur ut illa possit hominum mentes et illustrare et sustentare, de summis rebus ea docendo quae falsas absurdasque tollant opiniones, corroborent dubitantes, aegros sollicitosque consolentur. Quapropter non dubito quin Plutarcho ipsi primarium suum visum sit opus *de Sera numinis vindicta.* Quae enim pestis capitalior quam de dei iustitia dubitatio? Illam ergo primario isto opere e mentibus hominum evellere nititur, neque frustra, si quid video, nititur. Eodemque consilio verae Providentiae tam expressam dat legentibus imaginem, eius Providentiae quae, licet supra humana omnia emineat, tamen sit eiusmodi ut quivis homo se ei cognatum sentire possit et ad eam tamquam ad Numen benevolum hominumque amicum mentem animumque attollere. Hinc de *daemonibus* tam multus est quoniam qui ab illis, non a Deis Deove, mala creata et in vitam immissa credit, certe quietem quandam invenerit quae de Dei sapientia clementiaque dubitare vetet. Hinc illa *miraculorum*

defensio: persuasum enim sibi Plutarchus habet facile eius labefactari fidem qui neque unquam Deum omnipotentem naturae leges immutasse neque nunc quoque immutare posse credat. Quamquam in nulla re magis veretur ne modum excedat ipse excedatque grex fidelium. Ipsum ergo Plutarchum *Septem sapientium convivio* statim addidisse librum *de superstitione* opinor: illo et fieri et facta esse miracula demonstrat, hic operam dat ne sui discipuli temere fidem habeant anilibus de dis immortalibus fabellis. Nam theologiae „practicae", quae in Plutarchi invenitur scriptis, haec summa est: „in omnibus rebus *cautus esto et circumspectus*, sed praesertim in iis quae ad Numen Supremum eiusque pertinent consilia". Et nescio an nullam ob causam illos omnium mortalium πρακτικωτάτους Romanos magis sit admiratus quam quod illi legi semper et ubique paruerint (v. *vitam Coriolani* c. 25 extr.)

Φιλοσοφίας τέλος θεολογία. Ipsius vero theologiae quid? Non doctrina accurataque quaedam scientia, sed pura atque sincera *pietas*. Hanc nullo non commendat extollitque libro et ita quidem commendat extollitque ut in legentium audientiumque (nam modo revera Plutarchus contionatur modo scripta sua verae pietatis plenissima lecturis destinat) ut in legentium audientiumque, aio, animis relinquatur, non aculeus aliquis sed lenis quidam securitatis quietisque sensus ab omni anxietate et dubitatione quam remotissimus. Atque hoc nomine vel maxime librum *non posse* laudarem, quo vita pii hominis nobis depingatur non solum tamquam felix securaque sed etiam tamquam *hilaris iucundaque* quia nullum sit certius sinceriusque gaudium quam illud quod dei afferat praesentia, hunc aio vel maxime laudarem — nisi adesset fragmentum illud *de anima*, quod incredibili errore Himerio est adscriptum. Si usquam, hic ipsum Plutarchum agnoscimus, illius Ammonii discipulum qui literae E Delphicae praeclaram illam, ne Christianis quidem indignandam, dederit explicationem (*De E apud Delphos* p. 392 A). Age totum fragmentum, quemadmodum et ipse feci (Avondzon[2] II p. 354 sqq.), in hodiernum tuum sermonem, quisquis ille est, verte et recita hominibus doctis indoctisque sed pietatis non expertibus, graviter omnes commoveri senties. „At enim" quaerat quispiam, qui illud non semel audiverit sed tacitus secum diu

perpenderit „tantine ista tibi videntur? Nonne Stoica sunt omnia? Certe nihil inest quod tamquam proprium et peculiare sibi Plutarchus tuus vindicare potest. Neque probari tibi puto Stoicorum illam mortem voluntariam, quae tam aperte hic commendatur. An forte magni facis ista ex *etymologia* petita argumenta?"

Minime equidem nego multa apud Plutarchum legi quae ei sint communia cum ipsis philosophis quos omnium minime ferre possit; ad illud ἐγγὺς λιμήν quod pertinet, iam demonstravi illam voluntariam Stoicorum mortem longe ab eo differre facinore quod nos barbaro vocabulo „suicidium" appellare et abominari solemus. Denique argumenta quale est illud „θάνατος ideo dicitur quia ἄνω θεῖ" mihi quidem videntur absurdissima, at eadem Platoni visa sunt omnium argumentorum firmissima, neque tota antiquitate cuiquam philosopho in mentem venit spernere ea et ridere.

At quanti sit facienda certi alicuius hominis pietas non ex argumentis efficitur quibus eam defendit: e solo ea *vocis sono* intelligitur quam provocat ipsa. Et argumenta quae hic proferuntur, quamvis ea respuat doctrina nostra et, si qua est in nobis, sapientia, at pectus nostrum vehementer eadem illa probat, quia hac proferuntur voce. Atque de toto idem nobis est statuendum fragmento: mirum in modum nos commovet detinetque, quia nobis ab hoc philospho in aedem quandam religionis plenam introduci videmur, licet verba eius audiamus in recentiorem sermonem conversa. Tamquam sacerdos dei plenus hic loquitur Plutarchus quia de ea re se loqui sentit quae in omni pietate primarium tenet locum. De *immortalitate animi* loquitur. Hoc qui nititur fundamento stat firmus erectusque, sursum semper attollere caput potest et, quod maximum est, ipsa *Providentiae mysteria* placido laetoque potest comtemplari vultu quoniam sibi habet persuasum ea quoque aliquando ita illustratum iri ut vera eorum eluceat ratio.

I

INDEX

huius libri exhibens paginae quibus singula scripta moralia tractari incipiunt.

(Spuriorum scriptorum tituli asterisco sunt notati).

II

INDEX GRAECUS.

III

INDEX NOMINUM.

IV

INDEX RERUM ET VERBORUM.

ERRATA.

Graviora vitia relegens librum non inveni; leviora et alia (utinam ne multa!) corrigat ipse lector et haec:

p. 14 l. 6 legatur *dicitur* pro *diciter*.
— l. 3 ante finem *sententiolas* pro *sentiolas*.
p. 32 l. 25 *ἐκτεθέρμαγκεν* pro *εκτεθέρμαγκιν*.
ad p. 164 l. 10 adscribatur: cf. Q. C. VIII, 8, 2 (p. 729 B).
p. 249 (in titulo) legatur: *sufficiat* pro *sufficiet*.
p. 254 l. 6 legatur *Dieterichianis* pro *Dicterichianis*.
p. 404 l. 6 l. *τό* pro *τῷ*.
p. 526 l. 4 ante finem legatur *Drusi* pro *Drusif*.
p. 559 l. 5 legatur 928 pro 929.
p. 601 l. 9 ante finem legatur *efficacissimum* pro *efficicacissimum*.
